



HARVARDIANA
ACADEMIA
IN NOV-ANG
ET
VE RI
TAS
CHRISTO
ECCLESIAE

ANNALES
ACADEMIAE IENENSIS.

EDIDIT

HENR. CAROLVS ABR. EICHSTADIVS
THEOL. ET PHILOS. D.
ELOQV. ET POES. PROF. P. O. IN ACAD. IENENSI
MAGNI DVCIS SAX. A CONSIL. AVL. INTIMIS.

VOLVMEN PRIMVM

CONTINENS

HISTORIAM INSTAVRATIONIS ACADEMIAE
VITAS DOCTORVM ACTAQVE ET SCRIPTA A. C. N. MDCCCXXI.

IENAE
IN LIBRARIA CROEKERIA
1823.

PRAEFATIO.

At, ne abutar vocabulo, praefandi materiam Prolegomena praeripuerunt. Itaque, ut recepto apud ſcriptores mori aliqua certe ex parte ſatisfiat, vertam praefationem in Conſpectum operis, quem vulgo appellant, quo ſingularum partium argumentum exponatur. Id autem fere eiusmodi eſt.

Prolegomena

quibus primum continetur brevis *narratio de ortu et fatis Academiae Ienenſis*, deducenda inpoſterum usque ad ea tempora, quibus *Academiae inſtauratio* contigit; deinde *de Annalium Ienenſium conſilio et ratione* exponitur.

Pars prima

continens *Vitas Doctorum, qui nunc quidem in Vniverſitate litterarum Ienenſi litteras et artes publice privatimve tradunt, una cum librorum ab ipſis editorum et ſcholarum, quas inſtituunt, accurata enumeratione.*

Singulorum doctorum vitas quo facilius in hoc volumine reperirentur, viſum eſt nomina, ordine litterarum poſita, ad paginarum numerum referre.

Andreae, P. C. G. pag. 19.
Bachmann, C. F. — 46.
Bauer, C. F. — 93.
Baumbach, C. I. A. — 57.
Baumgarten-Crusius, L. F. O. — 15.
Danz, I. T. L. — 13.
Döbereiner, I. W. — 53.
Domaratius, I. H. S. — 94.
Eichmann, C. — 26.
Eichstädt, H. C. A. — 35.
Fries, I. F. — 47.
Fuchs, I. F. — 26.
Gabler, I. P. — 3.
Goebel, C. C. F. T. — 77.
Goettling, C. G. — 74.
Graumüller, I. C. F. — 78.
Güldenapfel, C. Th. — 57.
Hand, F. — 52.
Hellfeld, C. A. F. ab — 60.
Hellfeld, I. A. C. ab — 75.
Hess, I. C. — 93.
Hess, L. — 96.
Heusinger, C. F. — 64.
Hogel, C. I. — 72.
Huschke, A. — 78.
Kieser, D. G. — 30.
Klein, A.F. — 81.
Konopak, C. G. — 20.
Kori, A. S. — 20.
Koerner, F. — 86.
Kosegarten, I. G. L. — 50.
Laves, L. D. — 92.
Lenz, I. G. pag. 43.
Luden, H. — 42.
Martin, C. — 24.
Oehme, C. G. I. — 94.
Ortloff, F. — 22.
Osann, F. — 70.
Osann, G. G. — 88.
Paulssen, I. H. — 76.
Possell, I. F. — 55.
Putsche, C. G. E. — 82.
Renner, T. — 62.
Richter, I. C. G. — 95.
Schad, I. — 67.
Scheidler, C. H. — 87.
Schmid, C. E. — 23.
Schnaubert, A. I. — 16.
Schnaubert, I. T. F. — 57.
Schott, H. A. — 11.
Schroeter, A. G. de — 59.
Schulz, F.G. — 71.
Seidler, A. G. L. — 93.
Stark, I. C. — 27.
Stark, C. G. — 61.
Succow, G. C. F. — 29.
Valenti, A. de — 91.
Voigt, F. S. — 33.
Voigt, I. H. — 54.
Wachter, F. — 87.
Wahl, I. G. L. — 89.
Walch, C. G. — 22.
Walch, F. A. — 63.
Werneburg, I. F. C. — 83.

Pars secunda

continens *narrationem de instauratione Academiae et commentarios rerum anno 1821 in ea gestarum, una cum monumentorum publicorum corollario.*

I. De instaurationis tempore et consilio, p. 101.
II. De abdicatione imperii academici, a Principibus Meiningensi et Coburgensi a. 1821 facta, p. 103. *Coroll.* p. 167.
III. De duumviris reip. academicae constituendae, p. 104.
IV. De auctis Academiae reditibus ac Professorum salariis, p. 105. *Coroll.* p. 165.
V. De aerario sanctiore, Professoribus ordinariis constituto, p. 106. *Coroll.* p. 168.
VI. De levatione Professorum ab administratione curaque fisci, p. 107.
VII. De novis cathedris in Academia constitutis, nominatim
1) iuris publici et artis diplomaticae, p. 108.
2) artis veterinariae, p. 108.
3) linguae Graecae, p. 109. *Coroll.* p. 176.
4) disciplinae chemicae, p. III. *Coroll.* p. 177.
VIII. De litterarum artiumque institutis academicis, nominatim
1) de museis variis, p. 112.
2) de bibliotheca publica, p. 113.
3) de hortis botanicis, p. 114.
4) de specula astronomica, p. 117.
5) de schola oeconomica Tieffurtina, p. 117.
6) de scholis medicis, p. 118. *Coroll.* p. 178.
7) de seminario philologico, p. 121. *Coroll.* p. 179.
8) de seminario theologico, p. 124. *Coroll.* p. 183.
9) de seminario homiletico, p. 125. *Coroll.* p. 193.
10) de seminario catechetico, p. 129. *Coroll.* p. 196.
11) de certaminibus litterariis, p. 129. (Add. Part. III. p. 307.)
IX. De novo Codice legum, civibus academicis scriptarum, p. 131. *Coroll.* p. 197.
X. De praefecto civium recens creato, p. 132.
XI. De quaestore academico recens constituto, p. 133. *Coroll.* p. 218.

XII. De convictus publici nova institutione, p. 134. *Coroll.* p. 220.
XIII. De Commissario extra ordinem Curatoris vice Academiae praeposito, p. 137.
XIV. Series Prorectorum et Decanorum, qui inde ab instauratione Academiae, a. 1817 facta, usque ad a. 1821 magistratus gesserunt, una cum numero receptorum his annis novorum civium, p. 137.
XV. Status Academiae sub Prorectoratu Andreae per aestatem a. 1821 et speciatim acta p. 139.
1) in Ordine Theologorum, Schotto Decano, p. 141.
2) in Ordine Iurisconsultorum, Schnauberto Decano, p. 141.
3) in Ordine Medicorum, Fuchsio Decano, p. 141.
4) in Ordine Philosophorum, Voigtio Decano, p. 142.
XVI. Status Academiae Prorectore Fuchsio per hiemem anni 1821—22. et speciatim acta p. 144.
1) in Ordine Theologorum, Danzio Decano, p. 145.
2) in Ordine Iurisconsultorum, Andrea Decano, p. 145.
3) in Ordine Medicorum, Starkio Decano, p. 146.
4) in Ordine Philosophorum, Eichstadio Decano, p. 147.
XVII. Index eorum, qui per hunc annum docendi provincia functi sunt, scholarumque ab iis habitarum, p. 149—153.
XVIII. Epilogus una cum memorabili de Academia Ienensi iudicio, p. 153.

PARS TERTIA

continens *Scripta academica, anno 1821 in lucem emissa.*

I. *Programmata, Academiae nomine et auctoritate ab Eloquentiae Professore scripta:*
1) Commendando novo Prorectori, Paull. Chr. G. Andreae: *Exercitatio Antoniniana* I. p. 227.
2) Indicendis scholis aestivis: *Exercitatio Antoniniana* II. p. 244.
Subiectus est scholarum publice indictarum index, p. 253.
3) Indicendae orationi, Augustanae Confessionis memoriae ex lege beneficii Lynckeriani sacrae: *Exercitatio Antoniniana* III. p. 262.

(Eam invitationem ad audiendam orationem tametsi Professor Eloquentiae non Academiae, sed suo nomine quotannis emittit, tamen propter argumenti, in hoc programmate tractati, nexum et continuationem ceteris scriptis, Academiae auctoritate propositis, inserendam putavi.)

4) Commendando novo Prorectori, Io. Frid. Fuchsio: *Exercitatio Antoniniana IV.* p. 276.
5) Indicendis scholis hibernis: *Exercitatio Antoniniana V.* p. 285.
Subiunctus est index scholarum publice indictarum, p. 297.
6) Indicendis *commissionibus litterariis*, novo Academicae instituto, adiuncta *certationum materia*, ab Ordinibus proposita, una cum *instituti consiliis et legibus*, p. 307.

II. *Programmata Theologorum indicendis solemnibus Christianorum sacris annuis:*
1) Sacris paschalibus. Programma non prodiit.
2) Sacris pentecostes: *De vero Scholasticorum realium et nominalium discrimine et sententia theologica.* Scripsit LVDOV. FRIDER. OTTO BAVMGARTEN-CRVSIVS, p. 320.
3) Sacris natalium Iesu Christi: *Sententia recentius defensa de iis naturis, quas in N. T. δαίμονες audiunt, ab angelis lapsis et Satana prorsus distinguendis, examinatur,* auctore HENRICO AVGVSTO SCHOTTO, p. 337.

III. *Programmata Ordinis Iurisconsultorum.*
Anno 1821 prodierunt nulla.

IV. *Programmata et Dissertationes Ordinis Medicorum:*
1) IO. CHRISTIANI STARKII, Decani, Programma solemnibus inauguralibus Guilielmi Mauritii Starkii scriptum, et pag. 146 commemoratum, una cum continuatione repetetur in secundo volumine Annalium.
2) CAROLI FRID. HEVSINGERI, Med. D. et Prof. Programma indicendae orationi aditiali *de metamorphosi rostri pici et de generatione mucoris in organismo vitali,* p. 351.
3) AEMILII HVSCHKII, Vimar., Med. D. Dissertatio pro venia docendi rite impetranda, continens *mimices et physiognomices fragmentum physiologicum,* pag. 359.

V. *Programmata, Dissertationes et Orationes Ordinis Philosophorum:*
1) HENR. CAR. ABR. EICHSTADII, Decani, Progr. *de instituto scriptionis academicae, in Academia Ienensi nuper in usum revocato.* Ad nunciandum magisterium, a *Carolo Hermanno Scheidlero* rite impetratum, pag. 390.

2) EIVSDEM, Decani, Progr. *Exercitatio Antoniniana* VI. Nunciabatur creatio Doctorum Philosophiae et Magistrorum LL. Artium, hoc et proxime superiore semestri rite peracta, simulque Candidatis summorum in philosophia honorum examina solemnia indicebantur, pag. 396.

3) GODOFR. GVILIELMI OSANNI, Vimar. Philos. D. Dissertatio philosophica *de natura affinitatis chemicae*, pro venia docendi rite impetranda, p. 405.

4) CAROLI HERMANNI SCHEIDLERI, Gothani, Philos. D. Dissertatio historico-philosophica *de morte voluntaria*, pro venia docendi rite impetranda, p. 417.

5) CAROLI HEINZII, Saalfeldani, Philos. D. Dissertatio philologica: *Cornelius Nepos e Thucydide emendandus atque iudicandus*, p. 432.

6) CAROLI GVILIELMI GOETTLINGII, Philos. D. Commentatio *de notione servitutis apud Aristotelem* — indicendae orationi, professorii muneris auspicandi caussa habendae, proposita, p. 457.

7) EIVSDEM Oratio aditialis, iam primum typis impressa, *de Aristocratia veterum* p. 465

8) IO. GODOFREDI GABLERI, Theol. Baccal. Oratio in memoriam Augustanae Confessionis ex lege beneficii Lynckeriani *de Ioanne Reuchlino, litterarum in Germania instauratore, et de eius magna vi in provehenda sacrorum emendatione*, p. 473

Ita expositis rerum capitibus, apparet, argumentum operis ex eo genere esse, quod ipsa varietate et copia excusare possit scriptorem, si vel incondita (ut Tacitus ait) ac rudi voce memoriam prioris felicitatis ac testimonium praesentium bonorum componat. Scr. Ienae, ipsis Calendis Novembribus, anno 1822.

PROLEGOMENA.

Annus hic eſt ſupra ducenteſimum quintus et ſeptuageſimus, ex quo primordia cepit Academia Ienenſis, tutum illa tempeſtate et gratum receptaculum iis, qui verum ingenii animique cultum ſequebantur, et in religionis doctrina, qualem Martinus Lutherus reſtituerat, tuenda defendendaque perſeverabant. Nam quae ſaeculo ante apud Lipſienſes et aliquanto poſt Vitebergae exſtiterant litterarum ſcholae [1]), quarum illa Saxonici nominis famam longe lateque proferebat, haec etiam ſacrorum emendationem mirifice adiuvabat, ipſosque doctrinae et eccleſiae Chriſtianae inſtauratores ſinu ſuo fovebat, eas igitur Academias funeſto ſibi bello ereptas dolebat Ioannes Fridericus, Magnanimi cognomento inſignitus, in cuius virtute et conſtantia, quotquot tum Lutheri cauſſae faverent, ſummam ſpem et fiduciam poſuerant. Is quum victoris, Caroli Quinti, iuſſu captivus per Thuringiam duceretur, Ienae colloquium iniit cum filiis [2]), eosque, ut in hoc oppido novam artium ſedem, tamquam alteram Vitebergam, fundarent, etiam atque etiam hortatus eſt. Non erat illud oppidum neque pomoerio extenſum, neque aedificiis ſplendidum, neque exquiſitis operibus ornatum; ſed caeli temperie ac ſalubritate excellens, fecundum ſolo, ſituque adeo amoe-

1) Academia Lipſienſis condita eſt a. 1409, auctore Friderico I Bellicoſo: Vitebergenſis a. 1502 auſpiciis Friderici Sapientis.

2) Anno 1547 die Veneris proximo a feſto St. Ioannis.

num, ut tantum non Campaniae illas, a Plinio [5]) celebratas, virtutes referret. Nam fertiles ubivis campi, aprici colles, innoxii saltus, opaca nemora, munifica silvarum genera, benigni montium afflatus, mira frugum vitiumque fertilitas, et praeter amnem Salam tot fontium ubertas, totam regionem perfundens, ut has sibi sedes iam olim delegissent monachi, genus hominum in vitae voluptates et oblectamenta effusissimum. Ab his tria hic condita fuerant coenobia, Michaelitanum, quod posthac templi oppidani et scholae publicae inaugurationi cessit, Dominicanum, cuius vetustatem et memoriam etiam nunc aedes academicae conservant, denique Carmelitanum, quod erat extra urbem. Et praebuerat urbs iam aliquoties [4]) liberale hospitium Musis, propter pestilentiae atrocitatem Viteberga profugis, quas ipsa caeli clementia regionisque amoenitas videtur invitasse, ut nova haec Tempe caperent, in iisque mox perpetuam sedem collocarent.

Exuti igitur regno paterno filii, Ioannes Fridericus II, Ioannes Guilielmus et Ioannes Fridericus III, mandata patris tam et celeriter et feliciter perfecerunt, ut ea ipsa re ostenderent, relictam sibi esse eam hereditatem, quae neque eripi liberis potest, et omni patrimonio praestat, studium virtutis rerumque pro doctrinae veritate fortiter animoseque gerendarum. Aderant eis non sine numine divino duumviri, doctrina et auctoritate praestantes, Gregorius Pontanus, Cancellarius, et Nicolaus Amsdorfius, Episcopus Numburgensis, acerrimi Lutheranae caussae propugnatores, quorum praepotentem animum subsistere nulla impedimenta potuerunt. Horum hortatu factum est, ut primarii illi Ienam arcesserentur doctores, qui e disciplina Vitebergensi prodiissent, Ioannes Stigelius, philologus et poeta illo aevo clarissimus, idemque primus in hac Academia eloquentiae ac poeseos Professor, et Victorinus Strigelius, cui philosophiam et theologiam docendi munus demandatum est. Vtrumque magna comitata est adolescen-

---

5) H. N. III, 6. Vol. I. p. 315 ed. Harduin.

4) Annis 1527 et 1535. Cfr. Strobelius ad Vitam Melanchthonis a Camerario scriptam p. 105.

tum cohors, qui Stigelium Vitebergae, Strigelium Erfordiae magistros habuerant, cupiebantque a tantis tamque caris doctoribus etiam in nova Ienensi schola proficere. Ita vix annus intercessit, quum solemni inauguratione auspicia caperet Paedagogium provinciale 5) (hoc enim tum nomine appellabatur), quod non gaudebat quidem nisi duobus illis, quos dixi, doctoribus, qui numerum ardore compensabant, sed gaudebat iam tum legum et statutorum salubritate multisque litterarum discendarum opportunitatibus. Nam civibus illarum studiosis insigne adiumentum praebebant tum convictus gratuitus, tum alia beneficia, prudenter cauteque collocata 6), magistris maius et insignius bibliotheca publica, de Ioan-

5) Id factum die 19 Martii anno 1548: quo die Io. Stigelius inaugurationis caussa orationem habuit *de utilitate studiorum eloquentiae*, Victorinus Strigelius *de gravibus caussis, cur his miseris et luctuosis temporibus discendum sit*, insertam utramque *Selectarun declamationum Professorum Academiae Ienensis* Tomo I (Argentorat. 1554.) p. 1—35.

6) Testantur litterae Principum fratrum datae a. 1555, repetitae in Frid. Rudolphi Gotha Diplomatica P. V. p. 271, ex quibus non poenitet loca quaedam huc transferre: *Damit menniglich zu spühren und zu vermercken, dass wir das Einkommen gemelte Stiffte und Clöster in unsern eigenen Nutz zu wenden, nicht bedacht: So weren wir unsers Herrn Gross-Vatern und Vatern seeligen, Christl. und löblichen Fussstäpffen, hierinnen zu folgen, gnediglich erbötig und geneigt, und wollten — — siebenundviertzig Stipendiaten in unsere Schule zu Ihena im Studio unterhalten, darunter zehen Adels-Personen, und deren jedem jerlich fünffunddreyssig Gülden; Aber die andern siebenunddreyssig Personen, so Priester-, Bürgers oder Bawers-Sohne seyn sollen, deren jeden jerlich dreyssig Gülden, doch das solche alle zum Studio geschickt und tüchtig sein sollen, — — So zeigen wir es euch hiermit semtlich und sonderlich darum an, auff dass ihr die von Adel, auch Priester, Bürger und Bauren, die Kinder haben, welche zum Studiren geschickt, und aber von den iren selbst nicht verleget, noch dabey erhalten können werden, uns dieselben angeben möget. Doch solle derselben keiner unter sechzehen Iaren alt sein, und zuvorn seine Grammatica also gelernet haben, damit er in unser Schule zu Iherta mit Nutz förder studiren und vorfaren müge, auch von uns, an unsere hierzu verordente Examinatorn gegen Ihena zum Examen gewiesen, und da er von denselben Zeugniss bringet, alsdan ime nach Gelegenheit desselben endlicher Beschied gegeben werden. — — Es sollen auch bemeldte Stipendiaten jerlichen einmahl in der Pfingst-Wochen, durch unsere Examinatorn, in beysein eines unsers gelehrten Hof-Raths, den wir*

nis Friderici supellectile Vitebergensi Ienam translata, cui primus Bibliothecarii nomine praefuit Georgius Rorarius, qui, Lutheri in adornanda bibliorum versione socius, quum propter belli Smalcaldici discrimina in Daniam confugisset, illo tempore revocatus in patriam est, ut et Ienam doctrina sua illustraret, et Lutheri operum novae editioni, eorumdem Principum sumptibus in lucem proditurae, praeesset.

Adhuc imago potius Academiae, quam Academia, in hac urbe vigebat In Academiam ut paedagogium Ienense verteretur, redux tandem ex captivitate Ioannes Fridericus effecit. Qui quum Augustae Vindelicorum dimissus a Caesare [7]), in pristinamque libertatem, sed deminutus imperio, vindicatus ad suos reverteretur, ubi ad urbem Ienam venit [8]), maximis omnium congratulationibus exceptus est. Obviam ire cives armati: occurrere ceteri oppidani, pueri item puellaeque, corollis rutaceis ornati, duce grandaevo senatore: litterarum vero studiosi una cum Professoribus et octo Comitibus adventum ad hospitii illius, quod insigne et nomen habet nigri ursi, valvas praestolari, advenientem faustis ominibus et acclamationibus, bonis votis ac modulatis carminibus excipere. Princeps non sine magna animi commotione gratulationes suorum aperto accipit capite, eisque amplissimas gratias agit. Et coronam studiosorum blando contuens vultu, subridens ad Ioannem Fridericum filium et Lucam Cranachium, pictorem illum celeberrimum, qui ipsum comitabantur, En, inquit, fratres littera-

---

jederzeit darzu verordnen wollen, verhöret, und wie ein jeder befunden, uns fürder von inen sembtlicher Bericht gethan werden, damit wir wissen mögen, wie solche unsere gnedige Unterhaltungen angeleget, wir uns auch ferner Bewilligung halben, haben vernehmen zu lassen. Denn da wir befinden, dass es an einem oder mehr nicht bewand, dem oder denselben wollen wir ire Stipendia jederzeit auffzukündigen, uns hiermit vorbehalten haben.

7) Die 1 Iul. a. 1552.

8) In hac tota narratione sequutus sum Casp. Sagittarii Historiam Ioannis Friderici, Electoris Saxoniae, pii, magnanimi, constantis, inclyti (Ien. 1739. 4.) p. 54. 48 sqq. Add. Io. Rosini Vitam Ioannis Friderici Magnanimi, in Eius Exemplis pietatis illustris h. e. Vitis trium Saxoniae Ducum, Principum Electorum etc. Ien. 1602. 4.

rum ſtudio iunctos! 9) Ceterum tanta fuit Ienae tamque communis omnium laetitia, tantus cerimoniae ſplendor, ut illuſtriorem pompam Academia vix viderit. Nam omnis aetas, et ſexus, et ordo exſultabat, ovabat, triumphabat.

Nec Princeps quicquam omiſit, quo ſuum Ienenſibus ſtudium teſtificaretur. Nam paullo poſt Ioannem Guilielmum I filium una cum aliquot conſiliariis Bruxellas in Brabantiam miſit, qui iura et immunitates academicas (privilegia vulgo appellant) novae litterarum ſedi ab Imperatore Carolo V exoraret. Sed ea, utut non denegarentur, tamen impetrari tum temporis non potuerunt. Itaque memor mortalitatis Princeps in teſtamenti tabulis novae Academiae curam filiis commendavit, hortando eos atque obſecrando, ut privilegiis impetrandis nihil prius haberent. Eademque moriens 10) graviſſimis verbis fertur repetiviſſe. Illi autem mandatum ſibi negotium paullo poſt patris obitum perfecerunt. Pragam profectus Ioannes Guilielmus I ſuo et fratrum nomine immunitates et iura academica iterum ab Imperatore Ferdinando I rogavit. Quae ut tunc certo promiſſa, ita non multo poſt luculenta et plena, conceſſo etiam Ordini Theologorum, quod prius negatum fuerat, iure Doctores creandi, excellentiſſimus legatus, Ioannes Schroeterus, magna medicus prudentia 11) et auctoritate, idemque poſtea primus Academiae Rector, Ienenſibus Praga reportavit. Sic poſt integrum decennium ex Paedagogio provinciali Vniverſitas litterarum effloruit. Tantae molis erat, (vere ſcripſit Sagittarius,) Salanam condere Academiam, ad quam conſtituendam contendiſſe Virtus et Fortuna videntur.

Nec vero alienum videtur ab inſtituto horum annalium, hoc loco repetere legem, qua iura et privilegia Academiae Ienenſi tributa ſunt. Verendum eſt enim, ne lex illa, in qua magnum et memorabile ineſt docu-

---

9) *Sieh, das iſt Bruder Studium!*

10) Obiit d. 15 Mart. a. 1554.

11) Ars eius medica quantum valuerit ad gratiam Caeſaris, qui δυσπεψίᾳ interdum laborabat, ipſi conciliandam, non diſceptamus hoc loco: ſcimus fuiſſe, qui arti plurimum tribuerent. Cfr. *Nicolai Reiſebeſchreibung* I. p. 54. De vita Schroeteri cfr. Io. Caſp. Zeumeri Vitas Profeſſorum Ienenſ. p. 267 et *Monatl. Nachrichten v. gelehrten Leuten u. Schriften* Iul. u. Aug. 1727. p. 343.

mentum reverentiae, litteris litteratisque olim habitae, dum velut sepulta iacet in libris reconditis, paullatim exstinguatur oblivione posteritatis, quae tanti beneficii auctores grato usque animo prosequi debet.

FERDINANDVS

divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Marchio Moraviae etc. Dux Lucemburgiae, ac superioris et inferioris Silesiae, Wirtenbergae et Teckae, Princeps Sueviae, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretis, Kiburgi et Goritiae, Landgravius Alsatiae, Marchio S. R. Imperii, Burgoviae, ac superioris et inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae Slavonicae, Portus Naonis et Salinarum etc.

Notum facimus tenore praesentium universis, cum imprimis ad hanc Romani Imperii sublimitatem divino auspicio provecti, diligenter circumquaque prospicere debeamus, ut scientiae et bonae artes ac studia liberalia felicibus processibus sumant augmentum, ex quibus divinae sapientiae hausto fonte subditi nostri, et ad regendam Rempublicam, et reliquis mortalium necessitatibus providendum, reddantur aptiores, potissimum cum omnium scientiarum tutela et patrocinium penes Romani Imperii Moderatores consistat, qui etiam ipsarum Professores dignis praemiis et honoribus atque privilegiis afficientes, Gymnasia undique in S. R. Imperio instituerunt et erexerunt. Nos itaque, praedecessorum nostrorum vestigia imitantes, exhibita nuper nobis petitione Illustrium Ioannis Friderici secundi, Ioannis Wilhelmi, et Ioannis Friderici tertii, Fratrum et Ducum Saxoniae, Landgraviorum Thuringiae et Marchionum Misniae, consanguineorum nostrorum charissimorum, ut ad praefatorum studiorum liberalium et bonarum artium incrementum, studium generale, sive Vniversitatem aut Gymnasium in civitate Iena sub dominio et iurisdictione sua institueremus, et auctoritate nostra Regia erigeremus et confirmaremus, ipsorum precibus morem gerere cupientes, attentis innumeris meritis a praefatis Ducibus et praecessoribus eorundem nobis et S. Imperio exhibitis et praestitis, considerantes etiam, quod praefata civitas, non modo ex loci opportunitate, in-

ftituendo Gymnafio commoda, fed et incolis, et finitimis eorundem locorum, univerfale ftudium ibidem neceffarium fit, ut adolefcentes ad ftudia et artes capeffendas alacrius nacta opportunitate vicini Gymnafii incitentur et animentur, adhibito prius fano Principum, Comitum, Baronum, Procerum et Nobilium noftrorum Confilio, animo deliberato ex certa fcientia et motu proprio tum S. Caefareae et Catholicae Maieftatis Fratris et Domini noftri chariffimi loco ac nomine, tum noftra etiam auctoritate, uti Rex Romanorum, Vniverfitatem, five Studium generale et Gymnafium, in praefata civitate Iena inftituimus, ereximus, et tenore praefentium erigimus et inftituimus, volentes et de memoratae Caefareae et Regiae noftrae Poteftatis plenitudine, decernentes, quod Doctores quarumcunque Facultatum et perfonae idoneae ad id, per praefatos Illuftres Duces, aut fucceffores eorundem, vel quibus id demandarint, deputandae, poffint et valeant in praefata Vniverfitate in omnibus Facultatibus, videlicet in facra Theologia, in utroque Iure, tam canonico, quam civili, in Artibus et Medicina, nec non in Philofophia et quibuscunque fcientiis legere, et lectiones, difputationes et repetitiones publicas facere, conclufiones palam fuftinere, ac praefatas fcientias docere, interpretari, gloffare et dilucidare, omnesque actus fcholafticos exercere eo modo, ritu et ordine, qui in ceteris Vniverfitatibus et Gymnafiis publicis obfervari folitus eft, et quoniam ipfa ftudia eo feliciori gradu fument augmentum, fi ingeniis et difciplinis ipfis fuus honor, fuus dignitatis gradus ftatuatur, ut emeriti aliquando digna laborum fuorum praemia reportent, ftatuimus et ordinamus, ut per Collegia Doctorum a praenominatis Illuftribus Ducibus in unaquaque Facultate inftituenda electis ad id idoneis et prae ceteris excellentioribus in ipfis Facultatibus Doctoribus, hi, qui ad fumendam palmam certaminis fui idonei iudicati fuerint, adhibito per ipfos Doctores collegii in unaquaque Facultate prius pro more et confuetudine, atque folemnitatibus et ritu in ceteris Vniverfitatibus obfervari folitis, rigorofo et diligenti examine, in quo confcientias ipforum Doctorum cuiuslibet Collegii onerari volumus, quos fub iuramenti vinculo ad hoc adftringimus, in ea facultate, quam edidicerint, et qui examini praefato fe fubmiferint, et fe pro more et iuxta ftatuta et ordinationes per praefatos Duces fiendas, per aliquos dignos et honeftos viros de gremio ipfius Collegii, praefentari fecerint, poffint ad ipfum examen admitti, et invocata Spiritus Sancti gratia examinari, et fi hoc modo habiles, idonei et fufficientes ad id reperti et iudicati fuerint, Baccalaurei, Magiftri, Licentiati five Doctores pro unius cuiusque

ſcientia et doctrina creari, et huiuscemodi dignitatibus inſigniri, nec non per bireti impoſitionem et annuli aurei ac osculi traditionem, ceterisque conſuetis ſolemnitatibus inveſtiri, et conſueta ornamenta atque inſignia dignitatum praedictarum tradi et conferri, quodque Doctores, in eadem Vniverſitate promoti et promovendi, debeant et poſſint in omnibus locis et terris S. R. Imperii, et ubique terrarum, libere omnes actus Doctorum, legendi, docendi, interpretandi et gloſſandi facere et exercere, omnibusque et ſingulis gaudere et uti privilegiis, praerogativis et exemtionibus, libertatibus, conceſſionibus, honoribus, praeeminentiis, favoribus ac indultis, quibus ceteri Doctores in Bononienſi, Senenſi, Patavino, Papienſi, Peruſino, Pariſienſi et Lipſienſi et aliis Studiis privilegiatis promoti et inſigniti gaudent, et utuntur conſuetudine vel de iure. Ceterum, quo praefata Vniverſitas ſive Gymnaſium ſuis gubernatum Magiſtratibus ſolidiori et firmiori ſiſtat fundamento, damus et concedimus Doctoribus et Scholaribus in dicta Vniverſitate exiſtentibus aut futuris cum conſenſu praefatorum Ducum, aut ſucceſſorum eorundem, auctoritatem et poteſtatem, condendi et faciendi ſtatuta et ordinationes iuxta conſuetudinem ceterarum Vniverſitatum, nec non creandi et eligendi Rectorem ſcholarum ac Syndicos ſive alios quoscunque Officiales Vniverſitatis, prout ipſis viſum fuerit expedire, et eſſe opportunum, dantes et concedentes auctoritate noſtra Regia Rectoribus ſic per eos eligendis et creandis facultatem et iurisdictionem in ſcholaſticos, nec non citandi, audiendi, iudicandi, exſequendi, puniendi et omnes alios actus iudicis ordinarii exercendi et ius reddendi, eximentes nihilominus Doctores et Scholares Vniverſitatis praenominatae a iurisdictione et ſuperioritate cuiuscunque poteſtatis aut iudicis ordinarii, ſive cuiuscunque alterius praeterquam a noſtra et praefatorum Ducum ac Succeſſorum eorundem. Praeterea, ut ipſa Vniverſitas, dignis fulcita praerogativis, nulli alteri, quantumvis vetuſtae et celebratae Vniverſitati poſtponatur, volumus et decernimus per praeſentes, quod praenominata Vniverſitas, nec non Doctores et Scholaſtici, ac ibidem aliquam dignitatem ſeu gradum adſumentes, gaudeant et potiantur, uti, frui, gaudere et potiri poſſint et valeant omnibus et quibuscunque gratiis, honoribus, dignitatibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, conceſſionibus, ac immunitatibus, favoribus et indultis ac aliis quibuslibet, quibus Vniverſitas Bononienſis, Senenſis, Patavina, Papienſis, Peruſina, Pariſienſis et Lipſienſis ac alia Studia privilegiata, ac Doctores et Scholaſtici ſive promoti, aut aliqua dignitate, ſive gradu inſigniti gaudent ac potiuntur,

quomodo libet consuetudine vel de iure, non obstantibus aliquibus privilegiis, indultis, praerogativis, gratiis, statutis, ordinationibus, legibus, constitutionibus, reformationibus, exemtionibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus, quibus omnibus et singulis ex certa nostra scientia praefata, animo deliberato et motu proprio derogamus, et derogatum volumus per praesentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae creationis, institutionis, fundationis, constitutionis, concessionis et privilegii gratiam refringere, aut ei quovis ausu temerario contraire, sive quomodo libet violare et infringere. Si quis autem hoc attentare praesumserit, nostram et Imperii S. indignationem gravissimam et poenam centum Marcharum auri puri, toties, quoties contra factum fuerit, se noverit irremissibiliter incursurum, quarum medietatem Imperialis fisci nostri, sive aerarii, reliquam vero partem iniuriam passorum usibus decernimus applicari. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum et sigilli nostri regii appensione munitarum. Datum in civitate nostra Vienna, die decima quinta mensis Augusti Anno Domini millesimo, quingentesimo quinquagesimo septimo, regnorum nostrorum Romani vigesimo septimo, aliorum vero tricesimo primo.

FERDINANDVS.

I. Ionas, D. Vice-Cancellarius.

Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

M. Singkmoser.

Inaugurata est nova Academia die 2 Februarii anno 1558, tanta quidem cum religione, ut, qui publicas cerimonias et praesens vidit, et diserta epistola exposuit, Io. Stigelius [12]) uberrimam gratandi materiam habuerit. Integrum quatriduum cerimoniis fuit consecratum. Nam Ca-

12) Io. Stigelii Epistola, continens narrationem celebratae in hoc conventu pompae et spectaculorum, adiecta Eius Orationi de caussis, quare constituantur Academiae, habita Ienae in celeberrimo consessu illustrissimorum Ducum Saxoniae, Principum, Comitum, Nobilitatis et coetus scholastici, quum publica recitarentur privilegia et statuta Academiae Ienensis, II Februarii a. MDLVIII. Ien. 1558. 4. Stigelium, utpote aequalem et qui affuerat ipse solemnibus, in narratione ducem sequutus sum. Add. *Monatl. Nachrichten* etc. *Mai und Iun.* 1727. p. 258.

lendis Februariis, quibus solemnia sacra publice erant programmate academico indicta, quum esset in exspectatione adventus optimi Principis, Ioannis Friderici, Ducis Saxoniae, qui se interfuturum solemnibus per litteras significaverat, magno concursu non tantum ex finitimis regionibus, sed etiam ex compluribus exteris civitatibus populus confluxerat. Post meridiem igitur omnem coetum, qui iurisdictioni ac potestati academicae suberat, ex curia academica educit, adventumque exspectare Principis ante portam Ioanneam iubet Academiae Rector, Ioannes Schroeterus, in quem pietas collegarum hunc honorem detulerat. Nam aucto iam hoc tempore docentium numero, videtur ille una cum Strigelio, Stigelio et Schnepfio maxima auctoritate floruisse inter ceteros, qui doctores quidem numerabantur novae Academiae, sed doctrina, meritis, claritudine non pares illis habebantur. Omnino in hac Academia per longum tempus theologi, philosophi ac medici principatum tenuerunt: iuris consulti, qui olim, renatis in Italia litteris, et iuris schola ab Irnerio Bononiae constituta, domini appellabantur, in hac quodammodo serviisse, certe inferiores collegis fama fuisse, neque inter lumina Academiae relati videntur [15]). Mox Princeps obviam missis a senatu armatorum civium aliquot cohortibus in via publica exceptus, cum insigni et copioso equitatu ipse adveniens, ut Professorum agmen et coetum scholasticum conspicit, incitato equo extra ordinem appropinquat, singulos Professores benigne salutat, et peramanter appellat. Ibi Rector, ut erat constitutum, nomine ceterorum, magna cum reveren-

13)) Vt clarum nomen Ictis Ienensibus insererent scriptores, velut Zeumerus in Vitis Professorum Ienens. Class. II. p. 3. Gregorium Pontanum (aliis *Heinse*, aliis *Brück* dictum), inter doctores retulerunt, et primo etiam loco posuerunt:, qui non fuit Professor Academiae, sed Principi in ordinandis rebus academicis Cancellarius affuit. Primus ordinis Ictorum et scabinatus Ordinarius fuit Petrus Premus (*Breme*) a. 1561: cui iam eodem anno vicarius in illis muneribus adiunctus est Henricus Schneidewinus, ex Academia Ienensi paullo post Arnstadium evocatus ad Cancellariatum suscipiendum.

tia et oratione accommodata excipit Principem: princeps respondet humaniter, et detecto capite, vultuque ad comitatem composito, vehementer se laetari prosperis cursorum eventibus, et gratulari ecclesiae, si quid commodi et boni inde vel percepisset, vel inposterum perceptura esset, nec defuturum liberalitate et favore aut utilitati publicae, aut privato studio singulorum. Tum, signo dato, versus oppidum pompa procedit: iubente Principe, agmen litterarii ordinis, praecedente Rectore et Professoribus, praemittitur, cui ingens se officii caussa adiunxit copia hospitum, qui videndae tantae rei cupidi advolitaverant. Longo agmine procedere magna pars equitatus, comites, proceres et equestris ordinis homines: comitari Principem satellites, cursores pedestres cum flore nobilitatis et tironum ordine, qui stipendia merebant: denique subsequi pedestres copiae militari habitu instructorum civium cum infinita multitudine, ita, ut et magnificum esset et periucundum spectaculum. Princeps ipse, generoso invectus equo, ad latera habebat fratrem Guilielmum, Ducem Saxoniae, Principem aetate florentem, et Ernestum, Principem Hennebergensem, provectioris aetatis, Guilielmi filium. Tertius frater non erat in hoc coetu, sed suo stipatus equitatu una cum Nicolao Amsdorfio aliquot horis praevenerat. Ioanne Friderico hospitium ingresso, milites instructa in foro acie factisque cursitationibus simulacrum pugnae exhibent, armorum sonitu, sclopetrorum ictibus et acclamationibus laetitiam publicam contestati. Sic laeta laetis vespera supervenit. Postero die, sub auroram, quum de templo signum esset campanae pulsu datum, Rector, Professores ceterique Doctores et Magistri omnesque cives academici ex Salana (quae erat aedium academicarum appellatio), ternis pariter incedentibus, praestolati Principes, ex deversorio deducunt in templum oppidanum, magnifico ornatu instructum, musicisque resonans concentibus. Ibi, finito prooemio cantici, quo spiritus sancti auxilium imploratur, surgens Dux Io. Fridericus primum oratione Latina, ex tempore quidem, quod aequales testantur, fusa, sed apta ad rem, quae agebatur, et decora ad suam ipsius dignitatem, alloquitur

cives academicos, deinde recitare immunitatum formulam iubet. Recitavit Petrus Premus, D. Qua audita, Christianus Pontanus, Cancellarius, vernaculo sermone amplam habuit et plenam humanitatis orationem, qua Principis sui animum declarabat, ac Rectori tabulas tradidit, in quibus perscripta erat sententia privilegiorum. Denique alius ex familiaribus Principis, Stephanus Clodius, leges et statuta Academiae praelegit, praelectorum αὐτόγραφον Rectori ac Senatui reddit. His peractis, postquam consules oppidani scyphum argenteum deauratum et affabre exsculptum gratulabundi primo Rectori, de Academiae immunitatibus meritissimo, dono obtulissent, quem perdiu in familia illius servatum esse audivimus, Io. Stigelius, Academiae orator, prodiit, graviter et eleganter dicens de constituendis et conservandis Academiis, de dignitate et utilitate artium, de usu privilegiorum, de omni ratione disciplinae: qua in oratione tam generosum pectus spirat, ac litterarum litteratorumque dignitas ita libere defenditur, ut eam hodieque non tantum dignissimam lectu, sed argumentum eius totum animis insculpendum, sententias omnes et cohortationes, tamquam omen, accipiendas et sequendas putemus. Finitis sacris, Princeps in conclavi domus curialis, exquisitissime ornato, Professores Academiae omnes lauto atque opiparo epulo excipit, quod ex more illius aetatis spectacula equestria subsequuta sunt, varia, splendida, per duos etiam proximos dies, qui suis non caruerunt solemnibus, magno cum studio celebrata. Sed maior, certe utilior, palaestra fuit ingeniorum, quae quum iam antehac per decem annos in Paedagogio Ienensi exstitisset, nunc in Academia, felicissimis auspiciis inaugurata, novos in dies ac laetiores auctus capiebat.

Quod qui factum sit, hoc est, qualem ab exiguis profecta initiis Academia subinde fortunam, quae incrementa habuerit; quid ad eam augendam amplificandamque vel Principum virtus, vel praestantia doctorum, vel temporum opportunitas valuerit; quas vires nacta sit ex nobili conatu, in litterarum, praecipue sacrarum, tractandarum ratione saepenumero dissentiendi ab aliis Academiis, suamque, non calcatam aliis, viam perse-

quendi; quae potiſſimum adiumenta petierit a philoſophiae ſtudio, quod unum maxime ſemper coluit, et cuius bona in alias disciplinas derivavit; quae ornamenta ſumpſerit ex fama et gloria illorum, qui in ſingulis doctrinis familiam duxerunt: haec igitur aliaque eius generis ut diligenter enarrarem, et hiſtoriam Academiae usque ad eam, qua inſtaurata eſt, aetatem perducerem, inſtituti operis ratio ſane poſtulabat. Sed haec, ut ſatis digne tractentur, felicioribus temporibus ſervanda ſunt. Nam ad colligendam ornandamque antiquitatis memoriam non tantum ſtudio et doctrina opus eſt, verum etiam animi hilaritate, quam, toties a fortuna per hos noviſſimos annos tentatam, dum haec ſcribo [14]), orſamque telam pertexo, infeſtus quidam caſus tandem expugnavit. Itaque ſepoſitis his, quae ſponte ſusceperam, reliqua, quae ad impoſitum mihi negotium pertinent, paucis abſolvam.

Placuit enim ſereniſſimis Academiae noſtrae Nutritoribus, ut inde ab eo anno, quo inſtaurari hanc litterarum ſedem voluerunt, tamquam ab nova quadam eaque maxime memorabili illius aetate, annales academici conficerent, quibus conſervaretur rerum quotannis tum geſtarum tum ſcriptarum memoria. Quod inſtitutum et ſua ſeſe utilitate, et intelligentiſſimorum hominum auctoritate tuetur. Fuerunt enim poſt Morhoſium [15]) non pauci, qui optarent, ut in ſingulis Academiis acta

14) Scribebam d. 29 Maii a. 1822. Scripta illo tempore, mihique de manibus excuſſa, quod nunc demum in lucem prodeunt, non mea culpa id accidit, ſed operarum.

15) Morhofius in Polyhiſtore To. I. L. I. c. 16. p. 201 haec ſcripſit: *Hiſtoria ſpecialior Academiarum ab aliquo deducenda hactenus deſideratur: Nam, quamquam Franciſcus Iunius Middendorpius de Academiis Germaniae, alii de Academiis ſpecialibus, e. g. de Pariſienſi, Oxonienſi, Patavina, ſingularibus libris egerint; quamquam et Gregorius Leti de Academiis Italiae in Italia ſua regnante non modica inſpergat: revera tamen omnis ille labor mancus eſt et ſterilis. Optandum eſſet, ut hanc operam ſibi depoſceret vir prudens et doctus, et quemadmodum Conringius generalia Academiarum, ita ſpecialiora tum e variis de hoc argumento ſcriptoribus, tum e ſua experientia concinnaret. Et ſane quemadmodum olim Ariſtoteles rerump. hiſtoriam contexuit, quidni ſimili ratione liceret Academiarum, quae ſunt litteratorum res-*

diurna et perpetua (historias speciales vocabant) conscriberentur, unde rerum academicarum statum, conditionem, incrementa, vicissitudines et fata posteri cum voluptate cognoscerent, simulque grati recordarentur virorum clarissimorum, qui quibusque annis inter doctores atque patronos Academiarum, velut lumina et ornamenta, eminuissent. Quos annales necesse est tanto maiori fide dignos esse, quanto diligentius iuncto et consociato studio contexantur ab aequalibus, qui rerum gestarum non solum testes, verum etiam actores fuerunt. Istam vero consociationem operae quidni par sit vel exspectare vel poscere a viris bonis, qui tot inclarescendi in Academiis opportunitates hac lege sibi concessas cogitent, non ut de suis quisque vel commodis vel laudibus unice laboret (nam qui ne laudis quidem studio ducuntur, maluntque socordia pinguescere, quam inclarescere virtutibus, eos abiectos plane et contemptibiles existimamus), sed ut communem omnes omnium laudem, memoriam, famam, quantum possint, in lucem proferant, testimoniis suis augeant, et ad posteritatem commendent.

Itaque et olim Academiae nonnullae, velut Vitebergensis, Altorfina et Helmstadiensis, in eiusmodi annalibus condendis laudabilem operam posuerunt, et nostra aetate, praeter Bononiensem in Germania, Batavae potissimum litterarum Vniversitates, quo sunt celebritate clariores, eo magis curam illam actorum diurnorum ad se pertinere iudicaverunt. Sed institutum Bononiensium ab nostro diversum est, doctrinae potius quam historiae destinatum: qui a nobis inchoantur annales, similiores sunt annalibus Academiarum Lugduno-Batavae et Rheno-Traiectinae, quos Lipsiae nuper vidi, quum Bibliothecam academicam reviserem, nec sine voluptate percurri. Ad imitationem nihil ex iis vocare potui, pro-

publica, historiam tum e politicis, tum ex historia litteraria principia contexere? Praeclarum sane hoc et illustre argumentum, de quo nemini hactenus in mentem quicquam incidit: cui operi tamen exaedificando multa possint suppeditari hinc illinc subsidia, modo quis prudentiam et peritiam huic rei commodet.

praeterea quod, antequam illos inspicere licuisset, nostri conscripti iam erant, ac typographorum manibus traditi: quam rem vero maxime imitandam et sequendam censebam, ea librariis Batavis, non editoribus, debetur. Typorum dico elegantiam chartarumque munditiem ac nitorem: quibus librorum dotibus posthabendis non desinunt bibliopolae nostri fastidium movere exteris, atque paupertatem Germanicam tantum non ostentare. Qua de re iam Heynius in altera Tibulli editione graviter conquestus est. Sed quae ille a classicorum scriptorum editionibus arcenda putabat, sordidam et faeculentam chartam, obtusas et exesas litterarum formas, supine vitioseque excudendi scripta rationem, ea omnia Batavi etiam ab annalibus suis procul esse iusserunt. Neque id iniuria. Par est enim, annales Academiarum ita et aequalibus tradi, et propagari ad posteros, ut nemo umquam dicaculus exoriatur, qui, si externum habitum spectet, in memoriam revocet annales Volusi, quales Catullus notavit.

Sed revertimur ad propositum. Ne in nostra quidem Academia plane novum est hoc annalium institutum, quod Principes nuper sanxerunt. Ante hoc ipsum enim saeculum Io. Antonius Strubbergius, Osnabrugensis, diarium Salanum inchoavit[16], meliore tamen consilio, quam eventu. Propositum erat, singulis trimestribus acta Ienensia in lucem emittere, duas in partes divisa: quarum prima res quoque anno gestas, hoc est, disputationes, orationes, programmata, scholarum indi-

16) Libro, paucis hodie noto, hic index praescriptus est: *Diarium Salanum anni MDCCXX, in quo praeter acta literaria Academiae Ienensis stricte sic dicta, nempe disputationes, orationes, programmata, mandata, ut et lectionum catalogos et reliqua huc spectantia commemorantur atque traduntur I. observationes singulares varii generis, II. sciagraphiae librorum typis nondum exscriptorum, III. varia nova Literaria, IV. Miscellanea quaedam historiam Academiae Ienensis antiquiorem illustrantia etc. opus quod innocentissimo et integerrimo consilio in Academiae Salanae ornamentum, doctissimorum virorum oblectamentum et studiosae iuventutis alimentum evulgare suscepit Ioh. Anthon. Strubberg, Osnabrugensis. Ienae et Lipsiae, impensis I. M. Gollneri.*

ces, edicta et rescripta honorumque publice tributorum ornamenta ordine chronologico complecteretur, altera haberet res ad collegium Academicorum non proxime spectantes, velut varii generis observationes, catalogos librorum nondum aut plene elaboratorum, aut typis exscriptorum, tum indices scriptorum, quae in Academia Ienensi vel composita, vel typis certe impressa essent, denique appendicis loco seriem Rectorum et Professorum Ienensium, programmatum olim editorum et aliorum, quae ad antiquiorem Academiae historiam illustrandam facerent. Et rogavit vir optimus Professores, Doctores, Magistros aliosque, qui emolumentum Academiae curarent, precibus quam humanissimis, ut operae, in Academiae Salanae (ut ait, nam ipsis eius verbis utimur) ornamentum, doctissimorum virorum oblectamentum ac studiosae iuventutis alimentum suique ipsius solatium, innocentissimo atque integerrimo consilio susceptae, manus auxiliatrices admovere ne recusarent. Neque enim sine adminiculo aliorum quicquam sperabat in hoc genere effici posse, quod operae pretium videretur. Quae preces quid valuerint illo tempore apud doctores Ienenses, nescimus: illud scimus, non contigisse industrio homini, ut diarium suum ultra primum anni illius trimestre produceret. Qui si progressus in opere, annuum certe spatium annalibus comprehendisset: quanta nobis et quam frugifera suppeteret copia componendi, aequiparandi, iudicandi, quum ipsum illud brevissimum tempus, quo diarium terminavit, non modo ad rerum cognitionem uberrimum, verum etiam maxime salutare ad comparationem reperiatur. Vnum de multis attingam. Quamquam Strubbergius non nisi programmata eminentiora, quae vocavit, et publicas orationes scholarumque indices typis repeti iussit, quo illis ab interitu et oblivione caveret, dissertationes autem inaugurales, quarum summaria tantum et brevem ἐπίκρισιν proposuit, integras communicare cum eruditis in sua potestate non fuisse conqueritur: tamen quae vel integra vel excerpta dedit, eorum tanta est multitudo, ut numerum tricenarium excedant: quo cum trimestri proventu si conferatur eiusmodi scri-

ptorum, quae totis hodie luſtris emittuntur, paucitas, apparet, ſapienter feciſſe Principes noſtros, qui hoc ſcriptionis academicae inſtitutum novis nuper legibus ab neglectione vindicarent.

Longo centum fere annorum interiecto ſpatio, quo, qui ad annales Academiae Ienenſis ſcribendos animum appelleret, nemo exſtitit, tandem Strubbergio privato privatim ſimilem aggreſſus laborem ſucceſſit Geo. Theophilus Güldenapfelius noſter, Philoſophiae Profeſſor. Ac protulit vir clariſſimus fines, quos ſuo Strubbergius operi poſuerat, nec tantum Academiae, verum etiam Gymnaſiorum et ſcholarum, quae conſtituta ſunt ab quattuor Ducibus Saxoniae, hiſtoriam et annales componere voluit. Sed ea quoque res, quod ſane dolendum eſt, neſcio quomodo, intra conſilium et promiſſorum ſpem ſtetit: unum in lucem prodiit libri volumen [17]), quod totum eſt in una Academiae Ienenſis hiſtoria, neque annalium illorum, quos exſpectare nos auctor iubebat, niſi aliquod veſtibulum aperit.

Quod privatim non ceſſerat, quum inſtitui publice vellent sereniſſimi Principes, vix poterat ullum huic rei opportunius deligi tempus, quam quo illorum ad nos mandata perlata ſunt. Nam quod res nova non illico ad eventum perducta, quod adeo per aliquot annos protracta fuit, id accidit more Academiarum, in quibus, quo plures deliberant, decernunt, agunt, eo lentius feſtinatur, praeſertim quum cunctatores ſatis ſint excuſati dicto illo, quod Octavius iactare ſolebat: *ſat celeriter fieri, quicquid fiat ſatis bene.* Mox ad iſtam moram, quam nemo paullo humanior ſcriptori imputabit, nova et maior et diuturnior acceſſit a tarditate operarum, quae, dum haec excudebantur, diſtractae et velut diſſipatae erant inter plures labores. Sed illa, qua inſtitutum hoc imperabatur, tempeſtate exſtiterant, qui vel omnino de Germaniae Academiis temere ac

17) *Litterariſches Muſeum für die Groſsherzogl. Herzogl. Sächſ. Lande. Bd. I. Mit Kpfrn.* Etiam hoc titulo: *Ienaiſcher Univerſitäts-Almanach für das Iahr 1816. Iena, 1816.* 12.

praecipitanter, vel de noſtra inique ſiniſtreque iudicarent. Extiterant, qui famam huius ſcholae calumniis contaminarent, et Muſis Ienenſibus

haerentem capiti multa cum laude coronam

detrahere conarentur. Exorti erant, qui veſania quadam et furore abrepti [18]), quum neque ſingulos a ſingulis, nedum ſingulos ab univerſis, diſcernere ac ſeiungere curarent, de omnibus omnino doctoribus academicis non modo ſuſpiciones movere, ſed etiam improbiſſimos rumores diſſeminare, multasque in eos et atroces verborum contumelias evomere auderent. Quae ne irritae caderent, impudentiſſime neſcio quae fatalia prodigia portentaque clamabant, quibus (magno loquor cum dolore) in ipſis illis Muſarum ſacratiſſimis ſedibus, quas Germania tot per annos tanta cum cura et ſtudio fovit, legum occaſus, morum ruina, publicae tranquillitatis interitus portenderetur. Litteris quidem et artibus, quibus ſubita ſaepe numero a perverſitate ſaeculi calamitas oritur, nil videntur metuiſſe iſti, ſive quod a ſtudio illarum abhorrerent, ſeu quod ad eas nihil pertinere cenſerent opinatam coniurationem, mox ſcilicet erupturam ad perniciem regnorum et civitatum vaſtitatem. Academias unice, litterarum domicilia, criminabantur, accuſabant, condemnabant. Quibus vociferationibus ne quis meticuloſior perturbetur, quotquot Academiis non magis quam veritati ſtudent, diligenter cognoſcant ſerioque ponderent, quae in Academiis aguntur; explorent conſilia et voluntates doctorum; inquirant diſcentium, non paucorum quidem, quos fortaſſe iuvenilis ardor recta via abduxit, ſed plurimorum, ſed optimorum, propenſiones, ſtudia, facta; denique annales academicos inſpiciant. Intelligent, opinor, aut nihil eſſe, de quo adverſarii tantopere tumultuentur, aut cer-

18) Haec ne quis nimis aſpere et vehementer dicta exiſtimet, legat C. M. E. Fabritii librum: *Ueber den herrſchenden Unfug auf Univerſitäten, Gymnaſien und Lyceen, oder Geſchichte der akademiſchen Verſchwörung gegen Königthum, Chriſtenthum und Eigenthum*, *Mainz* 1822. 8. Ita vero ſi noſtrates furunt, quis bacchantes miretur exteros?

te non tantum, quantum persuadere imperitis captiosa oratione volunt. Nobis autem, quanto maximo studio possumus, in eo elaborandum est, ut illi ipsi pertinaciter infensi et maledici obtrectatores rebus nostris vel inviti consulant: quae una est, uti certissima, ita maxime generosa ulciscendae iniuriae ratio. Quamobrem, ne quid dissimulem, videtur mihi valde optandum esse, Academiis ut numquam desint adversarii, per quos metus periculorum semper aliquis immineat, rebus tamen salvis, quo acuatur cavendi studium, observandi diligentia excitetur, augeatur attendendi cura, omnisque torpor ac securitas ab Academiis arceatur atque prohibeatur. Quam curam et cautionem etiam annales adiuvabunt, dummodo recte, hoc est, sine ira et studio et scribantur et legantur.

Argumentum illorum quale sit, per se intelligitur. Namque ea omnia comprehendit, quae in Academiis et spectamus maxime, et spectari volumus. Principes sunt, quorum auspiciis Academiae florent: magistri sunt, qui doctrina sua et eruditione eas illustrant: cives sunt, qui discendi caussa in iis versantur. Itaque primum exponendum est de iis, quae a serenissimis Principibus in hac Academia sapienter provisa, imperata, constituta sunt: in quo amplam dicendi materiem ille potissimum, quem dixi, annus instaurationis suppeditat. Deinde magistrorum munus quum et docendo et scribendo contineatur, contineri certe debeat, producendi sunt ii, qui vel a Principibus vocati, vel a singulis Academiae Ordinibus docendi potestatem adepti, semestres scholas aperuere, additis honoribus et magistratibus, quos publice gesserunt; ex indicibus lectionum, qui civibus eduntur, proferenda sunt argumenta et ordo scholarum; scripta publica, hoc est, ad Academiae rationem spectantia et academicis sumptibus excusa, quae adhuc exiguis foederatarum Academiarum finibus includuntur, annalium ope ad notitiam complurium celebranda, et tamquam in maius theatrum, etiam apud exteros, producenda, cetera, quae academici vel doctores librariorum curae impensisque committunt, vel tirones speciminum loco proponunt, per an-

norum seriem memoranda, et sua quodque inscriptione deinceps consignanda sunt. Denique civium edendus est numerus, qui apud Prorectores, quoque semestri creatos, nomina sua professi, legibus academicis fidem et obedientiam promiserunt; quae vita, quae studia, qui mores fuerint, edicendum, ac si quid praeterea notabile dignumque publica memoria evenerit, diligenter et bona fide adiiciendum.

Hoc argumentum est annalium; hic rerum tractandarum ordo: a quo si paullulum discessisse me fateor in hoc primo volumine, non ea confessio est veniam orantis, sed grata inde enascitur mihi opportunitas exsolvendi debitum, quo collegae me mei per humanitatem suam obstrinxerunt. Nam quum et nostra et exterorum interesse videretur, in ipsa fronte operis proferri nomina virorum, qui, quicquid per hos annos in Academia gestum est, gesserunt: ut libro possem hoc πρόςωπον praeponere, Pindarico illo ornandum vocabulo, ni qua partis primae particula ad me pertineret, illi ipsi viri, quorum caussa agebatur, benevole effecerunt. Rogati enim suas vitas composuerunt, compositas mihi tradiderunt, eaque re et scriptorem annalium et lectores demeruerunt. Sed, perlectis vitis, ne quis aut inaequalitatem narrationis, aut stili dissimilitudinem reprehendat, vitioque vertat editori, aliae mihi vitae traditae sunt patrio sermone conscriptae; has Latinas facere tentavi: alias Latine scriptas accepi; eas, sicubi opus videbatur, ad meam qualemcumque scribendi consuetudinem revocavi, servato tamen, quantum fieri posset, ingenio et quasi charactere cuiusvis auctoris: aliae denique ita breviter et ψιλῶς exaratae magis erant quam compositae, eiusque ψιλότητος tam manifestum studium prae se ferebant, his ut artem quamdam adhibere, etiamsi potuissem, nefas existimarem.

Quam dixi scribendi consuetudinem, eam intelligi volo, nobiliore illo sensu, quo ad formam et leges orationis spectat. Sed curanda etiam erat scribendi ratio ea, quam orthographiam vocant, ne eodem in libro, qui multorum symbolas continet, *litterae* et *literae*, *auctor* et *autor*, *sequutus* et *secutus*, *afficio* et *adficio*, et sexcentae huius

generis discrepantiae concurrerent, quibus, quo quis oculatior est lector, eo magis offenditur. Aerumnabilis fuit labor, vix dignus ille nostris studiis et hac aetate: sed exantlari eum oportuit, quum, qui nos in corrigendis speciminibus typographicis adiuvaret, praeter librarium, venditorem operis, Academiae sumptibus excusi, nemo inveniretur. Ac processit scrupulosa ista cura et diligentia usque ad paginam 320, in qua et oculi me et animus deficere coeperunt. Quamquam ne in iis quidem plagulis, quas recens a scribendo diligentissime legi ac bis, ter relegi, operae mihi satis fecerunt, ut me poeniteat tot bonarum horarum, quas perdidi in hoc pistrino. Nam in mea ipsius vita residere operarum vitia animadverti [19]). Quo magis condonabit aequitas lectorum, si quid aut commissum aut omissum deprehendant in ceteris.

Sed haec fortasse multis leviora videbuntur. Illud gravius est, quod in his scribendis annalibus maxime cavendum putavi, ne materiem superare opus videretur. Quapropter gesta simpliciter retuli, nil oratione supra rem veritatemque auxi vel exornavi, scribendi autem eam sum rationem sequutus, quam et consilium operis et imperata scribendi festinatio poscebat. Cuius etiam excusatione, speravi fore, ut ieiuna et tenuis scriptionis ratio facilius defendatur. Nam nemo me melius scit, quantum supersit in hoc libro refingendum, limandum, expoliendum, ut argumenti gravitatem exaequet. Neque ego, ut ad crimen audaciae amoliendum amplius profitear, hoc scribendi negotium aut sponte suscepi, aut a decessoribus traditum, una cum professorio munere recepi: novum nuper tamquam corollarium accessit provinciae, quam Principum nostrorum indulgentia ante hos viginti quinque annos mihi demandavit.

---

19) Pag. 55. l. paenult. pro 1803 leg. 1783. pag. 57. l. 10 pro *quartus* leg. *quintus*; pag. 40. l. 18 pro *proditas* leg. *proditos*, et versu, qui praecedit, post *Flaviano* delendum est comma. — Tum pag. 105. l. paenult. post *pacti* excidit verbum *caussa*; pag. 116. lin. ult. pro *dicendi* l. *discendi*.

Tametsi vero non ignorabam, quantum hoc esset oneris, quod imparibus humeris imponeretur, nolui tamen detrectare, ne aut Principum iussis minus audiens, aut parum officiosus erga Academiam existimarer; sed recepi subtimidus, nec tam sustinendi spe, quam experiendi voluntate. Iam si, quod vereor, eveniat, ut consilio parum respondisse eventum iudicent, qui antehac verecundantem incitaverunt, lubenter equidem hanc certe lampada in academico cursu tradam aliis, meque et nobilitate ac praestantia eorum, qui accipient, et mea perpetua atque constanti in Academiam voluntate, etiamsi coeptis atque optatis non faverit fortuna, consolabor.

PARS PRIMA

CONTINENS

VITAS DOCTORVM

QVI NVNC QVIDEM IN VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI

LITTERAS ET ARTES PVBLICE PRIVATIMVE TRADVNT

VNA CVM

LIBRORVM AB IPSIS EDITORVM

ET

SCHOLARVM QVAS INSTITVVNT

ACCVRATA ENVMERATIONE.

I.

PROFESSORES ORDINARII THEOLOGIAE.

IOANNES PHILIPPVS GABLER,
Theol. D. et Professor Primarius.

Natus est Francofurti ad Moenum d. 4. m. Iun. a. C. 1753. Primis quidem aetatis annis domestica institutione usus, decimo pueritiae anno ad publicam in gymnasio patrio percipiendam accessit, primis linguarum ac bonarum litterarum initiis satis imbutus, duce inprimis Purmanno, Gymnasii Rectore. Anno saeculi 72 tempore auctumnali Ienam migravit, theologiae imprimis operam daturus, ibique per sex annos in omni scientiarum, quae theologum ornant, genere optimis usus magistris, in excolendis sanctioribus litteris disciplinae Danovii, Griesbachii et Eichhornii sese maxime tradidit. Quo peracto vitae academicae sexennio, anno 1778 mense quidem Octobri summos in philosophia honores nactus, defensa publice dissertatione exegetica in locum difficilem Ebr. III, 3 — 6, in patriam ad aliquod tempus rediit, ubi per tria semestria in patria domo commoratus, superato examine theologico, sanctiores litteras discendo, docendo et pro concione disserendo altius penetrare studuit. Anno 1780 sub tempus vernum Goettingam profectus, accepta a Ven. Theologorum Goettingensium Ordine sparta sodalis collegii Repetentium (quos vocant), atque impetrata a Philosophorum Ordine venia publice docendi, praeter Graecas Romanasque litteras interpretandis libris sacris imprimis operam dedit, donec vergente anno saeculi 83 Tremoniam in Guestphalia evocatus, ad munus Professoris ac Prorectoris in Archigymnasio in hac urbe florente capessendum per biennium se totum daret litteris ab humanitate profectis. At exeunte anno 1785 revertit iterum ad studia theologica acrius persequenda, postquam in Academiam Altorfinam ad duplex munus et Professoris Theologiae ordinarii et Diaconi in ecclesia

oppidana obeundum demigrasset. Pro more in Academiis solito post ventilatam publice dissertationem inauguralem d. 21 m. Iun. A. 1787 de Iacobo epistolae eidem adscriptae auctore, in sollemnibus Petro-Paullinis eiusdem anni Doctor theologiae creatus est *). A. 1793 b. Iungio, qui tum secundum in Ord. Theol. locum tenebat, Norimbergam translato, in secundum hunc locum et Archidiaconatum successit, atque in hac provincia duplici cum voluptate haesit usque ad annum 1804. Per hanc undeviginti annorum decursum universum fere disciplinarum theologicarum ambitum docendo complexus est, atque praeter alios libros libellosque praesertim ab a. 1798. 12 tomos *diarii theologici novissimi*, cuius fere dimidia pars a se ipso elaborata est, edidit. — Sed ab anno 1804 nova ipsi ineunda erat vitae ratio ac novum stadium academicum percurrendum. Gratia enim serenissimorum Saxoniae Principum in academiam Ienensem evocabatur ad obtinendum secundum in Theologorum Ordine locum, cui quo adscriberetur, publice defendit m. Febr. A. C. 1805 dissertationem de episcopis primae ecclesiae Christianae eorumque origine. Denique mortuo b. Griesbachio primum ordinis locum anno 1812 obtinuit. Quibus honoribus accessit, quod a Principe serenissimo Vimariensi anno 1804 dignitate consiliarii ecclesiastici ornaretur, atque anno 1817 a serenissimo Gothano iuberetur, ut ipsi esset ab intimis Consistorii consiliis. — Quare hoc imprimis in hac Academia datum sibi esse existimavit, ut docendo iuventutem studiosam pro viribus adiuvaret, nec multum scribendo tempus institutioni academicae praeriperet.

Ex quo (a. C. 1804) in hanc litterarum sedem migravit, in omnibus fere disciplinis theologicis erudire studuit iuventutem academicam. Tradidit enim non modo doctrinas theologicas ipsas, tam dogmaticas, dogmatico-historicas et biblico-theologicas, praetereaque et christologicas Vet. Test. quam disciplinam morum et philosophicam et christianam, verum etiam propaedeuticas, nempe encyclopaedicas, methodologicas ac litterarias in universam theologiam, deinde isagogicas historicas et criticas in N. T. libros, atque imprimis scholas exegeticas habuit in omnes N. T. libros. Quibus nonnumquam addidit, ubi opus esse videbatur, exercitia disputatoria, homiletica et catechetica. Denique anno huius saeculi decimo septimo constitutus est a Serenissimis Nutritoribus Director Seminarii *theologici*, quo per quodvis semestre moderari solet exercitia et disputandi, et commentandi de rebus theologicis, et interpretandi libros sive veteris sive novi instrumenti.

---

*) Nec forte memorata indignum sit, eum ultimum fuisse Doctorem theologiae, qui in Academia Altorfina sollemniter, etiam cum pompa quadam, in festo Petro-Paulline crearetur.

Qui plura scire cupiat, adeat eos libros, in quibus haec vita fusius descripta reperitur, vel saltem nonnulla afferuntur, quae hic consulto, ut brevitati studeamus, praetermissa sunt. Huc pertinent 1) (*Müller*) *Schattenrisse der ietzt lebenden Altdorfischen Professoren etc. Altdorf.* 1790. 8. *p.* 17 *seq.* 2) *Beyer's Magazin für Prediger. B. X St.* 6. 1794. 8. *p.* 118 *sqq.* 3) *Will's Nürnberg. Gelehrten-Lexicon fortgesetzt von Nopitsch, Th. V.* 1802. *in* 4. *p.* 383 *sqq. u. Th. VIII.* 1808. 4. *p.* 453 *sqq.* 4) *Güldenapfel's literarisches Museum u. s. w.* quod idem inscriptum est: *Ienaischer Universitätsalmanach für das Iahr* 1816. *B.* 1. *p.* 90 *sqq.*

Denique quod ad effigies vultus aeri incisas attinet, tres hucusque exstant. Prima, eaque accuratior, a. b. Müllero in libr. (*Schattenrisse d. Altdorf. Profess.* etc.) delineata *umbram* modo repraesentat. Duae reliquae effigies ad vivum quidem delineatae sunt, altera a *Bockio* (artifice Norimbergensi) efficta, quae *Beyeri Magazin f. Prediger. B. X. St.* 6. praefixa est; altera autem ab *Hessio* (artifice Ienensi) facta, quae in fronte libri supra laudati: *Ienaischer Universitäts Almanach*, conspicitur: sed neutram vultum accurate referre, etsi ei non prorsus absimilem, iudicant alii.

INDEX LIBRORVM AC LIBELLORVM.

1) Diss. exegetica in illustrem locum Hebr. III, 5—6. Resp. Theodor. Frid. Volz, Badensi, Jen. 1778. 4. —
2) Diss. critica de capitibus ultimis IX—XIII posterioris epistolae Pauli ad Corinth. ab eadem haud separandis. Goetting. 1782. 8. maj.
3) Tres priores plagulae editionis Volborthianae libri: *G. T. Zachariae* paraphrastische Erklärung der Briefe an die Corinther. Th. I. Goett. 1784. 8. p. 1—48.
4) Revision des Campischen neuen metaphysischen Beweises für die Unsterblichkeit der Seele. Eine Einladungschrift. Erste Abtheilung. Dortmund, 1784. 4. Derselben zweyte Abtheilung. Ebend. 1785. 4.
5) Einsegnungsrede bey dem Sarge des Herrn Christoph Andreas von Fürer. Altdorf. 1786. 4.
6) Prolusio exegetica in locum difficilem Gal. III, 20. Alt. 1787. 4.
7) Orat. de iusto discrimine theologiae biblicae et dogmaticae, regundisque recte utriusque finibus. Ibid. 1787. 4.
8) Diss. theol. inaug. de Iacobo, epistolae eidem adscriptae auctore. Ibid. 1787. 4.
9) Entwurf einer Hermeneutik des N. T. Altd. 1788. 4.

10) Entwurf einer historisch-kritischen Einleitung in das N. T. Ebend. 1789. 4.
(N. 9 et 10 continent non nisi indices paragraphorum in usum praelectionum.)

11) Vorrede zur Sammlung einiger Predigten. Nürnb. und Altdorf, 1789. gr. 8.

12) J. G. Eichhorn's Urgeschichte. Herausgegeben mit Einleitung und Anmerkungen. Erster Theil, Altd. und Nürnb. 1790. 8. Derselben zweyten Theil's erster Band. Einleitung zum zweyten Theil der Urgeschichte. Ebend. 1792. 8. Derselben zweyten Theil's zweyter Band. Zweyter Theil der Urgeschichte mit Anmerkungen. Ebend. 1793. 8.

13) Oratio de librorum ecclesiae symbolicorum et legis regiae pro tuenda eorum auctoritate Leopoldo II. scriptae (Wahl-Capitulation Art. II, §. VIII) iusta ratione ad libertatem coetibus evangelicis propriam. Alt. 1791. 4.

14) Vorrede zu V. K. Veillodter's zwey Predigten über die kräftigsten Beruhigungsgründe der Christen bey dem Tode. Nürnb. 1792. 8.

15) Einsegnungsrede bey dem Sarge des Hrn. D. Ioh. Bernhard Hoffer's. Altd. 1792. 8.

16) *Annotationes* sequenti libro contentae: Erläuternder Beytrag zu Hn. Hofr. und Prof. Eichhorn's in Göttingen und Hn. D. und Prof. Gabler's in Altdorf Urgeschichte zur immer besseren Einsicht der Schöpfungsgeschichte, nebst der von Hn. D. Gabler auf die Communication meiner Ms. mir zugeschickten Noten und einiger meiner Gegenerinnerungen von *I. Ch. Eschenbach.* Bayr. 1795. 8.

17) Neuer Versuch über die Mosaische Schöpfungsgeschichte aus der höheren Kritik. Ein Nachtrag zum ersten Theil seiner Ausg. der Eichhornischen Urgeschichte. Altdorf und Nürnb. 1795. gr. 8.

18) Theologisches Gutachten über die Zulässigkeit der Ehe mit des Vaters Bruders Wittwe. Nürnb. und Altd. 1797. 8.

19) Oratio de Theologorum Altorfinorum per hoc saeculum meritis eorumque iusta aestimatione, quam in memoriam saecularem Altorfini Theologorum Ordinis in anniversaria panegyri Petro-Paulina a. d. 29. m. Iun. 1797. recitavit. Norimb. 1797. 4.

20) Wie ein rechtschaffener christlicher Lehrer nach dem Muster Iesu seine Religionsvorträge einzurichten habe? Eine Abschiedspredigt gehalten in der Stadtkirche zu Altdorf am Trinitatisfeste. Altd. 1804. 8.

21) De Episcopis primae ecclesiae Christianae eorumque origine. Diss. theologica. Ien. 1805. 4.

22) Vorrede zu I. W. Loy's Auszug aus Ch. W. Oemler's Repertorium über die Pastoraltheologie und Casuistik für angehende Prediger. Th. I. Kempten, 1805 gr. 8.

23) Progr. novarum curarum in locum Paulinum, II Cor. V, 14—21. Partic. I—IV. Ien. 1805—1807. 4.

24) Programmata paschalia IV. in locum Ioh. I, 29. Meletema I, Ien. 1808. Melet. II. 1809. Melet. III. 1810. Melet. IV. 1811. 4.

25) Programmata II. in quibus examinatur *Forbigeri* sententia de presbyteris aetate Apostolorum. Sectio prior. Ien. 1811. Sectio posterior. 1812. 4.

26) Programmata II. pentecostalia. Quo argumentandi genere usus sit auctor ep. ad Ebr. C. V. v. 5. 6. Quaestio prior. Ien. 1814. — Quaestio posterior. 1815. 4.

27) De tenuibus initiis, vera natura et indole doctrinae evangelicae per Lutherum instauratae variisque illius ad nostra usque tempora vicissitudinibus atque multiplici usu ex hac doctrinae evangelicae indole ac historia capiendo. Oratio, quam, in memoriam saecularem instauratae ante hos trecentos annos per Martinum Lutherum doctrinae evangelicae, auctoritate Ordinis Theologorum Ienensis d. 3 m. Novembr. A. C. 1817 in templo academico recitata. Ienae, 1818. 8.

28) Programma pentecostale, quo in αὐθεντίαν epistolae Publii Lentuli ad Senatum Romanum de Iesu Christo scriptae inquiritur. Ien. 1819. 4.

29) Vorrede (über die Frage: ob die Socinianer auch zu den Protestanten gehören?) zu I. I. C. Zerrenner's neuem Versuch zur Bestimmung der dogmatischen Grundlehren von Offenbarung und heiliger Schrift nach dem System der Socinianischen Unitanier. Iena, 1820. 8.

30) Neuestes theologisches Iournal. XVII. Voll. et Vol. XVIII. sectio I. Altorfii et Norimbergae, 1798 — 1811. 8., quod opus litterarium societati quidem clarissimorum Germaniae theologorum debetur, sed ab editore non modo adornatum, verum etiam magnam partem profectum elaboratumque est. Prodiit autem hoc opus sub variis titulis ex voluntate redemtoris librarii, Monathii et Kussleri. Prima sex volumina hunc etiam titulum prae se ferunt: Neues theologisches Iournal. Herausgegeben von C. F. Ammon, H. C. A. Hänlein und A. E. G. Paulus. Fortgesetzt von Ioh. Philipp Gabler. Iahrgang 1798 — 1800, oder Band 12 — 17. Proxime sequentia sex volumina (Neuestes theol. Iournal. B. 7 — 12.) etiam inscripta sunt: Iournal für theologische Literatur. Herausgegeben von D. I. P. Gabler. B. 1 — 6. oder Iahrgang 1801 — 1804. Sex ultima Volumina prodiere ita inscripta: Iournal für auserlesene theologische Literatur etc. Nürnberg 1805 — 1811.

In hoc diario theologico ab editore sequentes elaboratae eique insertae sunt *commentationes:*

1) Ausführliche Nachricht von der Fortsetzung des theologischen Iournals. Steht im Neuesten theologischen Iournal, B. I, S. 1 — 33.

2) Ueber den Engel, der nach Luc. XXII, 43. Iesum gestärkt haben soll. Ebend. S. 217 — 460.

3) Ueber die Verklärungsgeschichte Iesu. Ebend. S. 511 — 550.

4) Historisch-litterar. Nachtrag zu einer grammatischen Bemerkung über I Ioh. V, 7. 8. Ebend. S. 605 — 617.

5) Ueber die Einschränkung der kanonischen Auctorität der Apostel auf wesentliche Religionswahrheiten als Resultat einer exegetischen Observation. Ebend. B. II. S. 94 — 97.

6) Ueber die Stelle Ioh. XVII, 5. Ebend. S. 179—185.

7) Ueber die Recension des Cod. Vatic. 1209 f. B. in dem Evang. Matthäi. Ebend. S. 414—421.

8) Ueber die Anordnung des letzten Passahmahl's Iesu. Matth. XXVI, 17—19. Marc. XIV, 12—16. Luc. XXII, 7—13. Ebend. S. 441—471.

9) Ueber die Frage: ob Iesus wirklich das Osterlamm gegessen habe? Ebend. S. 472—484.

10) Neuer Versuch über Gal. III, 20. Ebend. B. III. S. 341—361.

11) Ueber den Anfang des Passahfestes bey den älteren Iuden. Ebend. S. 453—463.

12) Kritische Prüfung der beiden Lesarten παραβουλευσαμενος und παραβολευσαμενος, Phil. II, 30. Ebend. S. 504—517.

13) Vorbericht zu B. IV, S. 1—10.

14) Ob in Paulus Briefen überall κυριος Gott und ὁ κυριος Iesum bedeute? Ebend. S. 11—24.

15) Einige Bemerkungen über die Religionsvereinigung der Lutheraner und Reformirten, in welchem Sinne und unter welchen Bedingungen sie möglich und thunlich sey? Ebend. S. 58—67.

16) Einige Hauptgründe gegen die Ewigkeit der positiven Höllenstrafen. Ebend. S. 142—145.

17) Vorbericht zu B. V. S. 1—16.

18) Ueber den ersten Erfinder der Lüge, dass der Kurfürst Johann von Sachsen kurz vor seinem Tode zur katholischen Religion zurückgekehrt sey. Ebend. S. 151—156.

19) Kritische Untersuchung über den Text des Cod. Uffenbach. 2. (Wetsten. 53.). Ebend. S. 326—331.

20) Ueber den Unterschied zwischen Auslegung und Erklärung erläutert durch die verschiedene Behandlungsart der Versuchungsgeschichte Iesu. B. VI. S. 224—242.

21) Vorbericht zu B. VII. S. 1—16.

22) Kurze Prüfung einiger philosophischer Hauptgründe gegen die Wunder nebst etlichen anderen Ansichten dieses Gegenstandes. Ebend. S. 187—206.

23) Ueber die Gränzen der Kirchengewalt protestantischer Consistorien und Kirchenvorsteher über die Religionslehrer in Glaubenssachen. Ebend. S. 449—531.

24) Hat die Ebnerische Handschrift des N. T. das erste Kapitel Matthäi oder nicht? B. VIII. S. 1—16.

25) Literarischer Nachtrag zu P. I. Bruns Aufsatz über die vorgebliche Verwandschaft der Iuden und Spartaner, steht B. VIII. S. 424—438.

26) Nachtrag zu M. I. C. Bertram's Aufsatz über die erste Ausgabe der teutschen kath. Confutation der Augsb. Conf. Ebend. 443—446.

27) Vorbericht zu B. IX. S. 1—14.

28) Ueber die Nothwendigkeit des Todes Iesu aus rationalistischem Gesichtspunkte betrachtet, Ebend. S. 262—266.

29) Ueber die Gründe des jetzt herrschenden Nichtglaubens an eine unmittelbare göttliche Offenbarung. Ebend. S. 272—314.
30) Ueber die Ebnerische Handschrift des N. T. Ein Nachtrag. B. X. S. 217—235.
31) Ueber den richtigen Gesichtspunkt der Stelle I Petr. III, 18. 19. S. 426—448.
32) Nachtrag zu dem Aufsatze über I. Petr. III, 18. 19. S. 449—464.
33) Ueber den biblischen Begriff der Rechtfertigung. S. 613—616.
34) Ueber die Methodik des Wunderbeweises. S. 637—641.
35) Vorbericht zu B. XI. S. 1—16.
36) Ueber I. Petr. III, 18. 19. an Hn. D. Vogel. S. 451—466.
37) Vorbericht zu B. XII. S. 1—6.
38) Wann ist eine vollendete Einleitung in das N. T. zu erwarten? S. 292—394.
39) Vorrede zu B. XIII. (Vorrede zu Bd. I. des Iournals für auserlesene theologische Literatur. Nürnb. 1805. 8.) S. 1—12.
40) Nachtrag zu dem Aufsatze eines Ungenannten: Ueber das Christenthum. S. 671—676.
41) Ist es erlaubt in der Bibel und sogar im N. T. Mythen anzunehmen? B. XIV. S. 43—53. (Iourn. für auserles. theol. Lit. B. II.)
42) Vorrede zu B. XV. S. 1—4. (Vorrede zu B. III. des Iournals für auserlesene theol. Lit. Nürnb. 1807.)
43) Ueber die wichtige aber bisher ganz vernachlässigte Leseart ἀνθρωποι 1 Cor. III, 4. S. 182—193.
44) Ueber die Wiederbelebung des Lazarus, Joh. XI. Ebend. S. 223—285.
45) Ob in der Stelle der Mischnah Tract. Pesachim K. VIII. §. 8. ein Beweis für die Proselytentaufe unter den Iuden enthalten sey. S. 436—440.
46) Wozu soll jetzt noch eine Vergleichung der ehemals Heidelbergischen, jetzt Vaticanischen, Handschriften des Bibliothekars Anastasius über die Sage von der Päpstin Iohanna dienen? S. 475—531.
47) Ueber Religionsunion, S. 637—650.
48) Vorrede zu B. IV. des Iournals für auserlesene theol. Literatur (Neuest. theol. Iourn. B. XVI.) S. 1—6.
49) Nachtrag zu der Abhandl. über die Sage von der Päpstin Iohanna (B. III. St. 3.) S. 7—17.
50) Nachtrag zu dem Aufsatz über die proiectirte Religionsunion der katholischen und protestantischen Kirche (B. III. St. 3.) S. 17—33.
51) Ueber das Original der katholischen, besonders teutschen Confutation der Augsburg. Confession und deren älteste Ausgaben. S. 465—548.
52) Auch ein Wort über theologischen Synkretismus. B. V. des Iournals f. auserlesene theol. Literatur. S. 600—634.

53) Schlufsbemerkung zu Bruns Nachtrag zu der Abhandlung über die Sage von der Päpstin Iohanna. B. VI. des Iourn. f. auserlef. theol. Literatur S. 95—102.

Huc etiam pertinet *magna copia* recenfionum criticarum in hoc diario theologico *noviffimo* contentarum, earumque notis *G—r.* vel †. fignatarum.

---

30) In Henckii Promptuario (Magazin für Religionsphilofophie, Exegefe und Kirchengefchichte) B. VI. p. 1—9. commentatio ἀνωνύμως inferta: Kurze Entwickelung der Neuteftamentl. Begriffe von den Abfichten des Todes Iefu aus der Grundidee eines Bundesopfers.

31) In libro: Für Chriftenthum und Gottesgelahrtheit. Eine Oppofitionsfchrift. 1) Einige Bedenklichkeiten bey dem Eifer mancher neuen Theologen über die Wiederherftellung alter Dogmen. B. I. (Ien. 1817—18.) p. 1—xx. 2) Nachtrag zu dem Gutachten des Hn. Superint. D. Schuderoff über die von Hn. Compaftor Funk beforgte Altonaer Bibelausgabe. B. II. (1818—19.) S. 146—159.

32) Fünf Altarreden bey der Aufnahme neuer Mitglieder des Predigerfeminarium; und eine Rede bey der Preisvertheilung. Hae oratiunculae continentur in D. H. A. Schott Denkfchrift des homiletifchen und katechetifchen Seminarium. Iena 1818—1821.

33) Compluribus etiam ephemeridibus literariis iudicia de libris novis theologicis fuppeditavit, primum Moeno-Francofurtenfibus, deinde annalibus Helmftadienfibus latinis ab Henkio procuratis, porro bibliothecae theologicae Goettingenfi, annalibus literariis univerfalibus tum Ienenfibus, nunc Halenfibus (Allg. Lit. Zeitung), denique et maxime quidem Norimbergenfibus (Nürnb. gelehrt. Zeitung). In plerisque his ephemeridibus literariis auctorem notationis librorum fe profeffus eft fubfcripto G. aut G—r. Ex quo autem diarium theologicum noviffimum (Neueftes theologifches Iournal) inftituerat, huic foli iudicia de libris novis fervavit, miffis reliquis de rebus theologicis dicendi iudicandique occafionibus. Contra falfo ei ab aliis tribuebantur nonnulli libri; v. c. apud *Meufelium* in libro: Das gelehrte Teutfchland, B. I. (1783) p. 514. libellus: Beweis für die Ewigkeit der Welt. Rudolftadt [Arnftadt] 1775. 8. Sed auctor fuit *Guilielmus Fridericus* Gabler. Deinde in eiusdem operis literarii Meufeliani continuatione quinta (1795) eidem adfcribitur praefatio et introductio ad novam editionem Moerlii fcholiorum ad felecta codicis facri loca. (Norimb. 1793. 8.) Sed prodiit hic liber fine ifta praefatione et introductione, quum tota libri nova adornatio, ab alio profecta, haud commendabilis, fibi difplicuiffet. Neque erat focius Ammonii, Haenlini et Pauli in edendo diario theolog. novo, uti refertur in Meufelii continuatione feptima catalogi Eruditorum noftratium (1804), atque inde in libro: Ienaifcher Univerfitäts-Almanach p. 103, fed continuavit modo hoc opus a. 1798 adornando diario theol. noviffimo. Nec denique annus natalis fuit a. 1757, uti refert Meufel, nec a. 1752, auctore Nopitfchio, fed a. 1753.

HENRICVS AVGVSTVS SCHOTT,
Theol. D. et Professor Publ. Ord.

Natus Lipsiae d. 5 Decembr. a. 1780 patrem habuit Augustum Fridericum Schottum, olim in Academia Lipsiensi Pandectarum Professorem ordinarium, et Curiae supremae Assessorem, de Academia illa et litteris immortaliter meritum, quem a. 1792 d. 10 Octobr. morte praematura sibi ereptum dolet, matrem vero Margaretham Fridericam Sophiam, filiam B. Bahrdtii (olim Theologiae Professoris ordinarii et Superintendentis Lipsiensis), cuius iacturam acerbam fecit anno huius saeculi quinto. Quum partim disciplina domestica, cui parentes puerum tradiderant, viri de animo ipsius informando egregie meriti, plurim. Reverendi Caspari (Pastoris Zschortauiae, qui pagus est prope Delitzschium), partim institutione publica scholae Nicolaitanae, studiis academicis fuisset praeparatus: anno 1796. initium fecit scholas adeundi academicas, et per duos quidem priores annos philologiae maxime et philosophiae operam dedit; deinde magis magisque ad theologiam animum applicuit, praeter alios doctoribus et praeceptoribus usus viris meritissimis, quorum plures Academiam Lipsiensem etiamnum nominibus suis virtutibusque ornant, Beckio, Hermanno, Platnero, Caro, Wenckio, Meisnero, Burschero, Rosenmüllero, Keilio. Exacto quinque annorum spatio, suadentibus amicis et fautoribus, postquam a. 1799 magisterii Lipsiensis iura, speciminibus exhibitis, per diploma in se collata fuerant, a. 1801 d. 12 Septembr. veniam sibi paravit lectionibus academicis litteras humaniores docendi, commentatione, quam scripserat, philologico-aesthetica publice defensa. Qua quidem licentia ita usus est, ut scholas rhetoricas, philologicas, exegeticas aperiret. Praeterea vero etiam coram suggestu sacro verbum divinum explicuit praesertim quum a. 1803 concionatoribus vespertinis, anno sequente concionatoribus matutinis, in templo Lipsiensi Paullino docentibus adscriptus fuisset. Gratia divina laboribus studiisque ipsius benevole annuente, anno 1805 provincia Professoris Philosophiae extraordinarii, et, quum praeter exegeticas etiam dogmaticas aliasque acroases theologicas instituisset, anno 1808 Professio Theologiae extraordinaria ipsi demandata est. Magna vero rerum suarum mutatio haud ita multo post accidit, quum Regi Saxoniae eiusque Consiliariis anno 1809 placuisset, locum quartum ipsi concedere inter Professores Theologiae ordinarios in Academia, quae tum Vitebergae fuit, constitutos. Quam provinciam anno sequente ineunte auspicatus est, postquam a. 1809 d. 6. Decembr. Lipsiae

iura ac dignitatem Doctoris theologiae inpetraverat, commentatione theologica publice defendenda, ceterisque speciminibus exhibendis. Eodem anno, quo Vitebergam adierat, uxorem duxit filiam natu minimam viri, quem pietate summa se colere atque venerari profitetur, Io. Theoph. Caspari, Theol. D. Pastoris et Superintendentis ecclesiae Waldeburgensis. Sed per biennium et aliquot menses munere Vitebergensi functus, anno 1812 in Academiam Ienensem tanta benevolentia et humanitate evocatus est, ut huic vocationi, divinae quippe, sine mora obsequendum putaret. Itaque provinciam sibi demandatam, partim acroases theologicas, praesertim exegeticas, dogmaticas, homileticas in hac Academia habendi, partim conciones sacras recitandi, ac seminarium homileticum dirigendi mense Augusto a. 1812 adiit commentatione theologica, pro loco in ordine Theologorum Academiae Ienensis rite obtinendo, Calendis Augusti publice defensa.

Indicem commentationum et librorum a se editorum hunc nobis exhibuit:

1) Commentatio philologico-aesthetica, qua Ciceronis de fine eloquentiae sententia examinatur et cum Aristotelis, Quinctiliani, et recentiorum quorumdam scriptorum decretis comparatur, Lipsiae, 1801. 4.

2) Τεχνη ῥητορικη quae vulgo integra Dionysio Halicarnassensi tribuitur, emendata, nova versione latina et commentario illustrata, Lipsiae, 1804. 8.

3) Commentatio de natura et legibus dialogi scribendi, Lipsiae, 1805. 4.

4) Novum Testamentum graece, e recensione Griesbachiana, nova versione latina illustratum etc. Lipsiae, 1805. 8. Editio nova et emendata, Lips. 1811.

5) Kurzer Entwurf einer Theorie der Beredsamkeit mit besonderer Anwendung auf die Kanzelberedsamkeit, Leipzig, 1807. 8. Neue ganz umgearbeitete Auflage, 1815. 8.

6) Recitatio de Frider. Aug. Cari, olim Philosophiae Professoris ordinarii Lips. d. 6 Febr. 1807 hac vita defuncti, virtutibus atque meritis, Lipsiae, 1808. 8.

7) Epitome Theologiae Christianae dogmaticae, Lipsiae, 1811. 8. Editio nova plurimis locis immutata et aucta, 1821.

8) Christlich-religiöse Reden an Sonn- und Festtagen gehalten, Leipzig, 1811. 8.

9) Philosophische und religiöse Begründung der Rhetorik und Homiletik, Leipzig, 1815. 8.

10) Geistliche Reden und Homilieen, Iena, 1815. 8.

11) Pentateuchus ex sermone hebraeo in latinum translatus, notatione brevi praecipuae lectionum et interpretationum diversitatis addita, auctoribus D. Schott et D. Winzer, Altonae et Lipsiae, 1816. 8.

12) Christliche Religionsvorträge über gewöhnliche Perikopen und freygewählte Texte: zwey Bände, Erfurt und Gotha, 1819. 8.

13) Commentarius exegetico-dogmaticus in eos Iesu Christi sermones, qui de reditu eius ad iudicium futuro et iudicandi provincia ipsi demandata agunt, Ienae, 1820. 8.

14) Reinhards Vorlesungen über die Dogmatik mit neuen litterärischen Zusätzen vermehrt, Sulzbach, 1818. 8.

15) Programmata et dissertationes theologicae inde ab anno 1808 in Academia Lipsiensi, Vitebergensi, Ienensi editae, deinde collectae pluribusque locis auctae et emendatae: Opuscula exegetica, critica, dogmatica, tomus primus et secundus, Ienae, 1817 sq. 8. Accedunt duo programmata posthac edita: Supplementum commentationis olim de loco vexato Marci c. 9, v. 49 editae, Ienae, 1819. 4. et: Examinantur dubitationes quaedam de authentia evangelii Ioannei nuperrime ex quatuor prioribus capitibus a Bretschneidero excitatae, Ienae, 1820. 4.

16) Zeitschrift für Prediger zur Belebung der Religiosität durch das Predigtamt, herausg. von Schott und Rehkopf (Pastor zu Globig), 3 Bände, Leipzig, 1810, 1811, 1812. 8.

17) Beschreibung des homiletischen Seminarium der Ienaischen Universität, unter Auctorität der theologischen Fakultät herausgegeben, Iena, 1815. 8. und: Denkschrift des homiletischen Seminarium u. s. w. vom Iahre 1816, 17 u. 18. 8. Denkschrift des homiletischen und katechetischen Seminarium u. s. w. vom Iahre 1819. 8. Desgleichen vom Iahre 1820. 8. Desgl. vom Iahre 1821. 8.

Ioannes Travgott Lebrecht Danz,
Theol. D. et Professor Publ. Ord.

Natus est Vimariae d. 31 Maii anno 1769, patre Io. Henrico Danzio, Gymnas. illustris, quod Vimariae floret, Collega V., matre Sophia Wilhelmina, e gente Trautermanniana. In litterarum communium elementis eruditus et exercitatus fuit a patre optimo, quem sequuti sunt in expoliendo ingenio et studio doctrinae atque humanitatis excolendo doctores Gymnasii patrii, prae ceteris Musaeus et Heinzius; et quem unice venerari se profitetur, Herderus, Gymnasii Ephorus, qui illum paterno amplexus est amore. Anno 1787 ad promovenda humanitatis et theologiae studia Ienam se contulit, praeceptores ibi nactus Ulrichium, Schützium, Heinrichium, Wiedeburgum, Eichhornium, Doederleinium, Griesbachium. Interruptus per duo semestria, quibus valetudinis causa thermas Carolinas adire cogebatur, cursus academicus ab anno 1791 in universitate Göttingensi continuatus fuit, ubi Heynio et Schloezero magistris et amicis, adiuvantibusque Seminario philologico

et Bibliotheca instructissima per duos amplius annos studio historiae linguarum septentrionalium et Lusitanicae imprimisque philologiae operam dedit. In patriam redux, adiunctus est praeceptoribus Gymnasii et Seminarii, quod vocant, ludimoderatorum paganorum, et versatus est ea in statione per sex fere annos. Inde evocatus Ienam adiit exeunte anno 1798 ad suscipiendum munus Rectoris in schola urbana et senatoria, et opportunitate loci excitatus, Magistri, sive uti nunc magis placet, Doctoris Philosophiae honoribus et iuribus impetratis, lectionum academicarum philologicarum, paedagogicarum, et homileticarum initium fecit. Quae quidem res ita processit, ut serenissimi Academiae Nutritores ipsum a Diaconi officiis, quibus ab a. 1809 adstrictus erat, eximerent, et munus Professoris theologiae ordinarii (Professoris theologiae extraordinarii titulo et iuribus duobus annis ante ornatus fuerat) ipsi demandarent. Quo in munere, cui serenissimus Princeps Gothanorum anno 1818 titulum adiecit Consiliarii in rebus consistorii, mox solutis scholis philologicis, praelectiones habuit privatas in historiam ecclesiasticam, historiam dogmatum, theologiam moralem, encyclopaediam et methodologiam studii theologici, exegeticas in plures N. T. libros et theologico-practicas: publice vero historiam litterarum theologicarum novissimam, interpretationem variorum monumentorum ecclesiasticorum et apologetices religionis Christianae principia proposuit.

Scripsit autem plura, vel ex muneris officio, vel studio litterarum incitatus, vel oblata opportuna occasione, quae hic ex instituti ratione comemoranda sunt, omissis tamen commentationibus et iudiciis de libris novis quae ephemeridibus litterariis inserta leguntur, atque iis scriptis, quae in officio deputati ad conventus provinciales publicavit,

1) Die Perser. Ein Trauerspiel a. d. Griech. des Aeschylus. Leipz. 1789. 8.
2) Ueber den methodischen Unterricht in der Geschichte auf Schulen. Leipz. 1798. 8.
3) Prakt. Tagebuch für Landschullehrer. Weimar 1799. 8.
4) De M. Accii Plauti virtute comica. Ien. 1804. 4.
5) Vorschriften zu einer verständigen Uebung in der deutschen Rechtschreibekunst. 2 Thle. Berlin 1802. Neue Aufl. 1807. 8.
6) M. Accii Plauti Miles gloriosus. Cum notis. Vinar. 1804. 8.
7) Anthol. Spaziergang durch J. G. v. Herders Schriften: in Grubers Charakteristik Herders. Leipzig 1805. 8. S. 17—164.
8) J. G. v. Herders Ansichten des classischen Alterthums. Leipz. 1805. II. Th. 8.
9) Aeschylos Trauerspiele. Deutsch mit erklärenden Anmerkungen. II Thle. Leipz. 1805. 8.

10) M. A. Plautus. Lateinisch und deutsch. Mit Anmerkk. V Th. Leipz. 1806 ff. 8.
11) Versuch einer allgemeinen Geschichte der menschlichen Nahrungsmittel. Leipz. 1806. 8.
12) Berichte von Augenzeugen über die Schlachten bey Auerstädt, Iena und das Gefecht bey Saalfeld. Iena, 1807. 8.
13) Predigt zum Andenken des 14ten Octobers 1806. Iena, 1807. 8.
14) Der Marsch der Franzosen nach Indien. Notizen zu Beurtheilung der neuprojectirten Landexpedition. Iena, 1808. 8.
15) Ansicht der Stadt Iena in den Octobertagen 1806. Nebst einem Anhange. M. Kpfrn. Iena, 1809. 4.
16) Pr. Analecta critica de Adriano VI. P. R. Ien. 1813. 14. 4.
17) De Eusebio Caesariensi, Hist. eccles. scriptore, eiusque fide historica recte aestimanda. Ien. 1815. 8.
18) Kurze Beschreibung der Friedens-Feyer der Universität Iena. Iena, 1816. 8.
19) Paraphrasis Cap. I. et II. Epist. Pauli ad Romanos, c. adnotat. Ien. 1817. 4.
20) Lehrbuch der christl. Kirchengeschichte. Ien. I. 1818. II. 1822. 8.
21) Pr. de loco Eusebii, qui de altera Pauli captivitate agit. Ien. 1819. 4.

LVDOVICVS FRIDERICVS OTTO BAVMGARTEN - CRVSIVS,
Philos. et Theol. D., Theol. Prof. Ord. honorarius.

Natus Merseburgi a. 1788 d. 31. Iul. patre Gottlob Augusto, Th. D., tum episcopatus Merseburgensis Superintendente, a. 1816 defuncto: institutione publica usus in Gymnasio patrio et in regia Schola Grimmana, a. 1805 in Lipsiensem delatus est Academiam, in qua, theologiae per triennium studiosus, deinde philologici seminarii socius exstitit. A. 1808 Artium Mag. et Ph. D. creatus; eod. anno Ministerii Saxonici Candidatus: 1809 Lipsiensis Academiae doctor privatus, defensa publice dissertatione et 1810 Theologiae Baccalaureus et in aede academica concionator. A. 1812 Ienam evocatus est, Theol. Prof. extraordinarius. Hinc aliquoties ad exteros postulatus, a. 1817 Theol. P. ord. hon. factus, et 1818 extra ordinem in Senatum academicum et Ordinem Theologorum cooptatus est.

Scholas in hac Academia solet habere exegeticas in V. et N. T. scripta et in libros V. T. apocryphos, dogmaticas, ethicas, et de dogmatum ac philosophiae historia.

Scripta haec edidit, praeter minora et quae diariis nonnullis olim inferi curavit:

1) De Philebo Platonico. Lipf. 1809. 4.
2) De homine, Dei fibi confcio. Ien. 1812. 4.
3) Das Menfchenleben und die Religion. Ien. 1816. 8.
4) XCV thefes theologicae contra fuperftitionem et profanitatem. Ienae 1817. 8.
5) Einleitung in das Studium der Dogmatik. Lipf. 1820. 8.
6) Progr. de vero Scholafticorum nominalium et realium discrimine et fententia theolog. Ien. 1821. 8.
7) Handbuch der chriftlichen Sittenlehre. Lipf. 1821. 8.
8) Paratur denique, brevi proditura: Summa theologiae chriftianae, obfervationibus hiftoricis illuftrata. Lipfiae 1822. 8.

II.

PROFESSORES ORDINARII IVRISPRVDENTIAE.

D. Andreas Iosephvs Schnavbert,
I. V. D. et Facultatis Iurid. Ordinarius.

Natus eft Bingae ad Rhenum d. 30 Novembr. 1750, Magifter f. Doctor Philofophiae menfe Septembri 1777 Moguntiae, Doctor iurium d. 1 Maii 1780 Gieffae creatus, profeffionem iurium extraordinariam ibidem 1783 nactus, Helmftadium 1784 Profeffor iurium et Affeffor Facultatis iuridicae ordinarius, 1786 fextus Profeffor iurium Ienam vocatus, anno 1809 munus Ordinarii in collegiis Scabinatus et Facultatis iuridicae Ienenfis adeptus, denique ab Magno Duce Saxoniae anno 1786 Confiliarii aulici, et anno 1810 Confiliarii iuftitiae intimi titulo atque honoribus ornatus eft. Scholarum haec fere ratio eft, ut ius ecclefiafticum tum Proteftantium, quam Catholicorum in Germania, nec non ius feudale quot annis tradat.

Scripta haec sunt:

1) Erörterung der Lehre von heilbaren und unheilbaren Nullitäten. Giessen 1780. 8.

2) Diss. inaugural. de quantitate comitiali Placiti Regii in imperio Romano Germanico ad votum consilii Imperii Aulici d. d. 6. Nov. 1773 publ. defensa. Giesen. die prima Maii, 1780. 4.

3) Neueste iuristische Bibliothek, vornehmlich der deutschen Staats- und Kirchen-Rechts. 1—30 Stück. Giessen 1780—1786. 8.

4) Beyträge zum deutschen Staats- und Kirchen-Rechte. 1 u. 2 Theil. Giessen 1781. 1783. 8.

5) Progr. de iure succedendi feminarum in feudo a femina adquisito. Giessen 1783. 4, quo invitabatur ad audiendam orationem pro capessendo munere Professoris iurium extraordinarii.

6) Widerlegung der rechtlichen Staats-Betrachtungen über die Frage: ob die in dem fürstlich hessischen Gebiet gelegenen Güter und Einkünfte der von dem Kurfürsten von Maynz 1781 aufgehobenen drey Klöster dem Kurfürsten zu Maynz oder dem Landgrafen von Hessen zugefallen sind? Giessen 1783. 8.

7) Antwort auf Herrn Hofger. R. und Prof. Roths Vertheidigung seiner Staatsbetrachtungen, die in Hessen gelegenen Güter der mainzischen aufgehobenen Klöster betreffend. Giessen, 1783. 8.

8) Ueber die Frage: Ob die im hessischen Gebiete gelegenen Güter und Revenuen der drey im J. 1781 aufgehobenen mainzischen Klöster dem Herrn Landgrafen von Hessen von Rechtswegen zuständig seyen? Antwort auf Herrn Roths Vertheidigung seiner rechtlichen Staatsbetrachtungen über diese Frage. Giessen und Marburg 1784. 8.

9) Erläuterungen des in Deutschland üblichen Lehnrechts, in einem Commentar über die Böhmerischen Principia iuris feudalis. Giessen 1784. 4. Mit erster und zweyter Fortsetzung bis zum §. 158 des Böhmerschen Lehrbuchs.

10) Progr. de analogia iuris publici Imperii in fontibus iuris S. R. I. territorium non numeranda, quo inuitabatur ad audiendam orationem aditialem. Helmstad. 1785. 4. — Hoc programma deinde auctius repeti curavit in Mereau's Miscellen zum deutschen Staats- und Privat-Recht. Th. I. 1791. 8.

11) Summarische Einleitung in das Staatsrecht der gesammten reichsländischen Lande, nebst einem kurzen Entwurf derselben. Iena 1787. 8.

12) Anfangsgründe des Staatsrechts der gesammten Reichslande. Iena 1787. 8.

13) Ueber des Freyherrn von Mosers Vorschläge zur Verbesserung der geistlichen Staaten in Deutschland. Iena 1788. 8.

14) Ueber die rechten Mittel, die Protestanten wider den Katholicismus zu schützen. Iena 1788. 8.

15) Neueste fortgesetzte iuristische Bibliothek des deutschen Staats- und Lehnrechts. I. Bd. 1—3 St. Iena 1788. 1790. 4, 5 St. 1791. 8.

16) Ueber Kirche und Kirchen-Gewalt in Ansehung des kirchlichen öffentlichen Religionsbegriffs, nach Grundsätzen des natürlichen und protestantischen Kirchenrechts. Iena 1789. 8.

17) Diss. de principe legibus suis obligato. Ienae 1793. 4.

Eadem dissertatio etiam Germanico idiomate prodiit, sic inscripta:

Auch der Regent ist an die von ihm und seinen Vorfahren gegebenen Gesetze gebunden. Aus dem Lateinischen von C. F. Hagemeister. Rostock 1795. 8.

18) Grundsätze des Kirchenrechts der Protestanten in Deutschland. Iena 1792. 8. Zweyte vermehrte Ausgabe. Iena 1795. 8.

19) Besondere Grundsätze des Kirchenrechts der Katholiken in Deutschland. Iena 1794. 8.

20) Progr. Expositio veri sensus quaestionis de existentia Corporis Evangeliorum eiusque iuribus controversae. Ienae 1796. 4.

21) Pr. de civitatum Imperii iuribus minorum iuste restringendis. Ienae 1800. 4.

22) Vorrede zu I. C. G. Schröters Abhandlung über die Lehnsträger und Lehnsvormünder. Leipzig 1801. 8.

23) Pr. de ratione, cur circulo Saxonico superiori in Camera imperiali manserit locus penultimus. Ienae 1801. 8.

24) Pr. de inspectione territoriali in postas imperiales. Ienae 1804. 4.

25) Pr. de praedio, amissa praedii equestris qualitate, collectabili. Ienae 1804. 4.

26) Grundsätze des Kirchenrechts der Protestanten und Katholiken in Deutschland. 1 u. 2 Bd. 3 u. resp. 2 Auflage. Iena 1805—1806.

27) Lehrbuch des deutschen Staatsrechts. 1 Th. Iena 1806. 8.

28) Prolusio de termino diei 1 Dec. 1802 in §. 45 conclusi deputationis imperii de 25 Febr. 1803 sancito, ad diem 1 Dec, 1803 non transferendo. Ienae 1806. 4.

29) De ratificatione caesarea §. 32 conclusi deputat. imperii de 25 Febr. 1803 quatenus plura in ea vota principum sancita sunt non deneganda nec suspendenda. Ienae 1806. 4.

30) Pr. de iustitia divortii inter coniuges principes, catholicae religioni addictos, bona gratia divertentes. Ienae 1811. 8.

Pavllvs Christophorvs Gottlob Andreae,
I. V. D. et Prof. Publ. Ord.

Natus est Lipsiae d. 30 m. Decembris a. 1772, patre Paullo Gottlob, Scholae Thomanae magistro, matre Rahele Clara Sophia nata Topsia. Postquam prima litterarum elementa a patre et privatis magistris acceperat, usus est Fischeri, ceterorumque illius scholae Thomanae magistrorum institutione publica. Deinde in Academia patria Platneri, Seydlitii, Heydenreichii, philosophicis, Eckii, Beckii, Bornii; philologicis, Burscheri, Hilscheri, Beckii et Rössigii historicis et antiquariis, Zwanzigeri mathematicis, Hebenstreitii et Haasii medicis, iuridicis denique Baueri, Schotti, Bieneri, Erhardi, Hauboldi, Einerti et Sammeti lectionibus interfuit. Anno eiusdem saeculi 97 philosophiae et 98 Iuris utriusque summos honores adeptus, in urbe patria varias iuris disciplinas privatim docuit, et caussarum patroni munere functus est. Inde ab anno huius saeculi secundo ad annum decimum quintum assessoris Ordinis ICtorum Vitebergensium extraordinarii et, interiecto brevi tempore, ordinarii et Professoris publici extraordinarii provinciam tenuit, Curiaeque provincialis Lusatiae inferrioris Assessor fuit intra numerum. Anno 1815 Ienam vocatus et ab serenissimo Magno Duce Vimariensi Consiliarii aulici honoribus ornatus, eique Professoris iuris ordinarii et in Facultate iuridica, Scabinatu atque in Curia aulica serenissimorum Magni Ducis et Ducum Saxoniae assessoris munus fuit demandatum. Quum autem supremus Provocationum in terris Ernesto Saxonicis et Ruthenicis Senatus anno 1816 instituereture, in eumdem est lectus. Ceterum in docenda iuris civilis historia et exponendo dogmatum eiusdem iuris systemate, quae ad iuris disciplinam pertinent, tum breviore, quod Institutionum nomine venire solet, quum ampliore, quod Pandectas vocant, et in scholis exegeticis et disputatoriis operam suam collocat.

Scripta edidit haec:

1) Quaedam de coniunctione parentes inter et liberos ad normam praeceptorum iuris naturalis definienda. Lips. 1798.
2) De legato optionis. Lips. 1798.
3) De Solonis legum erga debitores lenitate. Viteb. 1812.
4) Ad tit. D. de arboribus caedendis. Ienae 1818.
5) Commentationem Germanicam ad Nov. 107. c. 1. in Gensleri, Mittermaieri et Schweitzeri Sylloga opusculorum, quae inscribitur: Archiv fur die civilistische Praxis Vol. IIII.

Christian Gottlieb Konöpak,
I. V. D. et Prof. Publ. Ord.

Dantisci lucem adspexit m. Novembri a. 1767. Post domesticam institutionem usus est primum disciplina scholae inferioris, deinde Gymnasii in urbe patria. A. 1790 Academiam Halensem petiit ad discendam iuris scientiam, ibique septennio post, quum legitimum examen subiisset, et dissertationem de iuribus ex laesione oriundis, publice de cathedra defendisset, a. 1797 utriusque Iuris Doctor creatus est. A. 1802 Iuris extraordinariam et a. 1804 ordinariam docendi provinciam nactus, a. 1807 evocatus est Professor ordinarius in academiam Rostochiensem, in qua etiam inde ab a. 1811 Consiliarii in rebus ad consistorium pertinentibus munus suscepit. Denique a. 1817 Ienam abiit, ut et ius, imprimiscriminale, doceret, et adscriberetur amplissimo Collegio, in hac civitate constituto, ad quod provocatione certatur. Scholas habere solet de institutionibus iur. Rom. priv., de iure criminali, de ordine iudiciorum publicorum et de forensi quam vocant arithmetica. Praeter dissertationem illam, quam diximus, et commentationes aliquot sine nomine auctoris emissas, haec scripta edidit:

1) Ueber den Eid. In Kleins Annalen der Gesetzgebung u. s. w. Bd. 11.
2) Abhandlung über den Begriff und Zweck einer Encyklopädie im Allgemeinen und der Encyklopaedie der Rechtswissenschaften im Besondern.
3) Dissertationes complures, quae insertae sunt libro: Archiv des Criminalrechts.
4) Die Institutionen des römischen Rechts. Halle 1807. 8.

Avgvstvs Sigismvnd Kori
I. V. Doctor et Professor Publ. Ord.

Frauensteinii in Saxonia a. 1778 natus est. Anno aetatis sexto decimo fere expleto, Fribergam se contulit et gymnasii, quod ibi floret, disciplina per quinquennium et quod excurrit, usus est. A. 1795 inter cives Academiae Lipsiensis receptus per quadriennium studio iurisprudentiae se dedit, quo elapso examen pro candidatura et praxi, ut vocant, subivit, indeque in numero eorum, qui Lipsiae ius docebant, fuit. Post examen rigorosum defensamque dissertationem a se confectam: an servitutes partitionem, causam non perpetuam et voluptatem admittant, a. 1805 dignus iudicatus est, in quem summi in utroque iure honores conferrentur. Deinde sne-

ciminibus, quae leges patriae exigebant, exhibitis et approbatis, ad praxin iuridicam admissus est, quam, praeter provinciam iuris docendi, usque ad annum 1812 exercuit. Hoc anno locus ipsi contigit in summo provocationum tribunali Dresdano, quem per tres annos atque sex menses tenuit. Sed, quae tum fuit sors patriae suae, eum permovit, ut lares denuo moveret, et Merseburgi in ducatu Saxonico, qui iam regno Borussico adiunctus erat, constitueret, illic inter eos collocatus, quibus commissum erat, in summa instantia ius dicere (*Ober-Iustiz-Commission*). Diutius tamen, quam semestre, ei non licuit ibi commorari, quoniam mense Mart. 1816 illa commissio iuris dicundi cum ipso guverno, ut vocabatur, generali, ducatui Saxonico interim praeposito, dissoluta, et Numburgi iudicium provinciale superius (*Oberlandesgericht*) constitutum est, cui quum esset adscriptus, nescire se profitetur: utrum propter negotiorum sibi demandatorum gravitatem et communem utilitatem sibi gratulandum, an ob molem eorum dolendum fuisset. Ea certe valetudini suae tam adversa erat, ut aliam sortem appeteret. Votis suis auctumnus a. 1818 favit, quo oblatum simulque quaesitum in summo tribunali provocationum Ienae constituto locum assequutus, atque inter Professores iuris ordinarios huius academiae receptus est. Scholae, quas habere solet, pertinent ad ius Saxonicum privatum, processum Saxonic. ad relatorium nec non ad exercitationes in applicandis Digestorum atque processus principiis.

Auctor est horum librorum:

1) System des Concursprocesses nebst der Lehre von der Rangordnung der Gläubiger, nach gemeinem und Sächs. Recht. Leipzig 1807.
2) Theorie der Veriährung nach gemeinen und Sächs. Rechten, nebst einem Anhange über die Civilveriährung nach dem Gesetzbuche Napoleons I. Leipzig 1811.
3) Ueber den Executivprocess und die Wiederklage nach gemeinem und Sächs. Recht. Dresden 1813.
4) Tabellarische Uebersicht der Preussischen allgemeinen Gerichtsordnung im systematischen Zusammenhange. 2 Theile. Naumburg 1817.
5) Abhandlung über die stillschweigende Willens-Erklärung bey rechtlichen Geschäften, mit Beziehung auf die in Deutschland recipirten fremden, ingleichen auf die Preussischen und Königl. Sächs. Rechte. Naumburg 1817.
6) Theorie des Sächs. bürgerlichen Processes, hauptsächlich nach den Gesetzen der mit den Oberappellationsgerichten zu Iena und Zerbst verbundenen Lande. 1stes und 2tes Buch. Iena 1822. 8.

CAROLVS GVILIELMVS WALCH,
I. V. D. et Prof. Publ. Ord.

Caroli Friederici, antecessoris quondam in Academia Ienensi meritissimi, filius, natus est die 3 Februarii anno 1776. Doctoris iuris utriusque dignitatem, peracto studiorum academicorum cursu, anno 1797 adeptus, privatas iuris scholas aestivo eiusdem anni semestri in academia patria aperuit. Paullo post in numerum advocatorum Curiae provincialis Ducalis Saxonicae allectus, et anno 1804 inclyto Collegio, quod de iure ibidem respondet, extra ordinem adiunctus, foro caussisque iudicialibus totum fere se tradidit. Attamen nunquam a se impetrare potuit, ut scholam penitus relinqueret; sed quantum otii ei esset, ad docendum contulit. Imprimis vero professione iuris extraordinaria anno 1808 ornatus, institutiones et historiam iuris Romani, ius Germanicum privatum, ius cambiale, artem ex actis referendi, et artem diplomaticam tradere consuevit. Tandem anno 1819 serenissimi Academiae Nutritores munus professoris ordinarii ipsi tribuerunt, simulque cum reliquis serenissimis Saxoniae Ducibus ac Ruthenis Principibus consilio supremi provocationum tribunalis adjunxerunt.

Scripta:

1) Dissert. inaug. de praescriptione servitutum constitutiva. Ienae 1797.
2) Christ. Henr. Eckhardi Hermeneuticae iuris, editio III. emendatior et auctior curante C. W. Walch. Lipsiae 1802.

FRIDERICVS ORTLOFF,
Philos. et I. V. D. Prof. iuris Publ. Ord.

Natus est Erlangae VI Idus Octobres anno 1797, patre Io. Andr. Ortloff, tunc temporis in Erlangensi Academia Professore philosophiae, nunc serenissimi Ducis Saxo-Coburgensium a consiliis aulae et urbis Coburgensis politiae directore. In gymnasio academico Casimiriano, quod Coburgi floret, eruditus, a. 1814—16. Academiam Ienensem, Göttingensem et Erlangensem frequentavit. Philosophiae Doctoris iura et nomen a. 1816, Doctoris utriusque iuris gradum a. 1818 Erlangae impetravit. Numero Advocatorum aulicorum Coburgensium a. 1816 adscriptus est. Ad fora accessit, simulque, munere Professoris historiarum in gymnasio Casimiriano Coburgensi a. 1817 demandato, historiarum scholas habuit. A. 1819 Ducis Saxo-

Hilperhus. a consiliis aulae constitutus est. Eodem anno, primum professio iuris in academia Halensi ei oblata, deinde ad studium Regiomontanum vocatus, mox in academiam Ienensem accitus est, ibique hieme a. 1819 professionem iniit. Scholarum ratio haec est, ut iuris privati principia tradat, exponens Digesta, successionem ab intestato, ius germanicum privatum et ius mercatorum et cambiorum.

Scripsit:

1) Iustinians neue Verordnungen über die Intestaterbfolge, oder Versuch einer Uebersetzung der Novelle CXVIII und der sie betreffenden Stellen der Novelle CXXVII, nebst dem griechischen Text derselben, der Vulgata, Iulians Interpretation, Hombergk's lateinischer Uebersetzung und vergleichenden Anmerkungen, so wie auch einer Einleitung über die Iustinianischen Novellen, besonders in Hinsicht der Sprache ihres Textes. Coburg 1816. 8.

2) Von dem Papstthum über der Kirche und den Staaten und von der Reformation. Nebst den von D. Martin Luther am 31 Oct. 1517 an die Thüre der Schlosskirche zu Wittenberg angeschlagenen XCV Sätzen in lateinischer und deutscher Sprache. Coburg 1817. 8.

3) Ueber die Erziehung zum Bürger. Coburg 1818. 8.

4) Commentatio iuris Romani de thesauris ad §. XXXIX. I. de rer. div. (II. I.) fr. III. §. X. D. de iure fisci (XLIX. XIV.) et c. un. C. de thesauris (X. XV.). Erlangae 1818. 8.

5) Von den Handschriften und Ausgaben des salischen Gesetzes, nebst Beschreibung einer auf der königl. Bibliothek zu Bamberg befindlichen Handschrift des salischen, ripuarischen und alemannischen Gesetzes, aus den Zeiten Kaisers Carl des Grossen. Coburg und Leipzig 1819. 8.

Carolvs Ernestvs Schmid,
I. V. D. et Prof. Publ. Honorarius.

Ortus est ea ex gente, quae admodum felix huic Academiae fuit proferendis professoriae non modo dignitatis sed etiam eruditionis viris, qui vel sacras litteras, vel iuris scientiam, vel philosophiam, docendo scribendoque illustraverunt. Natus Vimariae d. 24 Octob. a. 1774 patrem habuit Adamum Ludovicum Fridericum, tunc temporis consulem civitatis Vimariensis, postea praefectum Creuzburgensem, Grossen-Rudestadiensem, postremo Kalten Nordhemiensem. Decursis Ienae academicis spatiis a. 1793—1796, anno post Baruthum se contulit, ubi primum a. 1797—1804 ephemeridibus politicis scribendis operam dedit, deinde munera publica ca-

peſſivit, quae, ne Latinae deſcriptionis ambiguitate obſcuri ſiamus, verbis peregrinis, ad ſermonem Latinum deflexis, indicabimus. Nam a. 1799 factus eſt Auſcultator regiminis, et paullo poſt Referendarius, a. 1803 Conſiliarius in iudicio provinciali criminali, a. 1804 Conſiliarius apud urbis iudicium. Deinde a. 1807 Hildburghuſam ſeceſſit, ibique regiminis, quod vocatur, et conſiſtorii a conſiliis fuit. Tum a. 1809 Ienam vocatus, ordinariam iuris profeſſionem ſuscepit, ornatus etiam Doctoris titulo. Mox revocatus ad Hildburghuſanos a. 1810 in conſilio Principis ſanctiore adminiſter (*Geheimer Aſſiſtenzrath*) idemque praeſes vicarius omnium, quae in illa quidem provincia ſunt, collegiorum, denique a. 1813 conſiliarius Principis intimus creatus eſt. Nuper a. 1817 Ienam repetiit, fungiturque apud nos munere in ſupremo, ad quod provocatione certatur, iudicio, adiuncta profeſſione iuris honoraria. Scholas in hac Academia inſtituere ſolet de iure publico et de elementis iuris poſitivi univerſi.

Praeter verſiones aliquot librorum, peregrinis ex linguis in patriam factis, cenſuraſque, ephemeridibus litterariis paſſim inſertas, haec ſcripta in lucem edidit:

1) Ueber Vertheilung der Kriegsſchäden und die Einquartirung insbeſondere. 1808. 8.
2) Kritiſche Einleitung in das geſammte Recht des franzöſiſchen Reiches. 1 Th. Bürgerliches Recht. 1 B. 1808. 2 Abth. 1809. 8.
3) Deutſchlands Wiedergeburt. 1814. 8.
4) Der deutſche Bund, eine Zeitſchrift für das öffentliche Recht Deutſchlands. 1—3 Heft. (2 Heft. Ueber das Bürgerrecht der Iuden.) 1816.
5) Beyträge zur Criminalrechtswiſſenſchaft in Abhandlungen und Rechtsfällen 1 Th. des Geh. Ob. Medic. Raths D. H. Kohlrauſch öffentliche Vertheidigung gegen öffentliche Verunglimpfung. 1818. 8.
6) Lehrbuch des gemeinen deutſchen Staatsrechts. 1 Abth. 1821. 8. (Die zweyte erſcheint nach Oſtern.)

CHRISTOPHORVS REINHARDVS DIETERICVS MARTIN,

I. V. D. et Prof. Publ. Honorarius.

E gente, quae ob evangelicae religionis perſequutiones Galliam reliquerat, oriundus, Bovendii prope Gottingam a. d. IV. Non. Febr. anno 1772 natus eſt, patre

Sigismundo Petro Martin, commissario iurium summi imperii Hassiae tunc Landgravio, nunc Electori reservatorum, matre, Maria Margaretha Ihringk, Superintendentis Altendorfiensis filia. Inde ab anno aetatis quinto scholis privatis Mülleri, nunc metropolitani Graebensteiniensis, tunc in eodem oppido fratrum Dedolphorum institutione usus est. Gottingam sub auctumnum anni 1787 adiit, et illic usque ad finem semestris aestivi anni 1790 iuris studio operam dedit. Tunc Cellis eodem anno a iudicio appellationum supremo examinatus, advocatus et notarius immatriculatus Gottingam redux, per plures annos in hac urbe caussas aliorum in iudicio peroravit, simulque repetitoria dedit, et nonnullis iudiciis patrimonialibus vicinis praefuit. Mense Aprili anni 1796 Doctoris in utroque iure gradum rite adeptus, anno 1797 Facultatis iuridicae Gottingensis Assessor factus est, et inde ab anno 1802 primo extra ordinem, deinde ab anno 1805 in ordinem receptus, Professoris munere functus est. Eodem anno vocationem Magni ducis Badarum sequutus, Georgia Augusta relicta, iustitiae a consiliis, intraque numerum iuris Professor et Facultatis iuridicae Ordinarius creatus, sedem in academia Ruperto-Carolina fixit. Tunc anno 1816 a Magno Duce Vimariensi, Ducibus Saxoniae et Principibus Reussiae, iudicium commune appellationum supremum constituentibus, Heidelberga avocatus Ienam domicilium transtulit, et iudicis munere in illo iudicio fungens, Magni Ducis Vimariae a consiliis iustitiae intimis et Professoris honorarii in eadem illa academia vices obtinuit.

Scholas, quas habuit, fuere 1) practicum processuale, 2) relatorium, 3) practicum de contractibus et testamentis caute scribendis, 4) de iure criminali Badensium; quas adhuc habet: 1) de theoria processus Germanici civilis, 2) de theoria iuris criminalis Germanici.

Scripta haec sunt:

1) Dissertatio de iuste suspendendo iudicio de expensis. Goetting. 1796.
2) Diss. de eo quod iustum est circa rescripta de emendando, seu ordinationes. Goett. 1798. (Dr. Claren.)
3) Theorie des gemeinen deutschen Civil-Processes. 1 Ausg. Gött. 1800. 7 Ausg. 1821.
4) Diss. de indole iuramenti diffessionis. Goett. 1801. (Dr. Sengebusch.)
5) Diss. de indole contumaciae in caussis civilibus contentiosis. Goett. 1802.
6) Magazin für den gemeinen deutschen bürgerlichen Process, herausgeg. von Martin und D. G. F. Walch. I Bd. 1s Heft. Gött. 1802. 2s Heft 1803.

7) Anleitung zu dem Referiren über Rechtssachen. Gött. 1809. 2 Ausg. 1819.
8) Lehrbuch des deutschen gemeinen Criminal-Processes. Gött. 1812. 2 Ausg. 1820.
9) Rechtsgutachten der Heidelbergischen Iuristenfacultät. 1 Bd. Heidelb. 1820.
10) Lehrbuch des deutschen gemeinen Criminal-Rechts. 1 Abth. Heidelb. 1820.

CAROLVS EICHMANN,
I. V. D. et Professor Publ. Honorar.

Natus est Ienae anno 1785, patre Io. Bernh. Christ. Eichmanno, tunc Iuris Professore in Academia Ienensi, postea in aula Altenburgensi Consiliario. Ab ineunte aetate usus praeceptoribus domesticis, deinde inter alumnos scholae Portensis receptus ibique per tres amplius annos commoratus est. Schola relicta in Academias se contulit, primum Ienensem, deinde Lipsiensem. Ab Illustri ICtorum Ordine in Academia Ienensi Doctor creatus. Tum caussarum patronus Altenburgensis, in supremum provocationum tribunal Ienense allectus est.

Auctor est:

1) Epistolae ad Andr. Ios. Schnaubertum et Io. Ant. Lud. Seidenstickerum, de non usus vi, natura atque historia. Altenb. 1811.
2) Der Kriegsschäden-Ersatz nach Grundsätzen des Civilrechts. Altenb. 1815. 8.

III.

PROFESSORES ORDINARII MEDICINAE.

IOANNES FRIDERICVS FVCHS,
Med. et Chirurg. D. et Prof. Publ. Ord.

Natus ego Weisbaci prope Themaram in comitatu Hennebergensi, prima disciplinarum elementa in schola huius oppidi publica hausi. Tunc institutione privata per trienii et quod excurrit spatium usus, anno 1790 gymnasium illustre Schleusin-

gense frequentare coepi, huiusque classes superiores rite emensus, anno 1796 in celeberrima litterarum Vniversitate Ienensi studio medico me dicavi, anno 1801 summos in Medicina et Chirurgia honores ibidem publice impetravi, et ineunte anno 1804 munere professoris Medicinae extraordinarii ornatus sum, quod paullo post cum professione Anatomiae ordinaria in florentissima Iulia Maximiliana mutavi, hinc tamen auctumno anni subsequentis Ienam reversus sum, ad subeundam eandem professuram in hac alma Musarum sede, serenissimorum huius academiae Nutritorum clementia mihi demandatam, locumque in Facultate medica obtinui defendendo dissertationem de perforatione membranae tympani, praeter quam et diss. inaug. de phthisi et synizesi pupillae, inter alia exhibui: descriptionem anatomicam oculi humani — pathologiam renum — anatomiam, physiologiam et pathologiam iridis — de nervo quinti paris eiusque consensibus — de macula pingui scleroticae — de cornea eiusque adfectionibus — de contagiis — de aneurysmate eiusque curationibus.

Ioannes Christianvs Stark,

Med. et Chirurg. D. et Prof. Publ. Ord.

Lucem vidit in pago Vimariensi, Klein-Cromsdorf dicto, d. 28 Octobr. a. 1769. Patrem habuit Ioannem Andream. Elementa litterarum cepit primum ab Hoyero V. D. Ministro, deinde vero in schola Vimariensi; posthac Academiam Ienensem adiit a. 1790, Prorectore Ernesto Anton. Nicolai civibus academicis adscriptus. Gradum Doctoris Medicinae a. 1793 d. 15 Aug. a Ch. Godofr. Grunero, tunc temporis Exdecano, publice obtinuit, eodemque anno, consentiente Medicorum Ordine, scholas medico-chirurgicas aperire coepit. Die 17 Mart. a. 1796 disputationem pro venia legendi defendit. Eodem anno, ut maiorem artis facultatem consequeretur, iter litterarium suscepit Berolinum, Dresdam, Pragam, Viennam, Posonium, ut et a doctoribus suae artis celeberrimis proficeret, et adeundis valetudinariis publicis omnique genere encheresium chirurgicarum spectando, in rem praesentem veniret, doctrinaque pariter atque usu disceret. Quo pacto et iucundam et fructuosam sibi consuetudinem contraxit cum iis, quicumque artis medicae vel chirurgicae exquisitiori scientia excellebant, imprimis cum Thedenio, Mursinna, Goerkio, Zenkero, Petro Frankio, Guarinio, A. Schmidtio, Bahrdtio, Beerio,

Hunczovskio, Veringio, Boerio, aliis. Reversus ad suos, ab serenissimis Principibus Professor extraordinarius creatus est. Post discessum Ackermanni professio chirurgiae et artis obstetriciae in eum delata est: mox idem receptus, quamquam sine emolumentis, in Ordinem Medicorum atque in Senatum Professorum, Prorectore Ch. G. Grunero. Paullo ante pugnam apud Ienam commissam, nosocomii Borussis et Saxonibus Ienae tum constituti cura a Borussorum duce ipsi est tradita; proelio autem infeliciter facto, quum ingens vulneratorum militum, et Gallorum et Borussorum, numerus in urbem deportati essent; curationem eorum, qui in nosocomio vulneribus et morbis afflicti iacebant, rogatus a Percy, chirurgo Gallico exercitui praeposito, suscepit, quo et ipso maiorem artis chirurgicae facultatem consequutus est. A. 1809 ab serenissimo Duce Vimariensi Consiliarius aulicus dictus est. A. 1811, quum patruus eius, I. Chr. Starkius, diem supremum obiisset, disputatione more maiorum habita, locum in Ordine obtinuit. Anno 1812 a serenissimo Duce Vimariensi, quum ad aliam provinciam vocaretur, archiatri munus ei commissum est. Anno 1813 et insequutis iterum valetudinariis, tunc temporis militum vulneratorum causa, qui plerumque typho laborabant, in hac urbe constitutis praefuit. Quo tempore multa spectavit, quae meminisse horret, multa etiam, quae iuvat. Et utrique spectaculorum generi, haud scimus, an illud annumerandum sit, quod die 28 April. a. 1813 Napoleonem vidit in palatio Vimariensi magnifice magnaque stipatum caterva incedentem, ad quem una cum collegis duobus, b. Schoemano et Eichstadio, legatus ab Academia missus fuerat, postridie quam saevissimus tyrannus perfidam Academiam se incendio deleturum edixisset. Irritas minas fecit non tam deprecatio Professorum, quam rerum ingens conversio, quae paucis diebus post, quum apud Lützenam bellaretur, laetantibus deoque gratias agentibus Germanis consequuta est. Anno 1816 Ordini Falconis albi, ab Magno Duce Vimariensi instaurato, adscriptus, Consiliarius aulae intimus factus, et in summum Medicorum collegium, Vimariae constitutum, receptus fuit. Tum a. 1818 ab Autocratore Russorum Ordinis St. Vladimiri classi quartae additus est. Idem Societatis medicorum corresp. Tigurinae, medico-chirurgicae Bern., physico medicae Erlang. sodalis, Societatis mineralogicae Ienensis assessor cooptatus, et imperiali Leopoldino-Carolinae Societati physicae adiunctus est.

Docet in hac academia artem obstetriciam tum theoreticam, tum practicam, chirurgiam, artemque fascias et machinas chirurgicas applicandi, ophthalmolo-

giam; denique et ſcholas clinicas moderatur, et curam veſanorum in inſtituto publico agit.

Scripta haec in lucem emiſit:

1) Diſſ. de Hydrocele. Ienae 1795. 8.
2) Diſſ. exhibens quaedam de hernia vaginali et ſtrictura uteri, obſervatione illuſtrata. Ienae 1796. 8.
3) Anleitung zum chirurgiſchen Verbande. Auch unter dem Titel: Ioh. Friedr. Henkels Anweiſung zum verbeſſerten chirurgiſchen Verbande, durchaus umgearbeitet und mit vielen Zuſätzen verſehen von D. Ioh. Chr. Stark. Mit 25 Kupfertafeln. Berlin 1802. 8.
4) Diſſ. de cancro labii inferioris obſervationibus illuſtrato. C. tab. aenea. Ienae 1812. 4.
5) Progr. de graviditate extrauterina cum uterina coniuncta, obſervatione illuſtrata. Ienae 1822. 4. Part. I. II.

Gvilielmvs Carolvs Fridericvs Svccow,

Med. et Phil. D. et Prof. Publ. Ord.

Natus eſt Ienae d. 29 Decembris anni 1770, patre Ioanne Laurentio Daniele Succow, Phyſices et Cameralium in hac litterarum Vniverſitate Profeſſore publico ordinario, viro probitate aeque ac doctrina conſpicuo: quem qui hos annales ſcribit, collegam olim habuit, non tantum ingenio atque eruditione, ſed humanitate, ſed benevolentia morumque priſca ſimplicitate et candore ita venerabilem, ut par ſit memoriam illius etiam his annalibus conſervari. Revertimur ad filium, qui diſciplina omni, qua imbui ſolet iuvenilis aetas, privatim eruditus, inde ab anno 1787 publicas Academiae Ienenſis ſcholas adire coepit. In philologicis Schützii et Carol. Chr. Erh. Schmidii, in hiſtoricis Eichhornii et Io. Godofr. Mülleri, in mathematicis, phyſicis et hiſtoria naturali Patris, in botanice et arte chemica Eiusdem et Batſchii, in philoſophicis Henningſii, Ulrichii, Carol. Chr. Erh. Schmidii et Reinholdi, in medicis denique Nicolai, Gruneri, Loderi, Starkii ſenioris, Schenkii et Bretſchneideri inſtitutionibus uſus eſt. Curſu academico emenſo, anno 1792 Vitebergam contendit, ibique per ſex menſes commoratus, e conſuetudine familiari Aſsmanni, Böhmeri, Eberti, Langguthii, Nürnbergeri aliorumque doctorum illuſtrium haud exiguum ſcientiae incrementum ſibi tulit. Redux deinde in patriam Academiam, et ſummis in philoſophia honoribus ab Ordine ampliſſimo Ienenſi ornatus, inde ab auctumno a. 1793 ſcholas pathologicas, toxicologicas aliasque ape-

rire simulque praxi medica exercenda occupari coepit. Doctoris Medicinae et Chirurgiae gradum ab anno 1795 adeptus, paullo post dissertationem suam pro venia docendi rite impetranda defendit. Ex quo tempore non solum praelectiones medicas iam prius institutas continuavit, sed et aliquot annis post una cum Lodero, Hufelandio et Bernsteinio, deinde cum Himlyo, Ackermanno et Fischero exercitationibus clinicis moderandis operam navavit. Professoris Medicinae extraordinarii munere, quod serenissimi Academiae Nutritores anno 1801 in eum contulerunt, usque ad annum 1805 functus, Friburgum Silesiae petiit, ut medici officium, ab illustrissimo Comite Hochbergio ipsi demandatum, susciperet. Praeterlapso triennio iterum Ienam rediit, ut medicinae et docendae et exercendae totum denuo se daret. Anno 1809 serenissimus Magnus Dux Vimariensis Consiliarii aulici honores in eum contulit, et serenissimorum Academiae Nutritorum iussu Professoris medicinae ordinarii honorarii munere auctus, anno 1816 Ordini medicorum gratioso adscriptus est.

Scholae, quae ab eo institui solent, pathologia et therapia speciali, semiotice, pharmacologia et arte formulas medicamentorum concinnandi maxime continentur; item scholis clinicis una cum Perill. Starkio, collega coniunctissimo, inde ab anno 1811 praeest. Antea et pathologiam et therapiam generalem, toxicologiam et medicinam forensem docuerat.

Scripta eius sunt:

1) Diss. inaug. exhibens Toxicologiae theoreticae delineationem. Part. I. Ienae 1795.
2) Diss. pro facultate docendi exh. Toxicologiae theoret. delin. Part. II. Ienae 1795.
3) Pharmakopöe für klinische Institute. 2 Theile. Ienae 1805. 1810.
4) Programma, quod inscriptum est: Historiae phthiseos pulmonalis purulentae in foemina gravida ortae et post partum sponte sanatae. 1822.

Dietericus Georgius Kieser,

Med., Chirurg. et artis obstetriciae D. et Prof. Publ. Ord. Honorar.

Natus est Haarburgi die 24 Augusti. Studiis academicis Goettingae, Wirceburgi et Berolini peractis, summos in arte medica et chirurgica honores et privilegia in Academia Georgia Augusta accepit. Tunc per annum et dimidium praxin medicam exercuit Winsae ad Luham; mox Northemiam prope Gottingam vocatus, per sex annos sequentes medici publici urbis et fontium salubrium Northemensium munere functus est. Ab anno 1812 Professor medicinae extraordinarius

Ienensis, anno 1818 Facultatis medicae Assessor et Professor publicus ordinarius honorarius factus est. Bello contra Francogallos annorum 1813 et 1814 cohortis equitum voluntariorum serenissimi Magni-Ducis Vimariensis vexillifer et medicus castrensis affuit, et consensu eiusdem Principis in bello anni 1815 in exercitu potentissimi Regis Borussiae medicorum castrensium summus praefectus, valetudinaria castrensia Leodii et Versaliae moderatus est. Idem alios deinceps honores adeptus est, ita, ut potentissimi Borussorum Regis a consiliis aulicis, serenissimi Magni Ducis Saxoniae Vimariensis et Isenacensis in re medica a consiliis, praesidio Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae naturae curiosorum adiunctus, Societatis regiae scientiarum Harlemensis, physico-medicae Erlangensis, historiae naturalis Gottingensis, Halensis et Marburgensis, phytographicae Gorenkensis, Magni-Ducalis mineralogicae Ienensis, rerum naturalium et medicinalium Rhenanae Sodalis ordinarius, et regiae Societatis scientiarum Gottingensis ab epistolis esse iuberetur.

Scholarum academicarum haec est ratio, ut pathologiam, therapiam, historiam artis medicae philosophicam, doctrinam magnetismi animalis et anatomiam plantarum doceat.

Praeter complures censuras, ephemeridibus criticis Gottingensibus et Ienensibus insertas, et dissertatiunculas varii argumenti in ephemeridibus medicis et litterariis, haec potissimum scripta in lucem emisit:

1) Ueber die Metamorphose des Thierauges. (In K. Himly et I. A. Schmidt ophthalmologischer Bibliothek, 2 B. 3 St. Iena 1804. 8. p. 73.)
2) Dissertatio inauguralis physiologica de anamorphosi oculi. Goettingae 1804. 4. cum tabulis aere insculptis.
3) Κληροφθαλμος. (In K. Himly et I. A. Schmidt ophth. Bibl. 3 B. 3 St. Iena 1805. 8. p. 79.)
4) Beyträge zur vergleichenden Anatomie und Physiologie, herausgegeben von Dr. Oken und Dr. Kieser. 1, 2 Heft. Bamberg und Würzburg 1806. 1807. 4. Mit Kupfern.
5) Aphorismen aus der Physiologie der Pflanzen. Gött. 1808. 8.
6) Der Ursprung des Darmkanals aus der Vesicula umbilicalis, dargestellt im menschlichen Embryo. Eine anatomisch-physiologische Abhandlung. Göttingen 1810. 4. Mit zwey Kupfertafeln.
7) Entwurf einer Geschichte und Beschreibung der Badeanstalt bey Northeim, nebst einigen Bemerkungen über Schlammbäder. Göttingen 1810. 8. Mit Kupfern.
8) Ueber die Natur, Ursachen, Kennzeichen und Heilung des schwarzen Staares. Eine von der Gesellschaft der Aerzte und Wundärzte in Amsterdam des Preises würdig erkannte Abhandlung. Göttingen 1811. 8.

9) Ueber den wesentlichen und symptomatischen Unterschied zwischen Scharlachfieber (Febris scarlatina), Scharlachfriesel (Febris scarlatina miliaris), Purpurfriesel (Febris purpura miliaris Hahnemanni), Fleckfieber (Febris petechialis) und Purpurfieber (Febris petechialis purpurata). In C. W. Hufeland und K. Himly Iournal der practischen Heilkunde. 1812. Ianuar, Februar.

10) Grundzüge der Pathologie und Therapie des Menschen. Erster Theil. Allgemeine Ideen der Pathologie und Therapie. Iena 1812. 8.

11) Ueber das Wesen und die Bedeutung der Exantheme. Antrittsprogramm bey Eröffnung der Vorlesungen über allgemeine Pathologie und Therapie. Iena 1812. 4.

12) Vorbauungs- und Verhaltungsmaſsregeln bey ansteckenden Faulfieberepidemieen. Iena 1813. 8.

13) Mémoire sur l'organisation des plantes, ou reponse à la question physique proposée par la société Teylérienne, par laquelle on demande: que l'on cherche à décider au moyen d'observations nouvelles, autant que par la comparaison des celles, qui ont été faites deja, ce qu'il y a d'incontestable dans ce que l'on a avancé sur l'organisation des plantes, et spécialement sur la structure, la différence, et les fonctions de leurs tubes ou vaisseaux; en indiquant tout à la fois avec précision ce qu'il y a encore ici d'indéterminé ou de douteux; et quels procédés ultérieurs on pourroit employer pour acquérir plus de lumières à ces divers égards. Qui a remporté le prix en 1812. A Harlem. (1814. 4. avec 22 planches.)

14) Ontleding van den Stekeligen Modderstaart (Chara hispida), van het Knobbelig Zeewier (fucus nodosus), en van eenige andere cryptogamische gewassen. Met Afbeeldingen. (In Naturkundige Verhandelingen van de hollandsche Maatschappy der Wetenschappen te Haarlem. Zevende Deels, eerste Stuk. Te Amsterdam 1814. 4.

15) Grundzüge der Anatomie und Physiologie der Pflanzen. Zum Gebrauche bey seinen Vorlesungen. Ein Auszug aus der im Iahre 1812 von der teylerschen Gesellschaft zu Harlem gekrönten Preisschrift. Iena 1815. 8. Mit 6 Kupfertafeln.

16) S. I. Brugmans und I. Delpech über den Hospitalbrand. Aus dem Holländischen und Französischen übersetzt, und mit Anmerkungen und einem Anhange, diese Krankheit und die Errichtung von Zelten und Baracken bey überfüllten und angesteckten Lazarethen betreffend, begleitet. Iena 1816. 8.

17) System der Medicin, zum Gebrauche bey akademischen Vorlesungen und für praktische Aerzte. Erster Band. Physiologie der Krankheit. Halle 1817. 8. Zweyter Band. Allgemeine Pathologie und Therapie. Ebend. 1819. 8.

18) Archiv für den thierischen Magnetismus. In Verbindung mit mehreren Naturforschern herausgegeben von Dr. C. A. von Eschenmayer, Dr. D. G. Kieser, Dr. Fr. Nasse. 1 Bd. 2 Bd. 1 Stück. Altenburg und Leipzig 1817, 1818. 8. — 2 Bd. 2 Stück. 3—5 Bd. 1818.

1819. 8. — Herausgegeben von Dr. C. A. von Eſchenmayer, Dr. D. G. Kieſer, Dr. C. G. Nees von Eſenbeck, 6 Bd. Halle 1820. — 7—9 Bd. Leipzig 1820. 1821. 8.

19) Ueber die urſprüngliche und eigenthümliche Form der Pflanzenzellen. Mit einer Kupfertafel. (In den Verhandlungen der Leopoldiniſch - Caroliniſchen Akademie der Naturforſcher. Erſter Bd. Erlangen 1818. 4. p. 1.)

20) Das Wartburgsfeſt am 18 October 1817. In ſeiner Entſtehung, Ausführung und Folgen. Nach Actenſtücken und Augenzeugniſſen. Nebſt einer Apologie der akademiſchen Freyheit und 15 Beylagen. Iena 1818. 8.

21) Syſtem des Tellurismus oder thieriſchen Magnetismus. Ein Handbuch für Naturforſcher und Aerzte. Leipzig 1821. 2 Bände. 8. Mit 2 Kupfertafeln.

Fridericvs Sigismvndvs Voigt,

Philoſ. et Med. Doctor, Medicinae et Botanices P. P. O.

Gothae natus eſt, patre Io. Henrico, Mathematum et Phyſices in hac Academia Profeſſore. Studiis Ienae peractis, anno 1802 poſt publicam diſſertationis ſuae defenſionem (de plantis hybridis) Doctoris Medicinae gradum adivit. Tunc incepit Botanicen in hac Vniverſitate docere. Anno 1805 philoſophiae Doctor creatus, iterum (de Generatione originaria) diſputavit, ut docendi facultatem ex legibus impetraret. Inde ab anno 1806 lectiones zoologicas et hiſtoriae naturalis botanicis ſuis addidit. Vrbe hoc tempore a Francogallis bellico impetu vexata, multisque publicis inſtitutionibus turbatis, factum eſt, ut et horti botanici director locum ſuum relinqueret, atque cum alio permutaret. Voigtius in eius ſucceſſionem vocatus, Profeſſoris extraordinarii titulum una cum inſpectione horti botanici anno 1807 accepit. A. 1809 in Galliam ſe contulit, ibique per annum commorans, tum virorum eruditorum commercio, tum muſeorum longo examine variarum ſibi notitiarum copiam comparavit. Quibus et aliis et in alias regiones peregrinationibus factis, Ienam reverſus, profeſſionis ſuae munera obiit. A iuvenibus invitatus inde ab anno 1812 etiam in phyſiologiam corp. humani commentari coepit. Anno 1817 Profeſſoris Medicinae ordinarii, adiecto Botanices titulo, honores impetravit.

Iam a primis iuventutis ſuae annis, Patris, avunculique Blumenbachii exemplo commotus, in Ephemeridibus multis qualiscumque eruditionis ſpecimina exhibuit. Iuſto autem libri volumine prodiit anno 1803: Handwörterbuch der botani-

ſchen Kunſtſprache; tum anno 1805: chemiſche Unterſuchungen über die Vegetation von Sauſſure mit einem Anhang. Anno 1806 Iuſſieuii methodum naturalem, tum in Germania prorſus neglectam, tabulis divulgavit, et eius ſtudium reſuſcitare conatus eſt. A. 1808 compendium edidit botanicum: Syſtem der Botanik; et 1810 in cel. Richardii opus, de fructuum et ſeminum analyſi, commentatus eſt. Anno 1816 obſervationes ſuas, per ſeptem annos inſtitutas, de coloribus corporum naturalium enarravit. Anno 1817 prodiit liber: Grundzüge der Naturgeſchichte als Geſchichte der Entſtehung und Ausbildung der Naturkörper, in quo libro totus orbis naturalis hiſtorica nova theoria exponitur. Anno 1819 iterum Compendium Hiſtoriae naturalis (Ueberſicht der Naturgeſchichte) in uſum tironum conſcripſit et edidit. Quibus ſcriptis aliorum librorum verſiones, diſſertationes, obſervationes et cenſurae criticae accedunt.

IV.

PROFESSORES PHILOSOPHIAE ORDINARII.

IOANNES HENRICVS VOIGT,

Philoſ. D. Mathem. et Phyſices Profeſſor Publ. Ord.

Natus Gothae d. 27 Iunii 1752 e Gymnaſio ill. Gothano, ubi ad philoſophiam et phyſicam, imprimis autem matheſin docendam Profeſſoris munus obtinuerat, ſereniſſimorum Academiae Ienenſis Nutritorum iuſſu ad mathematum profeſſionem huc vocatus eſt. Summos in philoſophia honores conſequutus, d. 18 Aprilis 1789, paullo poſt, d. 4 Maii, in numerum Senatorum Academiae receptus eſt. Publicas lectiones aperuit d. 11 et 14 Maii, et Philoſophorum ordini adſcriptus eſt d. 25 Septembris eiusdem anni, habita diſputatione publica de axiomate XI Euclidis. Poſt obitum b. Succowii 1801, profeſſio eius phyſica, 1802, a ſereniſſimis Nutritoribus ultro ei demandata et cum profeſſione matheſeos coniuncta eſt. Publice per vices aeſtivas et hibernas docet geographiam phyſico-mathematicam, aſtronomiam et cosmographiam: privatim adhuc profeſſus eſt matheſin puram cum geodaeſia; matheſin applicatam, praemiſſa introductione in matheſin ſublimiorem et calculum infiniteſimalem, denique phyſicam theoretico-experimentalem.

Scripta ab eo in lucem edita, sunt:

1) Grundkenntnisse vom Menschen und einigen zu seiner frühen Ausbildung gehörigen Wissenschaften. Gotha 1780. 8.
2) Erster Unterricht vom Menschen und den vornehmsten auf ihn sich beziehenden Dingen. Gotha 1781.
3) Tentamen, ex notione lineae rectae distincta et completa axiomatis XI Euclidis veritatem demonstrandi. Ienae 1789.
4) Grundlehren der reinen Mathematik. Iena 1791.
5) Versuch einer neuen Theorie des Feuers, der Verbrennung, der künstlichen Luftarten, des Athmens, der Gährung, der Electricität und des Magnetismus. Iena 1793.
6) Grundlehren der angewandten Mathematik. Iena 1794.
7) Magazin für den neuesten Zustand der Naturkunde. 1—12 Band. Gotha 1797—1806.
8) Lehrbuch einer populären Sternkunde. Weimar 1799.
9) Entwickelung der physischen Beschaffenheit der Kometen und ihres dadurch begründeten natürlichen Einflusses auf andere Weltkörper. Rudolstadt 1808.
10) Allgemeine Witterungslehre, oder Entwickelung des physischen Zustandes unserer Atmosphäre und der daher rührenden Witterung. Rudolstadt 1808.
11) Allgemeiner katholisch-protestantischer Kalender, mit einer tabellarischen Nachweisung für die Jahre der christlichen Zeitrechnung von 1—2200, und einer chronologischen Einleitung in die Geschichte des gesammten Kalenderwesens, deutsch und franz. Weimar 1809.
12) Kosmographische Entwickelungen der vornehmsten Begriffe und Kenntnisse, welche bey einer zweckmäſsigen Benutzung der Himmels- und Erdkugel erforderlich sind. Weimar 1810.

Henr. Carolus Abr. Eichstaedt,

Theol. et Philos. Doctor, Eloqu. ac Poeseos Prof. Publ. Ord.

Misenensis ego sum, in oppido Saxonico Ossitii anno 1772 die 8 Augusti natus, ex Io. Abrahamo, tum temporis Archidiacono et Ephoro vicario, et Concordia Elisabetha Heinrichia. Matrem mature amisi: sed matris affectum, quum reddi nequeat, tamen quodammodo compensavit magna patris cura, in fingendo puerulo non lente festinantis. Et primae quidem institutioni, quam in schola patria cepi, ita subveniebat illius eruditio, ut undecim annorum puer (a. 1803) iam deducerer in scholam Portensem, tunc Saxonum adhuc delicias et decus, pristinaque illa disciplina florentem,

E 2

quae Graevios olim et Klopstockios protulerat. Magnum fuit Dei beneficium, quod eximios ibi formandisque ingeniis perquam idoneos et mihi benevolentissimos magistros nanciscerer, imprimis Geislerum, Barthium, Hildebrandum, Schmidtium: quorum doctrina factum est, ut anno 1787 non imparatus Lipsiam dimitterer, philologiae enixiorem operam navaturus, cui primum litterarum sacrarum, posthac etiam iuris Romani studium adiunxi. Praeceptores in Academiis urbane dicimus eos, quorum acroateria adivimus: sed si, unde maxime profecimus ad animi culturam, doctrinae cognitione parandam, illi maxime eo nomine digni sunt, ego quinque imprimis Lipsiae praeceptores habui, Morum, Platnerum, Reizium, Beckium, Hauboldum: quorum tres priores iam dudum in vivis esse desierunt, duo postremi ut Academiam et litteras quam diutissime ornent, quo constantius suum mihi amorem conservarunt, eo vehementius etiam mea caussa opto. Beckius mihi admodum adolescentulo, a. 1789, Magisterium Lipsiense impetravit, quamquam refragantibus nonnullis, de lege annali nimis fortasse sollicitis. Magisterii honoribus triennio post docendi in Academia potestas, et a. 1795 philosophiae professio extra ordinem accessit. Hoc ornatus munere, etiam stipendio quodam a Patre patriae optimo adauctus, aegre discessi ab fidissima illa iuventutis meae altrice: sed ut discederem, et in affluentissima litteris artibusque Academia Ienensi, in quam a. 1797 Professor philosophiae ordinarius honorarius fueram evocatus, doctrinae auctus quaererem, illi ipsi summi viri suaserunt, qui et munus Lipsiense detulerant, et mox ornatiorem me auctioremque illuc reducturos spondebant. Ac steterunt promissis, offerenda post Heydenreichii discessum professione in Academia Lipsiensi ordinaria: et, mox sex septemve aliae ab exteris oblatae sunt conditiones, quibus Iena abstraherer: sed non passus sum me abduci ab Academia, quae tunc tantis tantorum virorum studiis vigebat, et ubi, qui huc invitarat, et in praestantissimis eius doctoribus numerabatur, idem iam hospitii suavitate et iucundus paterfamilias domestico me vinculo retinebat. Nam Schützius, quem honoris caussa nomino, me sibi et collegam dari voluerat, et consortem laborum adsciverat, et successorem muneris destinabat. Quae res septem post annos eventum habuit, non eum quidem, quem Schützius, incommoda valetudine antea laborans lectoque saepe affixus, animo praeceperat, sed qui et mihi gratior, et Schützii familiae iucundior, et vero litteris amplior esset ad utilitatem. Postquam enim ille, recuperata sanitate, Academiam Halensem repetiverat, cuius etiam nunc ingens est decus, ego hic in eius locum Professor eloquentiae et poeseos suffectus sum. Vnde novus rerum mearum ordo processit. Omnino vitam, Ienae peractam, singula septennia,

tamquam epochae, distinxerunt, quas apud familiares, ubi sumere superbiam licet, describere soleo ad modum illarum mundi aetatum, quas poetae cecinerunt, sed inverso ordine. Nobis enim prima venit ferrea aetas, pertinens ad primum illud septennium, nullo salario sustentatum, multisque, ut fit, circumseptum curis atque difficultatibus. Successit aurea aetas, Principum, imprimis Ducis Vimariensis, vere magni illius iam tum, quum eum titulum nondum suscepisset, singulari favore, Goethii et Voigtii constantissima benevolentia, Vossii patris, Ienae tum degentis, amicitia et familiaritate exhilarata, ipsoque iuventutis flore ac robore valens. Tertio septennio, ab secundo multum diverso, prius quam singula dissimilitudinum momenta pensitare possem, supervenit quartum, cuius quartus iam annus agitur. Vtrumque ab utra aetate appellandum sit, hoc exacto dicam: num exacturus sim, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, qui de fragilitate rerum humanarum me aliquoties admonuerunt.

Antequam Schützio successeram, a. 1800 Societas Latina Ienensis me praeesse sibi Directorem iusserat, et Meiningensium optimus Princeps, Divus Georgius, Consiliarii aulici titulo a. 1801 ornarat; suscepta vero a. 1803 eloquentiae et poeseos docendae provincia, nova subinde munera, novi honores accesserunt. Nam a. 1804 Bibliothecae academicae praefectus, a. 1808 Theologiae Doctor honoris caussa creatus, a. 1809 Magni Ducis Saxoniae Vimariensis indulgentia Consiliarius aulae intimus nuncupatus, a. 1811 alumnis Kleberianis, a. 1812 civibus Gothanis et Altenburgensibus, a. 1813 Vimariensibus et Isenacensibus, a. 1815 Meiningensibus, eodemque fere tempore convictui civium nostrorum publico praepositus, denique a. 1817 Seminarii philologici Director primus constitutus sum. Exterae quoque Academiae et Societates permultae multa studiorum vel incitamenta vel ornamenta attulerunt, etiam eae, quae, ut neglectas disciplinas a me non alienas putarem, honorifica compellatione videntur commonefacere voluisse: quales sunt oeconomicae, phytographicae, mineralogicae, aliae. Praeterea, quod et gratulor mihi, et grata mente profiteor, Vniversitas litterarum Moscoviensis Professorem me honorarium cooptavit, atque Academia Monacensis, Institutum regium Belgicum, quod Amstelodami floret, Academia Erfordiensis, Academia Moguntina, Societatesque litterarum Curona, Leodina, Lipsiensis, Traiecto-Viadrina et Regiomontana Socium sibi delegerunt. His tot in me collatis beneficiis et honoribus ut ne indignus censerer, laboravi ego quidem, quantum potui, per totam vitam: quam parum elaboraverim, nemo me melius scit. Inchoavi plura, quam perfeci: movi magis, quam promovi, etiam tentata aliquoties per res et tempora deponere coactus. —

Ad scholas quod attinet, post Schützii discessum, exemplo illius et instituto maiorum, docendo complexus sum artes humanitatis universas, sola archaeologia excepta, cuius recte tradendae nulla in hac civitate subsidia reperiebantur. Ex quo Professor linguae Graecae rebus nostris datus est, meas scholas in Latinis, in encyclopaedia philologica, in historia litterarum continendas putavi. Denique magnam temporis partem ephemerides litterariae sibi vindicant, quarum edendarum curam et moderationem inde ab anno 1804 suscepi. His exantlatis aliquando laboribus, ubi confectae erunt corporis vires, quas integras infractasque academica studia requirunt, quod Horatius olim rogavit, idem ego Deum rogo,

Frui paratis ruris in otio
Donet remoti, sed (precor) integra
Cum mente, nec turpem senectam
Degere, nec cithara carentem.

Scripta haec sunt:

1) De dramate Graecorum comico-satyrico, imprimis de Sosithei Lytiersa. Lips. 1793. 8.
2) Adumbratio quaestionis de carminum Theocriteorum ad genera sua revocatorum indole ac virtutibus. Lips. 1793. 4.
3) Sam. Fr. Nath. Mori Acroases in epistolas Paulinas ad Galatas et Ephesios. Lips. 1795. 8.
4) Quaestionum philologicarum Specimen. Lips. 1796. 4 et 8.
5) Sam. Fr. Nath. Mori super Hermeneutica Novi Testamenti Acroases academicae, editioni aptatae, praefatione et additamentis instructae. Vol. I et II. Lips. 1797. 1802. 8.
6) Acroasis pro Societatis Latinae Ienensis instauratione. Ienae 1800. 8.
7) Diodori Siculi Bibliothecae historicae libri qui supersunt ac deperditorum fragmenta. Graeca emendavit, notationem argumentorum subiecit, Latinam Laur. Rhodomani interpretationem castigavit, et notas virorum doctorum ex editione Petri Wesselingii integras cum suis animadversionibus indicibusque locupletissimis adiunxit. Vol. I. Hal. 1800. Vol. II. 1802. 8.
8) T. Lucretii Cari de rerum natura libri sex, ad optimorum exemplarium fidem emendati; cum Rich. Bentleii animadversionibus, Gilb. Wakefieldi praefationibus et commentariis integris caeterorumque interpretum praestantissimorum observationibus selectis edidit, suas notas et indices copiosissimos adiecit. Vol. I. Lips. 1801. 8.
9) Quaestionum philologicarum novum Specimen. Ienae 1804. 4 et 8.
10) Geschichte Griechenlands, eine freye Uebersetzung des engl. Werkes von Wilhelm Mitford. 1—6 Bd. Leipzig 1802—1808. 8.

11) Progr. in quo tractantur Plutarchea quaedam e poetis hausta. Iena 1804. fol.
12) Parentalia sacra Academiae Ienensis in memoriam Ludovici Ernesti, Ducis Saxoniae, indicit. Ienae 1804. fol.
13) Progr. de imaginibus Romanorum ad Iuvenal. Sat. VIII, 1—20. Commentatio I—III. Ienae 1805. fol. Iidem libelli, sed auctiores multo atque emendatiores, continentur hoc volumine:
14) De imaginibus Romanorum dissertationes duae; indicendis quibusdam solemnibus in Mariae Paulownae, Augustae principis, honorem celebratis, Academiae Ienensis auctoritate scripsit. Editio altera locupletior. Accessit oratio de bonis Academiae Ienensis, et D. Gabrielis Henry versio utriusque scriptionis Gallica. Petropol. 1806. 4.
15) Nova Acta Societatis Latinae Ienensis. Vol. I. Lips. 1806. 8.
16) Progr. Clytaemnestrae, tragoediae Sophocli in Codd. adscriptae, Fragmentum nunc primum in Germania editum. Ienae 1806. fol.
17) Progr. in quo disputantur nonnulla de iis, quae novo Tibulli editori vel cavenda vel facienda sint. Ienae 1806. fol. Continuatio inest in prooemio catalogi praelectionum in Acad. Ienensi per hiemem 1806 habitarum. Ienae 1806. fol.
18) Progr. Necessariam esse etiam Theologiae studiosis criticam disciplinam, novo Valckenarianae de Aristobulo Iudaeo diatribes exemplo demonstratur. Ienae 1806. 4.
19) Progr. cui inest Ithyphallicum Carmen Demetrio Poliorcetae cantatum, quum ad sacra Cereris Athenas reverteretur. Ienae 1807. fol.
20) Progr. Memoriam Annae Amaliae, Caroli Augusti, Ducis Saxoniae, matris, Academiae Ien. nomine commendat. Ienae 1807. fol.
21) Progr. cui inest Fragmentum Catulli ab I. Marchena nuper e Mspto Herculanensi in lucem protractum, nunc collatum cum vetusto Codice Bibliothecae Ienensis, ex eoque viginti versibus auctum. Ienae 1807. fol.
22) Progr. quo principem Lucretii editionem Brixiensem exstare confirmatur. Ienae 1808. fol.
23) Io. Frid. Fischeri, Rectoris quondam Scholae Thomanae Lipsiensis, Antiquitatum Romanarum Specimen. Ienae 1808. 8.
24) Progr. De Lutheranismi novissimis quibusdam fatis. Ienae, 1808 4.
25) Memoria Christiani Gotthelf Hübneri, Antecessoris nuper Ienensis. Ienae 1808. fol.
26) Pr. Christophori Saxi Antiquitatis Romanae Specimen I. Ien. 1809. 4. Specimen II. 1809. fol.
27) Progr. in quo nova Bucolicorum poetarum Graecorum editio indicitur. Ien. 1810. fol.
28) Progr. Censura novissimarum observationum in Horatii epistolam ad Pisones. I et II. Ienae 1810. 1811. fol.

29) Progr. Supplementum Longi Paftoralium, ex Codice Florentino nuper vulgatum, nunc diligentius editum. Ien. 1811. fol.

30) Progr. Phaedri quae feruntur Fabulae XXXII in Italia nuper repertae, nunc primum in Germania editae, adiunctis Dorvillii et Burmanni emendationibus. Ien. 1812. fol.

31) Progr. Hieronymi de Bofch Curae fecundae in Horatii epiftolam ad Pifones de arte poetica e fchedis b. Auctoris nunc primum editae. Ien. 1812 fol.

(Hoc programma et quod no. 28 indicavi, typis repetendum curavit Cl. Ernefti in Parergis Horatianis. Hal. 1818. 8.)

32) Memoriam Viri Perilluftris, Chriftiani Gottl. de Voigt, I. V. D. Vimariae d. 19 Maii a. 1813 defuncti, civibus commendat Vniverfitas litterarum Ienenfis. Ienae 1813. 4.

33) Panegyrin honori et memoriae Viri Perilluftris, Aug. Frid. Caroli L. B. de Ziegefar, inftituendam Academiae Ienenfis auctoritate indicit. Ien. 1814. 4.

34) Progr. Flaviani de Iefu Chrifto teftimonii αὐθεντία quo iure nuper rurfus defenfa fit. Quaeftio I—IV. Ien. 1813. 1814. fol.

35) Vitae parallelae Ioannis Iacobi Griesbachii et Caroli Chriftiani Erhardi Schmidii. Part. I. II. III. Ien. 1815. 1816. fol.

(Hos tres libellos et quartum illum de teftimonio Flaviano, ne quis aut fruftra requirat, aut falfo indicio hic proditas arguat, fcripti illi funt et typis excufi, fed luce non donati. Mira res: de qua narrabo in Opufculis academicis, quae τοὺς ἀφανισθέντας (quo fenfu Xenophon dixit K. Π. VII, 2, 12) tandem in lucem et libertatem vindicabunt.)

36) Einige Winke zur Beförderung der humaniftifchen Studien auf Univerfitäten. Iena 1816. 8.

37) Progr. Drama Chriftianum, quod Χριστὸς πάσχων infcribitur, num Gregorio Nazianzeno tribuendum fit. Ienae 1816. 4.

38) Progr. M. Cornelii Frontonis operum nuper in lucem protractorum notitia et fpecimen. Ienae 1816. fol.

39) De Symmachi Orationum particulis, ab Ang. Maio nuper in lucem protractis. Ienae 1816. 4.

40) Progr. Theologiae ftudium academicum fex femeftribus defcriptum. P. I. II. III. 1816. 1817. fol.

41) Progr. De iurisprudentiae ftudio, femeftribus academicis recte accommodando. Ienae 1818. fol.

42) Progr. De medicinae ftudio, femeftribus academicis recte accommodando. Ienae 1817. fol.

43) Progr. De principum Saxonicorum Erneftinae profapiae in religionem, ecclefiam, litteras meritis. Ienae 1817. 4.

44) Progr. Davidis Ruhnkenii in antiquitates Romanas lectiones academicae cum annotatione editoris. I—V. Ienae 1818.—1822. fol.

45) Progr. De Lygdami Carminibus, quae nuper appellata sunt. Commentatio I. Ienae 1819. fol.

46) Progr. de supposito versu paenultimo in Horatii Oda prima. Ien. 1818. 4.

47) Progr. de suppositis versibus in Horatii Oda III, 11, 17—20. Ienae 1819. 4.

48) Inscriptio arenaria, Treveris nuper reperta. Ienae 1819. 4.

49) Progr. Lucianus num scriptis suis adiuvare religionem Christianam voluerit. Ienae 1820. 4.

50) Progr. De servitute luminum et ne luminibus officiatur, ad explicandum Ciceronis locum I Orat. 39. Commentatio I et II. Ienae 1820. fol. et 4.

51) Ueber die wahre Ortsbestimmung der Hermannsschlacht. Zwey neue Untersuchungen vom General Freyh. v. Hammerstein und Geheimenrath von Hohenhausen. Mit einem Sendschreiben an H. Geh. Iustiz-u. Oberappell. Rath Freyh. v. Strombeck. Altenburg. 1821. 8.

52) Progr. Exercitationes Antoninianae. Ienae I—VI. 1821. 1822. fol. et 4.

53) Progr. De instituto scriptionis academicae; in Academia Ienensi nuper in usum revocato. Ienae 1822. 4.

54) Prooemia scholarum academicarum indicibus praefixa inde ab anno 1804. fol. et 4.

55) Hesiod, Homer und Ilias: drey Artikel in Grohmanns Handwörterbuch über die schönen Künste, 2 Bde. Leipzig 1794.—1795. 8.

56) Tiberius Claudius Atticus Herodes; in Fabricii et Harlesii Bibliotheca Graeca Vol. VI. (1796) p. 4. sqq.

57) Annotationes multae et supplementa in Horatii Sat. et Epistol. editione Haberfeldiana, Lips. 1800 et 1802. 8.

58) Ueber Wolfs Ansicht von den homerischen Gesängen; in Wielands teutschem Merkur 1795.

59) Epistola ad Frid. Astium, adiecta huius dissertationi de Platonis Phaedro. Ienae 1801. 8.

60) Kritischer Nachtrag (über Horaz) zu van Ommerens Horaz, als Mensch und Bürger von Rom, übersetzt von L. Walch. Leipzig 1802. 8.

61) Auctarium ad L. Purgoldi Observationes criticas. Ienae 1802. 8.

62) Praefatio ad Bernsteinii librum: Versus ludicri in Imperatores Romanos compositi. Hal. Sax. 1811. 8.

63) Censurae librorum non paucae in ephemeridibus Ienensibus, tum vett. tum novis, in Erfordiensibus, Erlangensibus et in Bibliotheca nova artium, quae Lipsiae prodibat.

F

Henricus Luden,
Philos. D. Historiarum Prof. Publ. Ord.

Loxstadio-Bremensis est, natus d. 10 mensis Aprilis 1780. Inde ab anno 1796 usque ad annum 1799 scholam cathedralem, quae Bremae floret, frequentavit. Deinde in Academia Georgia Augusta per quadriennium studiis theologicis, historicis philosophicisque operam navavit. Postea tres annos primum rure, mox Berolini, denique Gottingae vitam degit. A. 1806 a serenissimis Academiae Ienensis Nutritoribus ad professionem philosophiae extraordinariam vocatus, Ienam se contulit, scholasque in hac academia historicas aperuit. Anno 1810 professionem historiarum ordinariam suscepit.

Tradere in hac Academia solet historiam antiquorum populorum, historiam medii aevi, quod dicitur, et novam, item historiam Graecorum et Romanorum, Germanorum etc., denique politicen.

Libros vero, praeter dissertationes non paucas de variis historiae, politices et philosophiae locis sine auctoris nomine ephemeridibus litterariis insertas, edidit hosce:

1) Christian Thomasius, nach seinen Schicksalen und Schriften dargestellt. Mit einer Vorrede von Iohann von Müller. Berlin 1805.
2) Hugo Grotius, nach seinen Schicksalen und Schriften dargestellt. Berlin 1806.
3) Sir William Temple. Biographie. Göttingen 1808.
4) Kleine historische Schriften. Göttingen 1807.
5) Die letzten Briefe des Iacopo Ortis. Aus dem Italiänischen. Göttingen 1807.
6) Ansichten des Rheinbundes. Briefe zweyer Staatsmänner. Göttingen 1808. Zweyte Ausgabe. Göttingen 1809.
7) Grundzüge ästhetischer Vorlesungen, zum akademischen Gebrauche. Göttingen 1808.
8) Einige Worte über das Studium der vaterländischen Geschichte. Vier Vorlesungen. Iena 1810.
9) Handbuch der Staatsweisheit oder der Politik. Ein wissenschaftlicher Versuch. Iena 1811.
10) Ueber den Sinn und Inhalt des Handbuches der Staatsweisheit. Iena 1811.
11) Meletematum historico-criticorum ad antiquam Germanorum statum spectantium Sp. I. Ienae 1811.
12) Herders Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit. Mit einer Einleitung. Leipzig 1812. Neue Ausgabe. Leipzig 1821.

13) Allgemeine Geschichte der Völker und Staaten des Alterthumes. Iena 1814. Zweyte Ausgabe. Iena 1819.
14) Nemesis. Zeitschrift für Politik und Geschichte. Weimar 1814—1818. 12 Bände.
15) Tagesgeschichte. Zu den teutschen Blättern. (Altenburg.) 1815.
16) Allgemeines Staatsverfassung-Archiv. Weimar 1816. 3 Bände.
17) Das Königreich Hannover nach seinen öffentlichen Verhältnissen, besonders die Verhandlungen der allgemeinen Stände in den Iahren 1814, 1815 und 1816. Nordhausen 1817.
18) Neigebaurs Darstellung der provisorischen Verwaltung am Rhein vom Iahre 1813 bis 1819. Mit einer Vorrede... Köln 1821.
19) Der Landtag des Grosherzogthums Sachsen-Weimar-Eisenach 1820. Verhandlung über die Oeffentlichkeit der Sitzungen. Iena 1821.
20) Allgemeine Geschichte der Völker und Staaten des Mittel-Alters. Erste Abtheilung. Iena 1821. Zweyte Abtheilung. Iena 1822.
21) I. C. Simonde de Sismondi, Geschichte der Franzosen. Mit Anmerkungen. Erster Band. Iena, 1822.

Io. Georgivs Lenz,

Philos. D. et Professor Publ. Ord.

Natus a. 1745 Schleusingae Francorum, ubi pater praeceptoris munere in Gymnasio Hennebergico ibi constituto fungebatur. Vix septennis puerulus patre orbatus est. Ab anno decimo aetatis, re domestica iubente, pueros erudire coepit, ut necessaria sibi pararet, idque sedulo egit usque ad annum 1765, quo Academiam Ienensem petiit, theologiae nomen daturus eique studio operam navaturus. Sed ad vitam sustentandam etiam hac in urbe nihil ei reliquum fuit, quam quaerere, qui filiolos erudiendos sibi traderent. Sic quaerenti feliciter evenit, ut, quem summa pietate etiam post mortem veneratur, in virum optimum Blaschium, Professorem tum Ienensem, incideret, qui ipsum non solum suis liberis doctorem adhibuit, sed etiam iuveni cuidam nobili de Wilke magistrum commendavit, aliquanto post in domum illustris medici D. Nicolai induxit, in qua per sex continuos annos omnibus vitae commodis frui licuit. Huius fautoris auctoritate, et cui ab ipso commendatus fuit, Immanuelis Walchii, Philologi celeberrimi, benevolentia adiutus, a 1770 gradum Doctoris Philosophiae ab Ordine amplissimo in templo academico et gratis quidem adeptus, inde ab illo tempore academicas scholas offerre coepit. A. 1773 munus Lectoris in con-

F 2

victorio Ducali ipsi demandatum est. Hoc munus, quod in aedificiis academicis domicilium capere iubet, caussa erat, cur studiis theologicis, quibus hucusque ita vixerat, ut templo academico fere unus praeesset, et binas per mensem orationes sacras recitaret, nunc rerum naturalium cognitionem non iungeret solum, sed anteponeret. Accola enim factus erat horti academici botanici et hortulani, mox amici, Klipsteinii, qui eum ad studium botanices amica manu deduxit. A botanicis deinde ad zoologica et mineralogica pergens, omnem historiae, quam dicunt, naturalis ambitum sibi penitius cognoscendum perscrutandumque proposuit, ita ut praeire etiam aliis, in idem studium incumbentibus, has disciplinas in animum induceret. Quibus studiis effecit, ut, quum post Walchii obitum anno 1779 serenissimus Magnus Dux Saxo-Vimariensis Museum, quod ille reliquerat, emptionis iure suum fecisset, ipsum huic Museo nunc Ducali praeficeret, et a. 1785 titulo Secretarii rei metallicae ornaret. Inde ab hoc tempore mineralogiae operam omnem et omne tempus impendit, quam quidem disciplinam prius ex Wallerii et Cronstedtii systematibus enucleatam, mox ad celeberrimi Werneri lineamenta ipse accuratius elaboravit, et condita a. 1793 Societate mineralogica, multis scriptis adiuvare et promovere studuit. Quibus studiis serenissimi Academiae Ienensis Nutritores, et imprimis Magnus Dux Saxoniae, sic annuerunt, ut a. 1794 Professoris extraordinarii, a. 1810 Professoris ordinarii, et iam antehac Consiliarii rei metallicae muneribus et honoribus eum augerent. Praeterea Magnus Dux Saxoniae, quo meritorum testimonium publice exhiberet, monetam illam meritis dicatam ab iisque dictam ei obtulit, quam tamquam insigne cum lemnisco rubro ordinis Falconis gestaret. Denique etiam Societates litterariae per universam prope Europam eum socium cooptaverunt.

Scripta, quae composuit et typis exprimi hucusque iussit, ad ordinem chronologicum redacta, haec sunt:

1) Commentatio de paedagogis veterum Romanorum. Ienae 1766. 4.
2) Versuch einer Erklärung der Stelle im Buche der Richter vom Gelübde des Iephtha. Iena 1768. 4.
3) Erklärung des achten §. der Danzischen ebräischen Sprachlehre. Iena 1771. 4.
4) Versuch einer Beantwortung der Frage: Warum Ruth 1. 8. 9. die Noomi das Suffixum der männlichen Endung gebraucht hat. Iena 1774. 4.
5) M. T. Ciceronis librorum philosophicorum P. I. in se continens Laelium, sive de amicitia dialogum, ex recensione Graevii; accedit lectionis varietas cod. manasc. Erfurtensis, edi-

tionis ad primitias typographicas referendae, Nicolai, Gerbellii, Victorii, Gryphiorum, Ursini, Manutiorum, Plautini etc. Hildburghusae 1778. 8.

6) Publii Terentii Andria, ex recensione Lindenborgii: accedit lectionis varietas summae vetustatis codicis Ienensis manu exarati, nec non editionum aliquot priorum, cum variorum notis. Ienae 1780. 8.

7) Publ. Terentii Eunuchus. 1782.

8) — — — Phormio. 1783.

9) — — — Heautontimorumenos. 1783.

10) — — — Adelphi — — 1784.

11) Tabellen über die Versteinerungen zum ersten Unterricht. Iena 1781.

12) Anfangsgründe der Thiergeschichte zum Gebrauch academischer Vorlesungen. Iena 1782.

13) Kurze Uebersicht der in dem Ienaischen Schlosse aufbehaltenen Naturalien, nach der Ordnung der Zimmer, in welche ich sie vertheilt habe. Iena 1783.

14) Diss. mineralogica de venarum metalliferarum origine. Iena 1788. 4.

15) Kurze Abhandlung vom Basalt, vorzüglich dessen Ursprung betreffend. Iena 1789.

16) Mineralogisches Handbuch durch weitere Ausführung des Wernerischen Systems. Hildburghausen 1791.

17) Zweyte gänzlich umgearbeitete und vermehrte Ausgabe. Hildb. 1792.

18) Grundriss der Mineralogie, nach dem neuesten Wernerischen System, zum Gebrauch bey Vorlesungen auf Akademien und Schulen. Hildburghausen 1793.

19) Mustertafeln der bis itzt bekannten einfachen Mineralien, worauf dieselben nach ihren Gestalten und natürlichen Farben abgebildet sind. Iena 1794.

20) Versuch einer vollständigen Anleitung zur Kenntniss der Mineralien. Leipzig 1795.

21) System der Mineralkörper mit Benutzung der neuesten Entdeckungen. Bamberg 1800.

22) System der äussern Kennzeichen der Mineralien. Bamberg 1800.

23) Annalen der Societät der Mineralogie, 5 Bände. Iena 1802—1811.

24) Tabellen über das gesammte Mineralreich. Iena 1806.

25) Erkenntnisslehre der anorganischen Naturkörper. In 6 Bänden. 1812. 1814.

26) Handbuch der Mineralogie, die Metalle enthaltend. Iena 1819—21.

27) Einzelne kleinere Aufsätze und Recensionen in mehreren Zeitschriften zerstreut.

Carolus Fridericus Bachmann,
Philos. D. Moralium et Politices Prof. Publ. Ord.

Natus est Altenburgi d. 24 Iun. a. 1785. Omnibus litterarum elementis, quibus puerilis aetas imbui debet, a magistro privato institutus, quum duodecimum ageret annum, introductus est in Gymnasium, in quo imprimis Laurentius, et secundum hunc Matthiä, Moerlinus et Ramshornius egregie de ipso meruerunt. Octodecim annorum adolescens ad Vniversitatem litterarum Ienensem accessit, ibique initio, ut matris exspectationi satisfaceret, ad theologiae studia incubuit; mox vero, incitatus cupiditate caussas rerum cognoscendi, a natura iam in pueri animum insculpta, totum se philosophiae dedit, et Hegelium, Schelverum, Krausium atque Astium indefesso studio audivit. Ab Eichstadio, cuius scholis philologicis utebatur, Societati Latinae adscriptus est. Exacto post annos tres Ienensi curriculo, ac summis ab amplissimo Philosophorum Ordine honoribus rite condecoratus, quum iudicasset, nec sine librorum exquisita copia inchoata studia perfici, nec sine contemplatione artium intelligentiam pulcri acui posse, Dresdam se contulit, ibique duos prope annos ita vixit, ut regiis litterarum thesauris adiutus, ad academicum docendi munus sese componeret. A. 1809 Academiam Heidelbergensem adiit; sed quum paullo post contra ac sperabat, gravi laboraret morbo, valetudinis restituendae caussa datam occasionem Helvetiam abeundi arripuit, et Belpum profectus est, vicum prope Bernam, ubi apud virum generosum de Wattenwyll curam filiorum regendorum suscepit. Restitutus a. 1810 Ienam se recepit, ibique auctoritate Ordinis amplissimi Philosophorum scholas privatas aperuit. Elapso uno anno ac dimidio gratia serenissimorum Principum data est ei provincia Professoris extraordinarii in Philosophorum Ordine; et a. 1813 publico docendi munere in eodem Ordine ornatus est. A Societate Magniducali mineralogica Ienensi, Caesarea Petropolitana mineralogica, Regia Dresdensi mineralogica, ac nuper a Societate artium ac scientiarum Traiectina numero sociorum adscriptus est. Tradere solet in scholis academicis logicen et metaphysicen, historiam philosophiae, anthropologiam, aestheticen, philosophiam speculativam, totiusque philosophiae systema.

Scripta ab ipso edita haec sunt:

1) Mehrere kleine Aufsätze in dem deutschen Merkur in den Iahren 1807—1810.

2) Ueber Iacob Böhme in den Studien (herausgegeben von Daub und Creuzer 1810).

3) Diss. Aesthetices apud Graecos vestigia quaerens. Iena 1811. 8.

4) Ueber Philosophie und ihre Geschichte. Drey akademische Vorlesungen. Iena 1811. 8.

5) Die Kunstwissenschaft in ihrem allgemeinen Umrisse, für akademische Vorlesungen. Iena 1811. 8.

6) Kleine philosophische Schriften. 1s Bdchen. Auch unter dem Titel: Ueber Philosophie und Kunst. Ein Fragment. Iena 1812. 8.

7) Sprach- und Begriffsverwirrung deutscher Philosophen in Verstand und Vernunft. Ein Programm. Iena 1814. 4.

8) Diss. de peccatis Tennemanni in historia philosophiae conscribenda. Iena 1814. 4.

9) Ueber die Philosophie meiner Zeit, zur Vermittlung. Iena 1816. 8.

10) Ueber Geschichte der Philosophie, 2 Aufl. nebst einem Sendschreiben an den Herrn Etatsrath und Prof. Reinhold in Kiel. Iena 1820. 8.

11) His accedet scriptum auctoritate Societatis artium ac scientiarum publicae Trajectinae mox e prelo proditurum, quod hunc indicem habebit: Beantwortung der Frage: Darf man hoffen, dass Physik und Physiologie werden als zwey eng verwandte Wissenschaften betrachtet werden, deren allgemeiner Begriff in der speculativen Philosophie vorhanden ist? Welche Gründe giebt es für diese Hoffnung? und welches sind im entgegengesetzten Falle die Gründe, warum diese Wissenschaften, die doch für die Philosophie so wichtig sind, getrennt bleiben müssen?

IACOBVS FRIDERICVS FRIES,

Philos. et Med. D. Logices et Metaphys. Prof. Publ. Ord.

Natus Barbyi, oppido in confluente Salae et Albis sito, anno 1773 d. 23 Augusti, patre Petro Conrado de Fries e stirpe Hassica, matre Christiana Sophia e gente Iaeschkia, quae, ut sacra patria conservaret, una cum aliis fratrum Moravorum e Moravia in Lusatiam superiorem ineunte saeculo 18 confugerat, recepta ibi in tutelam Comitis de Zinzendorf. Vixdum quinque annos natus, a patre, quem assessoris collegii Seniorum unitatis fratrum evangelicorum munus crebris itineribus a domo detinere solebat, traditus est disciplinae scholarum unitatis fratrum, quae Nieskiae et Barbyi tum florebant. Ibi quum artes humanitatis tractasset, anno aetatis 18 in Seminarium unitatis fratrum receptus per tres annos litteris theologicis operam dedit. Inde quum unice philosophiae se dicare apud animum constituisset, anno 1795 Lipsiam se contulit, et quum ibi praeter philosophorum etiam ICtorum acroases obiisset, ut summatim eorum doctrinam cognosceret, Ienam se convertit, physicis operam suam navaturus.

Per illud tempus, quum novam crisin rationis humanae instituere moliebatur, praevias dissertationes conscripsit:

Ueber das Verhältniss der empirischen Psychologie zur Metaphysik,

Propädeutik einer allgemeinen empirischen Psychologie,

receptas illas a C. C. E. Schmidio in Tom. 3. an. 1798 Annalium philosophicorum, qui inscribuntur: Psychologisches Magazin; chemicam vero, cui titulus:

Versuch einer Kritik der Richterschen Stöchiometrie,

A. N. Scherer diario suo chemico: Archiv der theoretischen Chemie, inseruit.

Exeunte aestate anni 1797 in Helvetiam migravit, et Tobinii per tres annos a viro nobilissimo Suter-Seelmatter, Centurione, in contubernium adscitus est. Anno 1801, quum Ienam reversus medicis litteris imprimis operam dedisset, et summos in philosophia honores ab Ordine Philosophorum Ienensium amplissimo impetrasset, per biennium publice ibi philosophiam docuit, editis subinde his libris:

Reinhold, Fichte und Schelling. Leipzig 1803.

Regulative für die Therapeutik. Leipzig 1803.

Philosophische Rechtslehre. Iena 1804.

System der Philosophie als evidente Wissenschaft. Leipzig 1804.

Ineunte vere anni 1803 una cum amico suo Adolpho ab Heyniz iter per Germaniam, Helvetiam, Galliam et Italiam superiorem fecit, indeque anno 1804 redux Ienae philosophiam docere perrexit, simulque librum edidit:

Wissen, Glauben und Ahnden. Iena 1805.

Anno 1805 a serenissimis Academiae Ienensis Nutritoribus Professor philosophiae extraordinarius constitutus est. Postea serenissimo Instauratori Carolae-Ruperṭae Heidelbergam, ut Professoris philosophiae P. O. munere fungeretur, vocanti morem gessit. Annis 1808 et 1812 ab Academiis regiis disciplinarum et artium Monachiensi et Berolinensi socius ab epistolis receptus est. Quibus honoribus ordo Medicorum Marburgensium diploma doctoris medicinae honorarium adiunxit. Anno 1813 muneri ipsius professio physices ita adiiciebatur, ut simul mechanothecae physicae conservandae cura ipsi imponeretur. Quibus muneribus ad annum 1816 usque functus, hos libros edidit:

Neue Kritik der Vernunft in drey Bänden. Heidelberg 1807.

System der Logik. Heidelb. 1811. Zweyte Aufl. 1819.

Populäre Vorlesungen über die Sternkunde, gehalten im Winter 1811 auf 1812. Heidelb. 1813.

Entwurf eines Systems der theoretischen Physik. Heidelb. 1813.

Fichte's und Schelling's neueste Lehre von Gott und der Welt. Heidelb. 1807.

Von deutscher Philosophie Art und Kunst. Ein Votum für F. H. Iakobi. Heidelb. 1812.

Belehrt Euch. Heidelb. 1814.

Iulius und Evagoras. Ein philosophischer Roman. Erster Band. Heidelb. 1814.

Vom deutschen Bund und deutscher Staatsverfassung. Allgemeine staatsrechtliche Ansichten. Heidelb. 1816.

Ueber die Gefährdung des Wohlstandes und Charakters der Deutschen durch die Iuden. Heidelb. 1816.

Praeterea Studiis, diario a Creuzero et Daubio edito, commentationes duas inseruit, alteram:

Ueber Atomistik und Dynamik. 1807.

alteram:

Tradition, Mysticismus und gesunde, Logik oder über die Geschichte der Philosophie. 1810.

Neque aut edendae diariorum litteraturae Heidelbergensium parti philosophicae, mathematicae et physicae, aut commentationibus suapte manu scriptis addendis, per aliquot annos operam suam denegavit.

Exeunte anno 1816 a serenissimis Academiae Ienensis Nutritoribus Professoris P. O. philosophiae theoreticae provincia ipsi ita demandata est, ut simul a serenissimo Magno Duce Saxoniae Consiliarii aulici diploma ei exhiberetur. Anno 1817 in societatem Marburgensem ad incrementum scientiae physicae conditam socius ordinarius adscriptus est.

Litterae, quas Ienae docet, hae sunt: per sem. hiem. Logica cum introductione in studium philosophiae; Ethica; Religionis philosophia et Aesthetica philosophica. Per sem. aest. Psychologia; Crisis rationis humanae sive Metaphysica; Ius naturae et Ius publicum universale.

Libri tandem, quos edidit post annum 1816, inscribuntur:

Handbuch der praktischen Philosophie. Erster Band. Allgemeine Ethik und philosophische Tugendlehre. Heidelb. 1818.

Rechtfertigung gegen die Anklagen, welche wegen seiner Theilnahme am Wartburgsfeste wider ihn erhoben worden sind. Iena 1813.

Vertheidigung meiner Lehre von der Sinnesanschauung. Iena. 1819.

Beyträge zur Geschichte der Philosophie. Erstes Heft. Heidelb. 1819.

Handbuch der psychischen Anthropologie. Erster Band. Iena 1820. Zweyter Band. 1821.

Sehnsucht und eine Reise ans Ende der Welt. Eine Arabeske. 1820.

Die mathematische Naturphilosophie nach philosophischer Methode bearbeitet. Heidelberg 1822.

Ioannes Godofredus Ludovicus Kosegarten,
Philos. D. Linguarum Orientalium Prof. P. O.

Natus est anno r. s. h. 1792 Altenkirchae, vico Vithoviae, quae est insulae Rugiae pars septentrionalis, patre Ludovico Godoardo, sacrorum ibi tum antistite. Puerum decem annos natum, quem magistri domestici litterarum rudimentis imbuerant, pater misit Lasarram, Helvetiae oppidum, prope a lacu Lemano situm, ubi in domo nobilissimae feminae De Gordon biennium moratus est. Etiam alios Helvetiae tractus, et Genevam, et Sabaudiam lustravit. Itinere per Galliam instituto, et Lutetia Parisiorum visa, in patriam rediit; reducem pater optimus litteris graecis et hebraicis erudivit. Anno 1808 Academiam Gryphiswaldensem una cum patre adiit, cui eo tempore historiarum docendarum munus in illa litterarum sede delatum erat. Rectore Canzlero legibus academicis subscripsit, et per quadriennium Gryphiswaldiae litteris theologicis et philosophicis operam dedit, ducibus parente, Parovio, Ziemssenio, Pipero, Muhrbeckio, Brattio, Overcampio, Droysenio, Arndtio, Nizzio, Ahlwardtio, Weigelio, Rudolphio. Sermonis arabici primis elementis eum instituit Piperus. Anno 1811 amplissimus philosophorum Gryphiswaldensium ordo doctoris philosophiae honores ei detulit. Cum Orientis litterarum amore flagraret, ut linguarum asiaticarum nobiliores penitus cognosceret, anno 1812, commendante viro summo Schnurrero, Lutetiam Parisiorum iterum petiit. Hic per biennium in litteris arabicis usus est magistris De Sacyo, viro longe celeberrimo, Raphaele monacho, arabe aegyptio, Michaele Sabbagho, arabe syro, in urbe Ace, quae est Ptolemaïs, nato; in litteris persicis De Sacyo, De Chezyo, Langlesio; in turcicis Kieffero et Rhasi, graeco Constantinopolitano; in armeniis Schahano Dscherbiedo, armenio Edesseno. Multum praeterea temporis in codicum manu scriptorum orientalium, quibus affluit bibliotheca regia, particulis transcribendis consumpsit. Ineunte anno 1814 in tumultum bellicum incidit, qui tum Galliam et Lute-

tiam turbavit. Quo composito, instaurataque pace, reditum in patriam paravit. Per Germaniam meridionalem iter fecit, et terras austriacas, Vindobonam, alteram litterarum orientalium sedem, Bohemiam, et Saxoniam lustravit. Ab exteris reducem anno 1815 serenissimus Princeps Henricus ab Essen, Pomeraniae Suecicae, neque non regno Norvegico tum praefectus, et Academiae Gryphiswaldensis cancellarius summe reverendus, in academiae patriae doctorum numerum adscripsit, ordinis Theologorum et Philosophorum adiuncti munere ei delato. Per duos annos et dimidium Gryphiswaldiae docuit litteras orientales et historiam ecclesiasticam, neque non, iubentibus academiae curatoribus, historiam patriam, id est Pomeranicam, ad quam ex antiquis scriptis eruendam multum curae contulit. Anno 1817 academiae Ienensis nutritores clementissimi ex academia Gryphiswaldensi in Ienensem eum evocarunt, et linguarum orientalium in hac Musarum sede docendarum provinciam ei decreverunt. Itaque, Deo iubente, Ienam accessit, ubi mense Augusto, prorectore Danzio summe reverendo, in numerum doctorum et in ordinem senatorum receptus est.

Quos edidit libelli, hi sunt:

1) Carminum orientalium triga; arabicum Mohammedis ebn seid ennâs Iaameritae, persicum Nisâmi Kendschewi, turcicum Emri; ex apographis Parisiensibus edidit, latine vertit, notasque adjecit I. G. L. Kosegarten. Stralesundii 1815. 8.
2) Commentatio exegetico-critica in locum nobilissimum eundemque vexatissimum Iob. XIX. v. 25—27; auctore I. G. L. Kosegarten. Gryphiae 1815. 4.
3) Bruchstücke aus dem persischen Heldengedicht: Barsu-nameh; Text und Uebersetzung: Fundgruben des Orientes, B. 5. Wien 1816. fol.
4) Pomerania, oder Vrsprunck, Altheit vnd Geschicht der Völcker vnd Lande Pomern, Cassuben, Wenden, Stettin, Rhügen; in vierzehn Büchern beschrieben durch Thomas Kantzow, weiland Geheimschreiber in der Fürstlich-Pommerschen Kanzley zu Wolgast, und aus dessen Handschrift herausgegeben von H. G. L. Kosegarten. Greifswald 1816. 1817. 2 Bde. 8.
5) De Mohammede ebn batuta, arabe Tingitano, eiusque itineribus commentatio academica; auctore I. G. L. Kosegarten. Ienae 1818. 4.
6) Amrui ben kelthûm Taglebitae Moallakam, Abu abd allae el hossein ben achmed essûseni scholiis illustratam, et vitam Amrui ben kelthûm e libro Kitâb el aghâni excerptam, e codicibus Parisiensibus edidit, in latinum transtulit, notasque adiecit I. G. L. Kosegarten. Ienae 1819. 4.

7) Nala, eine Indische Dichtung von Wjasa; aus dem Sanskrit im Versmaasse der Urschrift übersetzt, und mit Anmerkungen begleitet von I. G. L. Kosegarten. Iena 1820. 8.

FERDINANDVS HAND,
Philos. D. Linguae Graecae Prof. Publ. Ord.

Patria mihi est Variscorum terra. Plaviae enim anno 1786 die 15 Febr. natus, privata et paterna disciplina ita instituebar, ut anno 1798, quum pater Ioannes Christianus ad summum ecclesiae ministerium Soraviam, quae est urbs Lusatiae inferioris, vocatus esset, ad publicae scholae primam classem admitterer, ibique magistros haberem Rüfferum et Leisnerum. Primum iuvenilis eruditionis specimen exhibui a. 1803 in academiam abiturus dissertatione de matre magna deorum. Academicorum studiorum duces Lipsiae mihi erant quum alii tum maxime Carus et Hermannus, qui me societati Graecae adscripserat. Anno 1805 commentationem conscripsi de Taciti arte et philosophia, quae praemio publico ornabatur. Quibus studiis probatis ordo philosophorum Ienensium honores doctoris anno 1806 mihi decrevit. Anno 1809 inter doctores academiae Lipsiensis receptus sum dissertatione, in qua Observationes criticas in Catulli carmina proposueram. Tum anno 1810 ad professoris munus in gymnasio Vimariensi gerendum vocatus sum, ubi per septem annos antiquas litteras enarrabam, sed quum a. 1817 provincia dirigendi gymnasii Sverinensis mihi oblata esset, Princeps optimus, cui tam multa debeo, in academiam me reduxit, ut munere Professoris Graecarum litterarum fungerer, et seminario philologico praeessem. Ab anno 1810 edidi sex voluminibus Cari Opera philosophica; anno 1812 Gronovii Diatriben in Statium, duobus voluminibus; a. 1817 Statii carmina illustrare coepi prima Silvarum parte.

GEORGIVS THEOPHILVS GÜLDENAPFEL,
Philos. D. et Prof. Publ. Ord. Honorar.

Natus sum a. 1776 et vitam meam ipse adumbravi in libro a me edito: Litterarisches Museum für die Grossherz. Herzogl. Sächsischen Lande. 1 Band. Etiam sub titulo: Ienaischer Vniversitäts-Almanach für das Iahr 1816. Mit Kupfern. Ien. 1816. 8. Anno 1817 ad professionem Philosophiae ordinariam honorariam

promotus, et Bibliothecam academicam, sereniſſimorum Academiae Nutritorum munificentia inſigniter auctam atque amplificatam, viri illuſtriſſimi, Iohannis Volgangi de Goethe liberaliſſimis auſpiciis, ordinare novosque librorum Catalogos elaborare iuſſus ſum: cui officio peragendo adhuc tam aſſidue et unice operam meam dicavi, ut neque ſcholas academicas habendi, neque ulla lucubrationum mearum ſpecimina in publicum proferendi tempus ac locus mihi relinqueretur. *)

*) Quum inſcriptio huius Annalium partis accuratam librorum, a doctoribus Ienenſibus editorum, enumerationem promittat, ex illo Güldenapfelii V. Cl. libro, quae de ſcriptis ipſe ſuis ibi memoravit, huc transferenda putavimus.

1) Leukippe; ein Roman aus dem Griechiſchen des Achilles Tatios (gemeinſchaftlich mit Fr. Aſt). Leipzig 1802. 8.
2) Ueberſetzung zweyer Bände zu den (damals von Paulus redigirten) Memoiren von Schiller, und eine Abhandlung über die Keilſchrift zum 7 Theile der Reiſen in den Orient von Paulus.
3) Anleitung zum Ueberſetzen aus dem Deutſchen ins Franzöſiſche. Iena 1803. 8. Dazu gehört:
4) L'Avare par Molière; für Iünglinge, die ſich im Franzöſiſchen üben wollen, beſonders herausgegeben und durch Anmerkungen erläutert. Ebendaſ. 1804. 8.
5) Lutheri quaedam de ritibus ſacris reformandis conſilia aetati noſtrae accommodata, oratio ſolemnis in memoriam Auguſtanae Confeſſionis ex inſtituto L. B. de Lynker in templo academico habita. Ienae 1803. 4.
6) Diſſ. Ioſephi Archaeologi de Sadducaeorum canone ſententiam exhibens. Ienae 1804. 4.
7) Von dem Papſte und ſeinen geiſtlichen Rechten; auf Veranlaſſung des Concordats, von Barruel. Aus dem Franz. überſetzt. 1 Band. Landshut 1806. 2 Band. 1807. 8.
8) Grammatiſches Elementarwerk der lateiniſchen Sprache. I. Curſus. Leipzig 1806. 8.
9) Mehrere Auszüge und Berichte in dem Intelligenzblatt der Ien. A. L. Z. von 1808 bis 1817; auch einige Recenſionen in derſelben.

Ioannes Volgangus Döbereiner,

Philoſ. D. Chemiae et Technol. Prof. Publ. Ord.

Lucem adſpexit Curiae, oppido Baruthino, d. 13 Dec. 1780. Ab initio, litterarum elementis imbutus, ſtudio pharmaciae, deinde per tres annos Caroliruhae et Argentorati ſtudio philoſophiae Kantianae, hiſtoriae naturalis artisque phy-

sicae se tradidit; tum in patriam reversus, universam chemiae scientiam amplexus, suopte ingenio, divinae artis praestantia et amore excitato, iam quarto et vicesimo aetatis suae anno complures easque novas quaestiones instituit, quae tum ad universam doctrinam naturae, tum maxime ad chemiam pertinebant. Qua re non modo civium suorum benevolentiam Principisque favorem, sed etiam virorum quorumdam in arte sua praestantissimorum familiaritatem sibi comparavit: in quibus primo loco nominandus est celeberrimus ille Academiae Monacensis socius, Gehlenius, praematura et numquam satis lugenda morte litteris nostris ereptus. Is eum summa caritate amplexus, ut pergeret in incepto studio, etiam atque etiam hortatus est. Neque ea res successu caruit. Nam quum post Göttlingii obitum munus doctoris chemiae in academia Ienensi vacaret, ad illud suscipiendum humanissime invitatus, a. 1810 Ienam accessit, eodemque anno Doctoris Philosophiae honoribus ornatus, scholas de chemia universa, pharmacia et technologia aperuit. Quas scholas ad hunc usque diem ita continuat, ut assiduus sit, neque infelix, in novis experimentis chemicis, quae scriptis etiam ad aliorum notitiam proferre studet. Itaque deinceps dissertationes 165 Gilberti, Schweiggeri ac Trómsdorfii diariis physicis et chemicis inserendas curavit, quarum nonnullae in Gallicam, Anglicam aliasque linguas exteras translatae sunt. Nec defuerunt huic studiorum assiduitati ornamenta et praemia. Nam a. 1812 ab Magno Duce Saxoniae Vimariensis Consiliarius in rebus metallicis, mox Consiliarius aulicus factus, a. 1818 ab serenissimis Academiae Nutritoribus Professor ordinarius creatus, et ita receptus est in amplissimum ordinem Philosophorum, ut huius etiam emolumenta participare iuberetur. His aliisque beneficiis, quibus ab serenissimo Principe suo ornatus est, illud et nuper accessit, quod ampli aedificii una cum hortis gratuitus usus ipsi concessus est. Quamobrem hanc Ienensem stationem aliis quamquam lautis conditionibus, quibus exteri eum invitarunt, semper praeferendam putavit. Inde ab anno 1803 matrimonio iunctus est Clarae Sophiae, Knabii, Consiliarii olim et praefecti Münchbergensis, filiae natu minimae, ex qua quinque filios et quatuor filias procreavit, quarum una diem obiit.

Ab epistolis est Academiae litterarum regiae Bavaricae, imperialis Leopoldinae physicae, Societatis physicae Wetteraviensis, Rhenanae physico-medicae, physicae Halensis, mineralogicae Dresdensis, Magniducalis mineralogicae Ienensis, physicae Marburgensis, pharmaceuticae Petropolitanae aliarumque.

Praeter censuras quasdam librorum physici et chemici argumenti, Ephemeridi-

bus litterariis Ienensibus insertas, inde ab eo tempore, quo munus academicum suscepit, haec scripta in lucem emisit:

1) Lehrbuch der allgemeinen Chemie, in 3 Bänden. Iena 1811. u. 1812. 8.
2) Grundriss der Chemie und Stöchiometrie. Ebendas. 1816. 8.
3) Elemente der pharmaceutischen Chemie. Ebendas. 1815. 8.
4) Darstellung der Verhältnisszahlen der irdischen Elemente zu chemischen Verbindungen. Ebendas. 1816. fol.
5) Beyträge zur Stöchiometrie. Ebendas. 1816. 8.
6) Zweyte vermehrte Auflage der Elemente der pharmaceutischen Chemie. Ebendas. 1819. 8.
7) Zweyte völlig umgearbeite Auflage des Grundrisses der allgemeinen Chemie und Stöchiometrie. Ebendas. 1819. 8.
8) Zwey kleine technisch-chemische Schriften (über künstliche Licht-, Luft- und Wasserbäder u. s. w., über Essiggährung u. s. w.) Ebendas. 1814. u. 1815. 8.
9) Pneumatische Mikrochemie, 2 Hefte. Ebendas. 1821. 8.
10) Ueber die chemische Constitution der Mineralwässer. Ebendas. 1821. 8.

Auch redigirte er:

11) Einen Band des Berliner Iahrbuchs für die Pharmacie, und
12) den 16 und 17 Band des Iournals für Chemie und Physik von Schweigger.

Ioannes Fridericus Posselt,

Philos. D. et Mathem. Prof. Publ. Ord. Honorar.

Natus d. 7 Septembris a. 1794 in Insula Foehr ducatus Slesvicensis, patre Chr. Fr. Posselto, verbi divini ministro. Anno aetatis decimo sexto discipulis scholae Ploenensis annumeratus est. Triennio in discendis iis disciplinis, quibus iuvenes ad eruditionem et honestatem informari solent, absoluto, in litterarum Vniversitatem, quae Hafniae est, se contulit, ad amplectendum matheseos studium, quo inde a prima aetate delectabatur. Vsus est praeceptoribus doctissimis, in mathesi Degenio, in astronomia Schumachero. Quum ab Vniversitate Hafniensi problema mathematicum, de optima Microscopiorum compositione, a. 1814 propositum esset, huius solutionem aliquam exhibuit, quae digna iudicata est, cui praemium tribueretur.

Eodem et sequenti anno regiae societatis litterarum Hafniensis iudicio duas commentationes mathematico-astronomicas subiecit, quae inscriptae sunt:

Theoriae praecessionis aequinoctiorum specimen.

De Problemate in motu corporum coelestium, in orbitis valde excentricis solem ambientium, gravissimo.

Hae tanta indulgentia ab eruditissimis Societatis sodalibus exceptae sunt, ut eas praemio non indignas censerent, atque in scripta ab ipsis edenda inserendas esse statuerent. Quibus quidem auspiciis factum est, ut per munificentiam Regis Daniae copia daretur, Vniversitatem, quae Gottingae floret, adeundi, cujus civibus a. 1816, Prorectore Mitscherlichio, adscriptus est. Ibi felicissime ei contigit, ut Gaussius studia eius dirigere dignaretur. A. 1817 festo emendatorum sacrorum saeculari tertio summos in philosophia honores obtinuit, qua occasione edidit commentationem mathematicam, cui titulus:

Dissertatio analytica de functionibus quibusdam symmetricis.

Domum redux usque ad vernum tempus a. 1819 Kiliae commoratus, quum peregrinationem litterariam ingressurus esset, munus Professoris honorarii Matheseos in Academia Ienensi ei est oblatum.

Commentatiunculae, quas sparsim publicavit, inveniuntur in his libris:

Zeitschrift für Astronomie und verwandte Wissenschaften, herausgegeben von B. v. Lindenau und F. Bohnenberger. Sept. und Oct. 1816, März und April 1818 p. 161 et 175; atque Astronomische Nachrichten, herausgegeben von Schumacher. No. 1. Aug. 1821.

V.

PROFESSORES THEOLOGIAE EXTRAORDINARII.

Mortuis intra biennii spatium Theologis iuvenibus, sed praeclarae indolis, doctrinae ac spei, CHR. LVDOV. GVILIELMO STARKIO et CHRISTIANO AVG. KESTNERO (cuius nomen in scholarum indice, infra Part. III. No. X repetito, recens factam iacturam in animum revocat), nullusdum Professor theologiae extra ordinem creatus est.

VI.

PROFESSORES IURISPRUDENTIAE EXTRAORDINARII.

IVLIVS THEODORVS FRIDERICVS SCHNAVBERT,
I. V. D. et Prof. Publ. Extraord.

Natus ego Helmstadii mense Iulio anni 1786, domesticis praeceptoribus litterarum elementis imbutus, Ienae et Heidelbergae cursum iurisprudentiae academicum emensus, anno 1810 d. 8 Decemb. dissertationem inauguralem meam, in qua insunt ad leg. 1. pr. Dig. de Publiciana in rem actione selectae observationes, Ienae publice defendi, et gradum Doctoris utriusque iuris cum venia docendi accepi; deinde anno 1812 Professoris publici extraordinarii dignitate ornatus, anno 1819 etiam ill. Scabinatui extra ordinem adscriptus sum. Lectiones privatas hucusque habui de encyclopaedia et methodologia iuris universi, de iuris Romani tam publici quam privati historia et institutionibus, de iure et processu criminali.

Scripsi:

1) De familiarum in civitate iure et ratione (das Familienverhältniss nach seiner Bedeutung für Daseyn, Bildung und gesellschaftlichen Zustand der Menschen. Iena), cuius pars prior anno 1816 prodiit, pars posterior propediem proditura est.

2) Compendium encyclopaediae et methodologiae iuris (Lehrbuch der juristischen Wissenschaftslehre. Iena 1819. 8).

CONRADVS IOANNES ALEXANDER BAVMBACH,
I. V. D. et Prof. Publ. Extraord.

Natus Cassellis in Hassia d. 5 Mai. a. 1789. Studiorum, quae ab humanitate nomen gerunt, in Fridericiano patriae urbis Lyceo factis primordiis, deditus iurisprudentiae Marburgi inde ab a. 1805 magistros potissimum habuit Bauerum, Creuzerum, Tennemannum, Wachlerum et in iure civili Philippum Fridericum Weissium, quem praematura morte ereptum litteris summi nostrae aetatis iurisconsulti lugent, et cui cordato viro, quidquid in iis doctrinae generibus, quae familiam

ducunt in iure civili, historia iuris et exegesi profecerit, grata mente refert acceptum. Gottingam deinde profectus a. 1809 audivit Hugonem, atque cum Brinkmanno suo intimam iniit amicitiae consuetudinem, quam per omnem vitam duraturam communis iam tum spopondit ratio studiorum. At summa temporum illorum infelicitas effecit, ut, inclyta hac Musarum sede eodem anno relicta, Ienam se conferret, ubi Genslero, Schnauberto, Schoemano doctoribus sub initium usus, id maxime egit, ut eam dignitatem adipisceretur, qua, quemadmodum dicitur in proverbio, discere docendo ipsi liceret. Quapropter a. 1811, examinibus peractis, habitaque publica disputatione ad gradum Doctoris utriusque iuris promotus, licentiam obtinuit habendarum lectionum, easque ipsas auspicatus est, quum de iuris methodo isagogicas (quas encyclopaediae quidem nomine, per decennium fere, duplici singulis annis cursu repetivit), tum de Germanico iure privato, quas dein iuris criminalis recitationes excepere. Data paullo post satis ampla conditione, Ienensem cum alia litterarum Vniversitate commutandi, abnuit iisdem ex caussis, quae, ne diutius Gottingae moraretur, impedimento fuerant. Nec minus, quae ab optimo Principe oblata ipsi erat facultas, ex academica vita ad munus assessoris in vicinae urbis superiori iudicio discedendi, ea tum temporis non utendum arbitratus est, quippe qui perpetuam sibi legem dixerit, ne unquam, nisi quod perfecta arte summaque posset alacritate, amplecteretur. Creatus deinde a. 1813 Professor iuris publicus extra ordinem, nec non Magn. Duc. Sax. societatis mineralogicae honoris caussa sodalis, duplicem potissimum iniit studiorum lectionumque rationem, quam opinatus rectissimam esse, etiamnum tenet. Eam doctrinam, quam iuris naturae nomine a Philosophis aeque ac Iurisconsultis inde ab antiquissimis temporibus haud ita excultam esse inter omnes constat, ut, quae patrio iuri deesse possint videri, prae ceteris largiatur, ideoque illam eius partem, quae ad singulorum utilitatem spectat, ad altiorem producere dignitatem, et quicumque in hac re prudenter promovenda versantur, eos erudire maxime valeat — hanc quidem civilem sive politicam iuris privati prudentiam ita amplexus est, ut, si fieri posset, fructuosior communi vitae evaderet. Iuris civilis autem Weisii exemplo perscrutandi ansam ipsi dederunt partim privatissimae quas habere consuevit Pandectarum lectiones eaeque secundum Westenbergii principia, quae, quantum ad historicam iuris eiusque ex ipsis fontibus hauriendi rationem conferant, nemo ignorat, partim publicae de singulis iuris civilis doctrinis. Inde primitiae scriptorum, quae periclitatus est, aestimandae.

Evulgavit autem:

1) De genuina quam Romani sequuti sunt iuris naturalis notione, theses quas XIX Octobr. ad disputandum proposuit. Ienae 1811. 8.

(In qua scriptione inter alia suadetur, ut verba princ. I. de i. nat. gent. et civ. et L. 1. §. 3. D. de iust. et iure: „istius iuris peritia censeri," quae vel summo Cuiacio videbantur corrigenda, ita emendentur: „istius iuris peritis accenseri," idque secundum Theophilum ipsum, qui vertit: „ἐν τοῖς τιμῶσι τοῦτον τὸν νόμον ἀναγεγραμμένα.")

2) Auslegung der L. 34. §. 2. D. de pignoribus. Exstat in Collectione variorum opusculorum, quae Genslero, Mittermaiero et Schweizero moderantibus prodit sub titulo: Archiv für die civilistische Praxis, Tom. IV. fasc. 1. pag. 31—40.

3) Nachtrag zu dem Aufsatz über L. 34. §. 2. D. de pign. Invenitur in eiusd. Collection. Tom. laud. fasc. 3. p. 418—425.

4) Ansichten des classischen Pandectenrechts. Erstes Buch. Iena 1822. 8. Fert hicce prior liber etiam titulum: Das Wahlrecht des allgemeinen Pfandgläubigers im classischen Pandectenrechte.

AVGVSTVS GVILIELMVS FERDINANDVS IVLIVS DE SCHROETER,
I. V. D. et Prof. Publ. Extraord.

Natus die 13 Iunii 1799 Rendsburgi Holsatiae oppido, infans adhuc cum parentibus in terras Megalopolitanas migrans, patriam mutavit; peracto nondum septimo decimo vitae anno iurisprudentiae studium in academia Gottingensi adiit; deinde civibus academiae Ienensis adscriptus per aestatem anni 1820 summos in utroque iure honores docendique in illa Academia facultatem accepit; tradidit ius pandectarum, historiam iuris Romani, et Hermeneuticen iuris; scripsit dissertationem inauguralem de nexu tutelae et iuris succedendi in bona defunctorum, Ien. 1820. 8.

VII.

PROFESSORES MEDICINAE EXTRAORDINARII.

CHRISTIANVS AVGVSTVS FRIDERICVS AB HELLFELD,
Med. D. et Prof. Publ. Extraord.

Natus est Ienae anno 1757 die 15 Novembris matre filia Professoris Ienensis, Russii, quam ipsi octenni puerulo mors eripuit, patre autem celeberrimo illo Ioanne Augusto, iurium Doctore, in hac Academia iuris canonici Professore, a consiliis in Regimine intimis, Iuris consultorum ordinis Assessore primario, et scabinorum collegii Praeside. Praecipua parentis cura in eo fuit posita, ut puer primis ab annis Christianae religionis elementis aliisque quibus iuvenilis aetas formari atque institui solet disciplinis imbueretur: quo consilio privatis eum doctoribus tradidit. Aetate provectior disciplinas amplexus salutares, ad earum studium ne imparatus accederet, principiis philosophicis addiscendis operam navavit, logicas institutiones Polzii sectatus. Mathesin et physicam experimentis illustratam docuit eum Wideburgius. Interfuit etiam Walchii institutionibus in historiam naturalem, Succovii in res camerales et forestales, Scheidemantelii in ius naturae, Mülleri in historiam tam universam quam Saxonicam. Praemissis his disciplinis auxiliatricibus properavit ad Medicorum scholas, et in doctrinis physiologicis, pathologicis, chemicis, nec non in materia medica et therapia tam generali quam speciali, Nicolai scholas frequentavit, ex eiusdemque exercitationibus disputatoriis magnum fructum cepit. Semiologiam et materiam medicam docuit Grunerus. In anatomia et osteologia praeceptorem habuit Neubauerum. Tum a. 1778 mense Aprili discessit ab hac Academia, et Gottingam se contulit. Ibi lectiones Baldingeri in materiam medicam, semiologiam, et scholas clinicas, Richteri de morbis ossium et in chirurgiam, Wrisbergii in anatomiam et artem obstetriciam adiit, et sub auspiciis illorum virorum in nosocomiis, tam parturientibus, quam aegrotis opem ferre didicit. Sic studiorum academicorum cursu finito, d. 1779 ad hanc Musarum sedem rediit, ut summos in medicina et chirurgia honores obtineret. Itaque eiusdem anni die 8 Octobris dissertationem inauguralem de origine icteri sine moderatoris auxilio defendit, et Doctor medicinae et chirurgiae rite creatus est. Auctus iam Doctoris ho-

noribus, eo ipso anno iter per Germaniam et Galliam suscepit, ex quo sub finem anni 1780 in hanc Academiam regressus est. Insequuto anno scholas in diaeteticen, morbos venereos et morbos infantium instituit, et anno 1783 die 12 Iulii a serenissimis huius academiae Nutritoribus munus Professoris medicinae extraordinarii impetravit. Eodem anno dissertationem: Ueber den Nutzen und Missbrauch der Ausleerungen, vornehmlich in Rücksicht auf die Gesundheit der Gelehrten, edidit, et a. 1790 scripsit librum huius indicis: Kurzer Entwurf einer Lebensordnung für Gelehrte. Valetudinis imbecillitate impeditus, his postremis annis lectiones instituere non potuit. Ceterum a. 1786 a Meiningensium Principe Consiliarius camerae factus, d. 21 Aprilis Fridericam Christianam Ludovicam, patre natam Godofredo Ludovico Menkenio, I. V. D. Professore iuris et Ordinario in Academia Iulia Carolina, quae Helmstadii florebat, in matrimonium duxit.

Carolvs Gvilielmvs Stark,

Med. D. et Prof. Publ. Extraord.

Natus Ienae d. 18 mensis Maii anno 1787, studia artis salutaris severiora in hac ipsa litterarum sede a. 1804 incepta peregit a 1808, quo tirocinio posito, candidatorum examen subiit. Duobus annis post medici aulae Vimariensis munus honorificum ei collatum est. Anno 1811, publice defensa dissertatione, qua intimus graviditatis, lactationis mensiumque profluvii consensus et convenientia ex propria mulieris vi et natura deductus demonstratur, summos in medicina honores rite impetravit, et subinde ad studia sua ulterius perficienda Germaniam, Italiam et Galliam peragravit. Ex itinere, in quo triennium consumpserat, redux cum serenissimo Principe Vimariensi initio anni 1814 in bellum profectus, Bataviam, Belgiam et denuo Galliam ipsam et Britanniam visendi opportunitatem nactus est. Postremo per varias Germaniae regiones Principem sanitatis tuendae caussa comitatus, et iterum Viennae fere annum commoratus, post quinque annorum absentiam tandem a. 1815 in patriam rediit. Quo facto vitam vagam deseruit, medicinae Professoris extra ordinem munus, iam anno ante ei delatum, libenter suscepit, et totum se litteris tradidit. Eodemque tempore archiatri et Consiliarii aulici honoribus summa Principis indulgentia condecoratus est.

Quas scholis academicis hucusque doctrinas tradidit, sunt methodologia et

encyclopaedia medicinae; pathologia generalis, pathologia et therapia chirurgica generalis; nosologia et therapia specialis sensuum auditus et visus; denique medicina forensis.

Theobaldus Renner,
Med. D. et Prof. Publ. Extraord.

Natus Bremae d. 4 Iunii a. 1779, patre Ioanne Friderico Christophoro, structuario ad aedes Sti Petri, et matre Maria, e gente Hügiana. Prima litterarum elementa tum a magistris privatis, tum in Gymnasio quod tunc tempori Bremae florebat, accepit. Anno 1800 Berolinum profectus est, ut arti veterinariae operam daret, artisque Apollinaris Professorum acroases frequentaret. Anno 1802 ab Excell. Comite Rostopschin vocatus, in Rutheniam contendit. Hippiatri munere in ipsius Comitis equariis per annum functus, Mosquam se contulit, ibique praxin veterinariam exercuit. Anno 1806 veterinarii forensis provinciam adeptus est. Anno 1810 Doctoris medicinae gradum Academia medico-chirurgica imperialis in eum contulit. Anno 1811 munus Professoris ordinarii artis veterinariae in Vniversitate litteria Mosquensi ipsi datum est. Anno 1812 legionis Kosaccorum Ukrainensium tertiae medicochirurgi vices suscepit, et durante bello sacro cum exercitu Poloniam, Germaniam et Galliam peragravit. Pace restituta Berolini per aliquod tempus commoratus; ab Magno Duce Saxoniae Vimariensi vocatus, ut anatomes comparatae et artis veterinariae Professoris munere fungeretur, anno 1816 Ienam advenit, et institutum veterinarium condidit: quo facto lectiones veterinariae, quibus antea Vniversitas litteraria Ienensis carebat, usque ad hunc diem continuatae sunt.

Scripta, ab ipso publici iuris facta, sunt:

1) Mémoire sur l'epizootie de l'année 1805 in Memoires de la Soc. des naturelles etc. de Moscow. à Moscow 1806.

2) Cogitata quaedam circa hydrophobiae naturam et medelam, dissertatio inauguralis medica Mosquae 1810.

Fridericus Augustus Walch,
Med. D. et Prof. Publ. Extraord.

Anno 1780 natus, postquam doctrinae philosophicae et historicae operam dederat, studia medicinae inde ab anno 1797 exercuit, maxime institutionibus usus virorum perillustrium, Hufelandi et Loderi, quorum institutione aegrotis mederi didicit, simulque cum voluptate interfuit scholis philosophorum, Fichtii et Schellingii. Io. Christ. Starkius, iam ad beatorum sedes evocatus, et Froriepius eum in arte obstetricia erudiverunt. A. 1803, scripta de scarlatina dissertatione, eaque publice defensa, gradum Doctoris medicinae capessivit, profectusque Bambergam et Wirceburgum, ut in illa medicinae parte, quae manu medetur, plus proficeret, illic scholis privatissimis Bartelii a Siebold operam dedit. Nec multo post Vindobonam petiit, adiitque scholas clinicas Petrii Frankii, chirurgicas Rudtorferi, obstetricias Boerii, eiusdemque etiam institutione, parturientibus opem ferendi, in nosocomio usus est. Praeterea celeberrimus ille medicus ocularius, Beerius, rationem morbos curandi oculorum publice privatimque ei tradidit, atque in instituendis operationibus chirurgicis, ad tollenda oculorum vitia necessariis, eum exercuit. Ceterum in excolendo tam anatomes quam chirurgiae studio magna cadaverum copia, quibus abundat amplum nosocomium Vindobonense, egregie eum adiuvit. Anno 1805 Ienam quum revenisset, de thesibus ex physiologia et medicina depromptis, pro facultate docendi disputavit. Sed scholas medicas tunc instituere, variae res, maxime calamitosa, quae insequuta sunt, tempora prohibuerunt. Nam anno 1806 quum Franco-Gallorum exercitus infesto agmine Ienam venisset, post memorabile proelium haud procul ab oppido commissum, vix ac ne vix quidem temperare sibi potuit, quin saucio militi tam medicamentis quam manu auxilium ferret, et in hoc humanitatis studio omne tempus tereret. Similiter anno 1813, quum febris gravis Ienam incidisset, et magna vis contagionis grassaretur, omnem operam in eo collocavit, ut hominibus aegris medicinam faceret: quo tempore plus quam centum morbo captos curavit. Anno 1815 in societatem physico-medicam, quae Erlangae floret, receptus est. Anno 1816 praxi obstetriciae in nosocomio, iussu Magni Ducis, praeesse coepit, traditumque ei medici forensis in agro Bürgelavensi officium. Anno 1817 munus Professoris medicinae extraordinarii ipsi demandatum. Scholas instituit de diversis medicinae partibus, quales sunt de morbis syphiliticis, arte obstetricia et therapia speciali. Praeter haec praxin obstetriciam in noso-

comio Magnoducali continuo moderatus eſt, inde a fine anni 1816, ita ut non parturientibus modo ſubveniendi, ſed etiam morbos gravidarum et infantum recens natorum ſanandi inſtitutionem ac facultatem dederit commilitonibus.

Libri, quos adhuc ſcripſit ediditque, ſunt:

1) Ausführliche Darſtellung des Urſprungs, der Heilung und Vorbauung der veneriſchen Krankheit. Iena 1811. 8.

2) Zur Fieberlehre; (oder) Unterſuchungen über die Natur und Heilung des Fiebers. Leipzig 1813. 8.

3) Heckeri librum de morbis venereis cognoſcendis et curandis, cum praefatione notisque auctum edidit. Erford. 1815.

4) Denique anno praeterito ſeptimam libri editionem de arte obſtetricia a perilluſtri a Froriep ſcripti, ſuadente auctore, additis animadverſionibus curavit.

5) Poſtremo in annalibus medicis, qui a viro quodam praeſtantiſſimo annisque et meritis graviſſimo eduntur, crebras librorum cenſuras ſcripſit ac promulgavit.

Ioannes Christianvs Carolvs Friedericvs Hevsinger,

Med. D. et Prof. Publ. Extraord.

Natus in pago Iſenacenſi, Farnrodae, d. 28 menſ. Febr. anni 1782, patre Ioanne Godofredo, tunc temporis illius pagi ſacerdote, poſtea Paſtore primario et Superintendente Cruciburgenſi, et matre Sophia e gente Leſſleriana. Annum agens aetatis decimum in numerum alumnorum Gymnaſii illuſtris, quod floret Iſenaci, receptus, usque ad aetatis annum decimum ſeptimum praeceptoribus uſus eſt Tſchirpio, Meinecko, Frenzelio, Schneidero, Perleto, Görwitzio. Anno 1809 Ienam adiit, ab illuſtri Fuchſio, tunc faſces Academiae tenente, civium numero adſcriptus, et per annos duos et dimidium artis medicae ſtudium ſequutus eſt. Anno autem 1812, poſtquam ſummos in utraque medicina honores in academia Ienenſi obtinuerit, Gottingam petiit, et a reverendo Pottio, cui faſces tum erant, albo academico inſertus eſt. Ibi per annum et ſex menſes praelectiones medicas et philoſophicas frequentavit, usque ad annum 1813, quo, bello Germanorum contra Franco-Gallos oborto, caſtra Boruſſica per Weſtphaliam, Hollandiam, Belgiam et Galliam ſequutus eſt, ſanandisque ſauciatis et aegris operam dedit. Bello finito et commeatu impetrato, Gottingam et Berolinum adiit; mox bello a Franco-Gallis iterum moto, ad caſtra Boruſſica reverſus eſt, et noſocomiorum militarium, quae ſauciatis in ipſa

pugna opem ferre debent (fliegendes Feldlazareth No. 1) medici praepositi nomine adscriptus, stipendia fecit. Pace restituta, idem illud nosocomium militare in iis erat copiis, quae per tres annos, pacis servandae causa, quasdam Galliae regiones occupabant. Hinc per plures annos (1815—1818) aegrorum in nosocomio Theodonisvillensi degentium curam gessit, postea autem nosocomio in arce Sedanensi instituto praefuit. Copiis Borussicis auctumno anni 1818 Galliam relinquentibus, jussu generosissimi Comitis a Zieten aegrorum Borussicorum in Gallia remanentium curam suscepit: quibus sanatis et in patriam missis, itinere per Galliam instituto ipse vere anni 1819 in patriam reversus, Gottingam adiit, et instituto clinico medico-chirurgico, quod illustris Himly ibi moderatur, medicus admotus, usque ad annum 1821 in alma illa Musarum sede commoratus est. Mense Octobri a. 1821. munus Professoris medicinae extraordinarii in litterarum Vniversitate Ienensi auspicatus est.

Praeceptores, quos illi contigit habere, fuerunt in Academia Ienensi, viri illustres, celeberrimi, experientissimi, Fuchsius in osteologia et anatomia universa, Starkius in therapia speciali, chirurgia universa, arte obstetricia, ophthalmiatria, arte operationes chirurgicas instituendi et fascias applicandi, Grunerus in pathologia, semiologia et medicina forensi, atque in explicatione Celsi, Succovius in materia medica et arte formulas medicas conscribendi, Okenius in historia naturali, zoologia, botanice et philosophia naturali, Voigtius in physica experimentali, Döbereinerus in chemia corporum organicorum, Vlrichius in logice, Münchovius in mathesi pura, Berchtius in chemia universa, Lenzius in mineralogia: idem exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis et obstetriciis, Starkii et Succovii moderamine florentibus, per annum interfuit.

In academia autem Gottingensi praeceptores habuit viros illustres et celeberrimos, Blumenbachium in historia naturali et anatomia comparata, Himlium in ophthalmologia, chirurgia medica et clinice medico-chirurgica, Langenbeckium in clinice chirurgica, arte operationes chirurgicas instituendi et cadavera secandi, Hempelium in anatomia et arte cadavera secandi, Strohmeyerum in chemia et pharmacia, Maierum in physica experimentali, Hausmannum in crystallographia, geognosia et technologia, Schraderum in botanice et cryptogamia, Heerenium in historia antiqua et ethnographia, Thibautium in mathesi theoretica et geometria practica, Fiorillo in historia artium et optice picturaria. Notitiam linguae Anglicae accepit ab illustri Beneckio, Gallicae ab ill. Artaud, Italicae et Hispanicae a celeb. Bunsenio.

Scripta, quae in publicum edidit, sunt:

1) Ueber den Bau und die Verrichtung der Milz, ein anatomisch-physiologischer Versuch. Thionville 1817. 8. (Eisenach.)

2) Commentatio semiologica de variis somni vigiliarumque conditionibus morbosis earumque dignitate in morborum diagnosi et prognosi etc. Isenaci 1820. 8.

3) F. Magendie Grundriss der Physiologie. A. d. Franz. übersetzt. Eisenach 1820. 8.

4) Betrachtungen und Erfahrungen über die Entzündung und Vergrösserung der Milz. Ein nosographisches Fragment. Eisenach 1820. 8.

5) Progr. de metamorphosi rostri pici et de generatione mucoris in animali vivente. Ienae 1821. 4.

6) System der Histologie. Eisenach 1822. 4. Mit Kupfertafeln.
   Heft 1. Einleitung und Geschichte der Wissenschaft.
   Heft 2. Histographie. 1) Bildungsgewebe. 2) Horngewebe.

7) In Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde:
   a) Uebersicht der Krankheiten, welche in dem Iahre 1817 in dem K. Preuss. Feldspital zu Thionville vorgekommen sind, nebst vorausgeschickten med. topogr. Bemerkungen über die Stadt und Gegend von Thionville. Bd. IV. Heft II. p. 205. Heft III. p. 402. Bd. V. Heft I. p. 99. Bd. VI. Heft I. p. 40.
   b) Beobachtung einer Pericarditis und Erweiterung der linken Herzkammer. Bd. V. Heft III. p. 349.
   c) Geschichte einer eigene Erscheinungen darbietenden Hydropericarditis acuta. Bd. VI. Heft III. p. 389.
   d) Beobachtung einer verkannten Otitis. Bd. VI. Heft III. p. 592.
   e) Beobachtung einer Einklemmung des Processus vermiformis in einem Cruralbruche. Bd. VIII. Heft II. p. 232.

Praeterea in eodem aliisque diariis observationes et commentationes ab ipso e lingua Anglica, Gallica et Italica in vernaculam conversae, vel excerptae et observationibus auctae sunt.

8) In Meckel's deutschem Archiv für die Physiologie:
   a) Die Hemmungsbildungen der Milz zusammengestellt. Bd. VI. Heft I. p. 17.
   b) Merkwürdige Metamorphose des Brustbeins und der ersten Ribben in einem Manne. Bd. VI. Heft IV. p. 541.
   c) Ueber die Bedeutung des sogenannten Schulterkapselbeins der Vögel. Bd. VI. Heft IV p. 544.
   d) Ein Beytrag zur Metamorphose des Vogelflügels. Bd. VI. Heft IV. p. 546.

e) Verhalten des pigmenti nigri der Chorioidea im Auge eines Kuhfoetus. Bd. VI. H. IV. p. 550.
f) Unterſuchung zweyer ſchnell verſtorbener Stubenvögel. Bd. VI. Heft IV. p. 551.
g) Einige Bemerkungen über die Knochen des Eulenflügels. Bd. VII.
h) Beſchreibung und Abbildung der Muskeln des Eulenflügels. Bd. VII.
i) Merkwürdige pathologiſche Erſcheinung an dem Magen eines Huhns. Bd. VII.
k) Fortgeſetzte Bemerkungen über den Bau und die Entwickelung des Vogelflügels, als Nachträge und Berichtigungen der Aufſätze Bd. VII. H. I. und Bd. VI. Heft IV. über dieſen Gegenſtand. Bd. VII.

VIII.

PROFESSORES PHILOSOPHIAE EXTRAORDINARII.

Ioannes Schad,
Philoſ. D. et Prof. Publ. Extraord.

Ego natus ſum in pago Mürsbach prope Bambergam 1758 a parentibus rei ruſticae et piſtoriae deditis. Studiis humanioribus et philoſophicis in Vniverſitate litterarum, quae tum temporis Bambergae erat, imbutus, a. 1777 amplexus ſum ordinem Benedictinorum in celebri monaſterio Banz. Ibi rurſus philoſophiae per duos annos, et praeterea theologiae et iurisprudentiae per quinque annos ducibus Ildephonſo Schwarzio et Beda Ludwigio operam dedi. His abſolutis ſtudiis presbyter et orator ſacer conſtitutus, a ſereniſſimo Principe Würtembergenſi, Carolo Eugenio, coram quo, quando 1788 illud monaſterium praeſentia ſua honoravit, mihi contigit orationem habere, vocatus ſum Stuttgardiam, munere concionatoris in eius aula fungendi gratia; ſed ſuadente piiſſimo ſimul et prudentiſſimo principe Bambergenſi et Würzeburgenſi, Francisco Ludovico, illi vocationi renunciavi, propterea quod hic mihi locum quemdam aptum in litterariis Vniverſitatibus ſuis, quamprimum vacaturus eſſet, ſive Bambergae, ſive Würzeburgi, promiſerat. Sed antequam id efficere poſſet, vita functus eſt. Mortuo Ildephonſo Schwarzio, Profeſſore philoſophiae in monaſterio Banz, mihi eius locus delatus eſt, ita quidem, ut iuniores monachi in diſciplinis philoſophicis mea opera eſſent inſtituendi. Sed propter libe-

riorem meam cogitandi rationem, quam docendo et ſcribendo prodidi, in odium, invidiam et perſequutionem monachorum aliorumque ſacerdotum catholicorum incurrens, relinquendi monaſterii conſilium cepi, quod a. 1798 exſequutus ſum. Quos in monaſterio edidi, libri hi ſunt:

1) Inſtitutio confeſſionariorum pro ſacro tribunali. Duo tomi. Opus ex gallico in latinum translatum. Bambergae 1787.
2) Lebensbeſchreibungen der Heiligen auf jeden Tag des Iahres, aus den reinſten Quellen geſchöpft und kritiſch geprüft. 2 Bde. Bamberg 1788—89.
3) Meine Apologie wegen dieſer Schrift in der Mainzer Monatſchrift von geiſtlichen Sachen. 1789.
4) Ueberſetzung und Erklärung der heiligen Schrift alten und neuen Teſtamentes, in Gemeinſchaft mit Burkard Vollert herausgegeben. 18 Bände. Augsburg 1788—98.
5) Handbuch der chriſtlichen Religion von Ildephons Schwarz. 3 Bände. Von dieſem Werke habe ich die zweyte Ausgabe mit vielen Zuſätzen beſorgt. Bamberg 1797.
6) Beruhigungsgründe des gemeinen Mannes mit ſeinem Stande (gegen die franzöſiſche Revolution gerichtet). Coburg 1794.
7) Trauerlied auf Ludwig den XVI von mir zugleich in Muſik geſetzt. Coburg 1794.
8) Leben und Schickſale des ehrwürdigen Vaters Sincerus. 1 Band. Coburg 1798. Auch war ich als Mönch Mitarbeiter der Litteratur des katholiſchen Deutſchlandes, der Würzburger gelehrten Anzeigen, und der allgemeinen Litteraturzeitung.

Monaſterio egreſſus, veni Ienam, ubi gradu Doctoris philoſophiae ornatus, et poſt publicam defenſionem diſſertationis de nexu philoſophiae theoreticae et practicae, Ienae apud Prager 1799, impetrata docendi licentia, usque ad an. 1804 philoſophiam docui. Ienae dum verſabar, hos edidi libros:

1) Gemeinfaſsliche Darſtellung des Fichtiſchen Syſtems. 3 Bände. Erfurt 1799—1800.
2) Geiſt der Philoſophie unſerer Zeit. 1 Band. Iena 1799.
3) Ob Kants Kritik Metaphyſik enthalte? Eine Abhandlung in dem philoſophiſchen Iournal, herausgegeben von Fichte und Niethammer 1799.
4) Grundriſs der Wiſſenſchaftslehre. 1 Band. Iena 1800.
5) Transſcendentale Logik. 1 Band. Coburg 1802.
6) Meine Lebens- und Kloſtergeſchichte. 1 Band. Erfurt 1803.
7) Gefahren des Staates und der Religion von Seiten des Mönchthums. 1 Band. Erfurt 1803.
8) Syſtem der Natur- und Transſcendentalphiloſophie. 2 Bände. Landshut 1803—1804.
9) Das Paradies der Liebe, ein Kloſterroman. Erfurt 1804.

Anno 1804 Professor ordinarius philosophiae theoreticae et practicae ad Vniversitatem litterariam, quae Charcoviae est, vocatus, eodem anno cum coniuge mea duobusque infantibus illuc profectus sum. Anno 1807 praeter philosophiam demandata mihi quoque est provincia linguam et litteraturam Germanicam docendi. Anno 1813 post discessum Rommelii Professoris, qui litteras Latinas docuerat, mihi etiam huius munus vacuum a Senatu academico cum additione insigni stipendii annui delatum est. Praeterea per octo annos Senatui academico fui a secretis epistolis, saepius quoque eram Directorio Vniversitatis adscriptus. Anno 1810 obtinui dignitatem Consiliarii collegiorum, quae in Rossia cum hereditaria nobilitate coniuncta est. Quum sub finem anni 1816 Petropoli iam denominatus essem Consiliarius status, Galli quidam, quorum odium acerbis in scriptis meis contra Napoleonem et magnam nationem animadversionibus in me concitaveram, criminationibus suis contra scripta mea prolatis apud curiae Petropolitanae administros effecerunt, ut indicta caussa a meo munere amoverer. Neque hucusque obtinere potui, quamquam omnem movi lapidem, ut contra illas calumnias audirer. Mira sane res: paucis ante damnationem, quae contra me absque ulla allata caussa decreta est, mensibus, Imperatrix regnans, Elisabetha, pretiosum mihi donum propter eosdem libros, a Gallis accusatos, miserat cum litteris humanissime scriptis, in quibus ait, libros meos in Rossia editos ex iudicio eruditorum esse praestantes, maxime utiles ad institutionem publicam, et ita comparatos, ut, ubicumque legantur, mihi laudem concilient.

Haec autem scripta sunt:

1) De fine hominis supremo. Oratio publice habita 1807.
2) In memoriam Professoris Kalkau: oratio funebris publice habita 1810.
3) De vindicata libertate Europae. Oratio 1814 habita.
4) De vindicata religione. Oratio 1815 habita.
5) De existentia supremi Numinis. Dissertatio edita 1812.
6) De immortalitate animorum. Dissertatio 1814.
7) De studio philosophiae, eiusque genuina natura. Dissertatio 1815.
8) De libertate mentis humanae. Dissertatio 1815.
9) Institutiones Logicae. Vnus tomus 1812.
10) Deutsche Chrestomathie, vermöge Auftrages der Universität zum Gebrauch für Vorlesungen auf der Universität und den Gymnasien herausgegeben. 1 Band 1813.
11) Institutiones iuris naturae. Vnus tomus 1814.

12) De viris illustribus urbis Romae a Romulo usque ad Augustum, liber ex auctoribus classicis excerptus et auctoritate Senatus academici in usum gymnasiorum editus. 1815.

Ad initium anni 1817 ex Rossia redux in Germaniam, veni Berolinum eo consilio, ut caussam meam apud administrum Rossicum Berolini constitutum agerem. Ne autem in hac urbe tempus frustra tererem, petii a litteraria Vniversitate ibi florente potestatem, lectiones philosophicas habendi, eamque facile obtinui. Eadem integro anno usus, sed simul intelligens, me in caussa mea nihil ab administro Rossico obtinere posse, redii 1818 Ienam, ubi 1820 dignitate Professoris extraordinarii ornatus, duobus semestribus proxime superioribus scholas de logica, metaphysica, iure naturae, et psychologia habui. Semestri aestivo a. 1821 valetudinis caussa a lectionibus abstinui.

Fridericvs Osann,
Philos. D. et Prof. Publ. Extraord.

Vimariae d. 24 m. Augusti a. 1794 parentibus Henrico Gottfr. Osann, tum temporis a consiliis Principis serenissimi nunc magni Ducis, et Amalia Hufeland natus, postquam Gymnasium Vimariense, civibus primae classis adscriptus, per quadriennium frequentaveram, ineunte a. 1813 Ienam et anno post Berolinum me contuli, philologica antiquitatis studia persequuturus: quibus bene instituendis grato recordor animo quantum contulerint viri summi, Ienae Eichstadius, Berolini Wolfius et Boeckhius. Absoluto ita altero quadriennio, quum consentiente amplissimo Philosophorum ordine Vniversitatis litterarum Berolinensis summos in philosophia honores cum venia publice docendi coniunctos rite impetrassem, exhibita documenti publici gratia dissertatione

Analectorum crit. scaenicae Romanorum poesis reliquias illustrantium specimen 1816. 8.

quae particula fuit opusculi dimidio auctioris, similiterque inscripti apud Dümmlerum Berolini eodem anno editi, Vimariam reversus, anno sequenti Dresdam contendi, archaeologiae maxime vacaturus, quo aditus iisdem studiis pateferet, in itinere maiori continuo faciundo ampliori nisu continuandis. Quo facto, eiusdem anni auctumno Dresda profectus, in itinere per Germaniam, Galliam, Angliam, Italiam biennium ferme suscepto, id praecipue meum esse credidi, ut, quae diversarum terrarum, quas peragravi, bibliothecae et artium musea offerrent studiis antiquita-

tis profutura, in usum meum verterem. Quod ita feci, ut intra ipsam peregrinationem Parisiis commentationem conscriberem peregrino stylo conceptam,

Observations sur une nouvelle traduction française, suivie du texte grec, du traité d' Hippocrate des airs, des eaux et des lieux,

Annalibus encyclopaedicis tum temporis curante Millino, viro ut de aliis, ita de me bene merentissimo, editis a. 1818 Tom. IV. p. 338 seq. primum insertam, atque hinc postea seorsim editam. Eadem ex urbe a me data est epistola ad Aug. Matthiaeum,

De nonnullis fabularum Euripidis deperditarum titulis,

in Wolfii Analectis Litterariis vol. IV. pag. 527 edita. Praeterea Romae scriptiunculam exhibui,

Ueber eine vor Kurzem in Pompeii ausgegrabene Hermaphroditenstatue,

quam publici iuris Böttigerus fecit in Amaltheae vol. I. p. 342. sq. Anno 1819 ex itinere in patriam redux Berolinum me contuli, ut venia docendi in Vniversitate litteraria ante parta uterer: quod usque ad finem semestris hiberni 1820—1821 sedulo feci, quo Ienam discessi, Professoris extraordinarii philosophorum ordini addicti munere functurus. Eodem, quo Ienae adveni, semestri in lucem sumptibus Croeckeriis prodiit

Lycurgi oratio in Leocratem, codicum manu scriptorum ope recensita.

Antea Berolini quum adhuc versarer, duo haec volumina publici feceram iuris:

Ueber des Sophoklês Aias, eine krit. Untersuchung, nebst zwei Beilagen, Berlin 1820. 8.

Philemonis Grammatici quae supersunt, vulgatis et emendatiora et auctiora. Accedunt anecdota nonnulla Graeca. Berolini 1821. 8.

Ad haec scripta fasciculi aliquot accedunt hoc ipso demum, quo haec scribo, anno impensa mea editi, quibus opus auspicatus sum ita inscriptum:

Sylloge inscriptionum antiquarum Graecarum et Latinarum, quas in itineribus per Italiam, Galliam et Britanniam factis exscripsit partimque nunc primum edidit etc.

Fridericus Gottlob Schulz,
Philos. D. et Prof. Publ. Extraord.

Natus est quinto Cal. Febr. a. 1795 in villa Obergaevernitz prope Misniam, ubi pater in agris suis colendis vitam agit. Puer magistri domestici institutione et schola Haynensi usus, et iuvenis in lyceo Portensi versatus est. Litterarum artiumque liberalium et earum disciplinarum, quae camerales dicuntur, studia in Academiis Lipsiensi et Ienensi exercuit, agrosque colendi artem in paternis villis et in

schola Tiffurtina didicit. Deinde aliquot praediorum publicorum Vimariensium superior administrator factus est, et hanc provinciam duos per annos usque ad annum 1819 gessit. Eodem anno hac in litterarum Universitate disciplinas camerales docere coepit, et scripsit publiceque defendit libellum, cuius titulus est: Antiquitates rusticae. Particula prima de aratri forma et compositione. Ienae, apud August. Schmid, 1820 8. Vere a. 1821 in eadem Academia philosophiae Professor extraordinarius creatus est.

Lectionibus academicis adhuc docuit, quo modo civitatem regentes aerarium curare et administrare debeant (Finanzwissenschaft), et quo modo agriculturam, fabricas, mercaturam et reliquas artes, quibus necessitates copiaeque vitae parantur et augentur, ad felicitatem publicam tueri et iuvare possint (Gewerbspolitik); tum agriculturae principia, et rationem, qua fundis pretium statuendum sit.

Christianus Immanuel Hogel,
Philos. D. et Prof. Publ. Extraord.

Patria mihi Erfordia est, urbs antiqua, ubi maiores mei bis saecularia officia et Ecclesiae et Reipublicae praestiterunt ac claruerunt. Ibidem a. 1775 d. 25 Augusti natus, parentes habui Andream Emanuelem, tum temporis scribam Senatus Vrbis, et Iustinam Christianam, ex stirpe Loewiana, cuius pater Pastor Eytranus fuit. Litterarum initiis, quibus impertiri solet puerilis aetas, et in schola mercatorum, cui illo tempore Reichardtus praeerat, et privata institutione praeceptorum imbutus, a. 1789 ad Gymnasium senatorium provectus sum, in quo Franckius, Director, et Sinnholdus, Ritschelius, Bellermannus, Soemmeringius et Herrmannus, Professores, operam mihi suam praebuerunt: quos viros septennio post consortes coniunctissimos habere contigit. In lingua Graeca et Latina privatim me erudivit Harnischius, A. M. Ad altiora a. 1793 promotus sum. Per biennium in Academia Erfordiensi, illa aetate adhuc florente, litterarum studio deditus in omnibus philosophiae partibus Lossium, in historia politica Dominicum doctores habui, et habuisse me laetus gratusque recordor. Physicam experimentalem, mathematicam puram et encyclopaediam iuridicam viri clarissimi Ios. Hamilton, Reinhardus et Weissenbornius mihi publice audiendi occasionem obtulerunt. Linguae Francogallicae atque Anglicae cognitionem Lossio, linguas recentiores docenti, debeo. Tunc a.

1795 in Academiam Goettingensem me contuli, cuius me civium numero b. Waldeckius adscripsit. Ibi triennium commoratus, in disciplinis, tam ad iurisprudentiae quam ad historiae studium pertinentibus, scholas celeberrimorum doctorum assidue curioseque frequentavi has. Waldeckius institutiones iuris civilis, systema iuris civilis, theoriam processus civilis et ius digestorum; Hugo historiam et antiquitates iuris Romani; Meisterus ius criminale et ius Pandectarum, Pütterus ius publicum Germanicum, historiam imperii et praxin iuridicam, Böhmerus ius fendale et canonicum tradidit. In historicis Spittlerus historiam universalem, historiam civitatum Europaearum et historiam imperii Germanici, Heerenius historiam et geographiam antiquam, historiam elegantioris litteraturae et aestheticam, Schloezerus historiam Europae universae, historiam Europae semptemtrionalis, statisticam et politicam, Eichhornius historiam litteraturae et historiam novam, Gatterérus encyclopaediam historicam, diplomaticam et Taciti Germaniam, Heynius antiquitates Romanas et historiam litteraturae Romanae, denique Grellmannus statisticam Germaniae enarravit.

Ex Academia Georgia Augusta in patriam reversus, Magisterii honores ab ordine philosophico Vniversitatis Erfordiensis petii, et superato d. 20 Decembr. 1798 examine dignitatem Doctoris Philosophiae et Magistri obtinui. Munus postea Professoris Gymnasii Evangelici ab amplissimo Senatu A. C. a. 1800 mihi demandatum omni cura atque industria per duodecim annos gessi, quippe quod et exoptatissimum obtigisset, et studiis meis accommodatissimum esset. Quo utinam fungi potuissem diutius! Sed orbatum utroque parente (mater anno 1810 obiit, anno post etiam pater octogenarius) et absque consanguineis ac necessariis degentem me curae domesticae tum temporis graves occuparunt, et a Consilio academico duobus iam ante annis Secretarius Vniversitatis electus atque constitutus, eo in munere obeundo tot tamque variis negotiis obrutus eram, ut otii opportunitas deesset, quo meis studiis inservirem. Abdicatio, quam rogaveram, a magistratu per litteras dimissorias honorifice condonata est a. 1812. Insequuto anno matrimonium contraxi cum Theresia Seehuberia, olim exactoris redituum monasterii St. Cyriaci filia. Vxoris in moderanda re familiari cura laudabilis mihi negotia, illo tempore quam molesta, minuit, sed felicitatem domesticam non potuit augere, quum continua in civitate nostra dominatio tam adversa nobis et invisa, et spes conservandae patriae Vniversitatis tam dubia esset, adeoque in dies diminueretur, ut mutare sedem ac domicilium satius videretur. Quod optaveramus, obtinuimus. Annuente enim et consilio nostro fa-

vente Magno Duce Vimarienſi Ienam, inclytam Muſarum ſedem, m. Novembr. anni 1816 disceſſimus, ibique domicilium nobis conſtituimus.

Sit meae ſedes utinam ſenectae!

Deinde a ſereniſſimis almae Salanae Nutritoribus Profeſſor Philoſophiae extraordinarius creatus in Senatu academico die 8 Septembr. anni 1821 Pro-Rectore Fuchſio in numerum Academicorum relatus ſum.

Carolvs Gvilielmvs Goettling,

Philoſ. D. et Prof. Publ. Extraord.

Natus Ienae 1793 patre Ioanne Friderico Auguſto, olim Profeſſore Chemiae P. O. in academia Ienenſi, matre Sophia e gente Schulzia, depoſito litterarum tirocinio in Gymnaſio Vimarienſi, quod ſub Lenzii, Paſſovii, Schulzii, virorum doctiſſimorum auſpiciis tum florebat, almi municipii ſui audivit acroaſin. Quum ibi per quatuor annos privatis recitationibus virorum perilluſtrium, Griesbachii, Vlrichii, Eichſtadii, Ludeni, Okeni, Voigtiorum, Fuchſii, Munchovii interfuiſſet, anno 1813 exeunte evocationi ſereniſſimi Magni Ducis Saxoniae obſequutus, turmis equitum voluntariorum ſe adiunxit et expeditionem in Galliam una fecit. Reſtituta pace, quum ordo Philoſophorum Ienenſium ampliſſimus, Ludeno, viro perilluſtri, Decano, Doctoris philoſophiae iura et privilegia honoris cauſſa ei attuliſſet: Berolinum migravit ibique per aliquod tempus F. A. Wolfium, Boeckhium, Solgerum, Ruehſium, viros celeberrimos, audivit. Item ſeminario philologico ſodalis ordinarius adſcriptus, praeter Boeckhium, virum ſummum, Buttmanno, V. C. per ſex menſes praecentore gaviſus eſt. Redux Rudolphopolim vocatus per quatuor annos in Gymnaſio illuſtri Rudolphopolitano bonas litteras docuit. Inde Neowedam arceſſitus, ut Gymnaſium ibi condendum moderaretur, non ſine gaudio morem geſſit. Sed quum mox ſenſiſſet, oppidulum illud Rhenanum, feraciſſimum quidem religionum, ſed doctrinae admodum ſterile, non par eſſe ferendis, quae ultro ſibi impoſuiſſet, oneribus, neque ipſe precibus per biennium iteratis, Siſyphi inſtar, profeciſſet hilum, pro peregrinis focis ſine ulla ſpe victoriae luctandi impatiens, Gymnaſio, ſine fiſci aut aerarii ope ruituro, porro praeeſſe noluit. Rudis petenti non denegata eſt. Inde Lutetiam Pariſiorum ſe contulit. In patriam reverſo a ſereniſſimis Academiae Ienenſis Nutritoribus Profeſſoris philoſophiae extraordinarii provincia demandata eſt.

Libellorum, qui ab eo editi sunt, inscriptiones hae sunt:

1) Animadversiones criticae in Callimachi epigrammata et Achillem Tatium. Ienae 1811.
2) Ueber das Geschichtliche im Nibelungenliede. Rudolstadt 1814.
3) Nibelungen und Gibelinen. Rudolstadt 1816.
4) Die Lehre vom Accent der griechischen Sprache, für Schulen. Rudolstadt 1818. Zweyte Auflage 1820.
5) Die Gegenstände des Gymnasialunterrichts. Neuwied 1819.
6) Ueber den Unterricht in teutscher Sprache auf Gymnasien. Neuwied 1820.
7) De Arcadii quibusdam accentuum praeceptis. Bonnae 1820.
8) De Arcadii quibusdam accentuum praeceptis. P. II. Bonnae 1821.
9) Observationes criticae in Achillem Tatium, Commentario Iacobsiano insertae. 1821.

IX.
DOCTORES PRIVATI THEOLOGIAE.

Privatas super disciplinis theologicis acroases instituit vir plurimum reverendus, Fridericus Augustus Kleinius, Theol. Baccalaureus: qui locum habet in Doctoribus privatis philosophiae, quorum vitae paullo post enarrantur.

X.
DOCTORES PRIVATI IURISPRUDENTIAE.

Ioannes Augustus Christianus ab Hellfeld,
I. V. Doctor.

Natus sum Ienae d. 23 Oct. 1765. Pater meus, scriptis suis satis celebratus, fuit Ioannes Augustus ab Hellfeld, Iur. Doctor, serenissimis Ducibus Sax. Vinar. et Isenac., atque Gothan. et Altenburg. a consiliis sanctioribus in regimine et aula, Iur. canonici in celeberrima hac Academia P. P. O. Prov. Sax. com. Assess. Iurisconsultorum Ordinis et scabinor. Collegii Praeses. Cursu studiorum iuridicorum tum

Ienae tum Helmſtadii abſoluto, et diſſertatione de furto fame dominante facto ad C. C. C. Art. 166 (Ienae 1789. 40. p. 4.) d. 7 Nov. 1789 rite defenſa, gradum Doctoris iurium adeptus, eodem anno munus privati doctoris adii. Anno 1790 in tribunali aulico, tum temporis Ienae florenti, cauſſarum agendarum patronus conſtitutus ſum. Quo ſublato, quum ſupremum appellationis tribunal eius in locum ſucceſſiſſet, munus primi advocati contigit. — Academicis ſcholis principia proxeos iudicalis tradere ſoleo.

Scripta mea haec ſunt:

1) Diſſ. inaug. de furto fame dominante facto ad C. C. C. Art. CLXVI. Ienae 1789. 4.
2) Geſchichte Bernhards des groſsen Herzogs zu S. Weimar. Leipzig 1797. 8.
3) Populäre Darſtellung einiger der vorzüglichſten Materien der Rechtswiſſenſchaft für Nichtiuriſten. Eiſenberg 1814. 8.
4) Erläuterung verſchiedner Materien des bürgerlichen Rechts, ſo wie Bekanntmachung mit Handlungen der willkührlichen Gerichtsbarkeit für Perſonen, welche der Rechte unkundig ſind. Eiſenberg 1821. 8.

IACOBVS HENRICVS PAVLSSEN,
I. V. Doctor.

Primam ego lucem adſpexi Ienae anno 1790, patre Iacobo Paulſſen, urbis Conſule, matre Friderica, e gente Heiligenſtaedtiana. Puer a praeceptoribus domeſticis litterarum initiis imbutus, mox diſciplinae Lycei Iſebergenſis publicae traditus, ea litterarum elementa didici, quibus ingenia iuvenilia inſtrui ſolent. In perdiſcenda lingua Latina, Graeca et Francogallica, in hiſtoria, philoſophia et matheſi ibi uſus ſum praeceptoribus maxime de me meritis, Brendelio et Voigtio. Per plures annos Iſebergae verſatus, Vimariam me contuli, ubi celeberrimum eius urbis Gymnaſium frequentans, interfui praelectionibus Lenzii, Gymnaſii Rectoris; idem Paſſovii et Schulzii, virorum dilectiſſimorum, ſcholis numquam defui. Ab his viris egregiis inſtitutus, ad ſtudia academica acceſſi. Perill. Schnauberto Prorectore, civitati litterarum Ienenſi civis adſcriptus ſum. Ibi in iuris doctrina praeceptoribus uſus ſum Schnauberto, Seidenſtickero, Genslero, cariſſimo avunculo, Schömano, Schweitzero, Walchio. Quorum virorum laudes ac de republica litteraria merita tot et tanta ſunt, ut meis laudibus prorſus non indigeant. Triennio in Academia peracto, ab ill. Iureconſultorum Ordine petii, ut mihi licentiam ſummos in iure

honores adipiscendi concederet. Tentamine ex lege instituto ill. Iureconsultorum ordo dignum me censuit, in quem, publica disputatione de contractu vitalitio habita, summi in utroque iure honores conferrentur. Quibus peractis ad caussas in foro orandas aptiorem me reddere studui, et quum Regimini provinciali, quod Vimariae sedem habet, specimina mea approbassem, advocatorum numero adscriptus, complures per annos caussas in variis superioribus et inferioribus iudiciis egi, scholasque de iure privatas in Academia patria habui. Tum in suprema provocationum curia, Ienae constituta, munus Secretarii mihi est delatum, quo adhuc fungor.

XI.

DOCTORES PRIVATI MEDICINAE.

C. Chr. Friedemann Travgott Goebel,
Philos. Doctor.

Natus sum Niederrosslae d. 21 m. Febr. 1794, matre e familia Schwarzia, patre concionatore sacro Niederrosslae. Inde ab anno 1805 usque ad annum 1809 Buttstadii versatus sum in instituto Munkii Rectoris, deinde Isenacum ad pharmacopolum aulicum Dammannium me contuli, ut artem pharmaceuticam addiscerem. Anno 1813 Ienam profectus sum, disciplinis naturae in hac Academia operam daturus: quo consilio praelectionibus virorum celeberrimorum, Doebereineri, Voigtii, Münchovii, Lenzii, Bachmanni, Graumülleri, imprimis frequentatis, mense Augusto 1818 pharmacopolium Vniversitatis suscepi. Ornatus denique d. 28 Ian. 1819 Doctoris Philosophiae honoribus, licentia scholas habendi impetrata, eiusdem anni aestate pharmaciam generalem una cum stoechiometria experimentis idoneis illustratam exposui. His scholis recte continuandis librum edidi ita inscriptum:

Grundlinien der pharmaceutischen Chemie und Stoechiometrie für seine Vorlesungen, so wie auch zum Gebrauche für Aerzte und Apotheker. Iena 1821. 8.

Aemilius Huschke,
Med. et Chir. Doctor.

Natus sum Vimariae die 14 Dec. 1797, matre gaudens e stirpe Goeringia, patre Archiatro Magniduc. Vimar. Gymnasium Vimariensis frequentavi ab anno 1811 ad 14, quo Ienam me contuli ad studium medicinae ineundum. Hic usque ad annum 1818 versatus, interfui lectionibus celeberr. Bachmanni, Doebereineri, Fuchsii, Graumülleri, Kieseri, Lenzii, Ludenii, Münchovii, Okenii, Renneri, Starkii utriusque, Succovii, Voigtii etc. Acceptis hoc anno Doctoris honoribus, et scripta dissertatione de metamorphosi organorum respiratoriorum in animalium serie et de vesica natatoria piscium, Berolinum profectus sum ad visenda instituta medica. Ibi per annum commoratus, eodem consilio Viennam me contuli, et Germaniam meridionalem permigravi. Quo facto Ienam reversus anno 1820, et veniam docendi nactus, de Embryologia hominis publice disserui, atque pro venia docendi rite impetranda dissertationem de mimice et physiognomice scriptam d. 28 Iul. 1821 defendi.

XII.

DOCTORES PRIVATI PHILOSOPHIAE.

Ioannes Christianus Fridericus Graumüller,
Philosophiae Doctor.

Dennheritzae prope Glauchaviam a. 1770 natus est, patre Chirurgo, qui severissimus eum ad summum in negotiis omnibus ordinem ac diligentiam educavit. Usque ad duodecimum aetatis annum cum aliorum paganorum liberis ludi magistri baculo erat subditus: sed iam tunc temporis, sicuti et pater, floribus amicissimus fuit, summas in hortis cepit voluptates, floresque undique collectos curavit atque coluit. Arti chirurgicae ut operam daret, pater voluit. Quae ars quum ipsi esset admodum invisa, factum est, ut lares domesticos matre socia fugeret, et Glauchaviam forte migraret, ubi tristissimam vitam agens, duce Henneo, Lycei Rectore, Latinae et Graecae linguae initiis est imbutus. Tum vero pater, excitatus familiarium cohortationibus, ut filius in litteras incumberet, haud moleste tulit: ea tamen lege, ut Gymnasii non longe

remoti Zwickavienſis fieret alumnus. Ille, patris iuſſum ſpernens, Gymnaſium Plaviense, tum perilluſtre, exiguo inſtructus viatico petiit. Clarus ſcholae Rector, Irmiſcus, fidem ei operamque liberaliſſime et promiſit, et vero etiam praeſtitit. Mercatorum aliorumque procerum liberis inſtituendis res ad victum neceſſarias ſibi comparavit. Studium moresque praeceptoribus eum commendavere. Sed pectoris morbus, perpetuo labore ſibi contractus, monente medico, per aliquod tempus in agris vivere eum coegit, itaque Voigtsbergam profectus eſt. Ibi apud iuri dicendo praefectum degens, amoenis in arvis quotidie circumvagans plantas indagavit, ac numquam niſi cum pulcre floreſcentium plantarum acervo domum rediit. Menſe Auguſto 1791 Ienam profectus acroaſibus nonnullis ſuper theologia, cui pater eum dicaverat, hoſpes adfuit. Prolegomenis Doederlini, magisque arvorum Ienenſium amoenitate captus, ut ſtudiis operam daret, Ienam migrandi conſilium cepit. Sed quum pater Lipſienſis Academiae ipſum civem mallet, per hiemem domi remanſit. Tum vero menſe Martio a. 1792, invito patre, a comite Schoenburgenſi litteris commendaticiis adiutus, quae in publico convictorio locum et ſcholarum gratis frequentandarum copiam ei feciſſent, Ienam profectus eſt. Quae beneficia, quorum grato recordatur animo, nactus, per integrum triennium omnes theologiae, philoſophiae atque philologiae acroaſes diligentiſſime atque ſtudioſiſſime audivit. Paſchatis feſto 1795, quum neceſſaria ad vitam ei deeſſent, domum abiturus erat. Sed quum contubernalem haberet medicum, cui Ditericus Klippſteniusque plantarum vernarum primitias afferre ſolebant, et ipſe excurſionem botanicam cum D. Schenkio faceret, botanices ſtudium denuo excitatum eſt. Remanſit, et Stumpfii, cameralium Profeſſoris, cuius liberos inſtituit, lectionibus commotus, huic ſtudio ſummam operam dedit. Botanices ſtudium magis magisque inflammabatur a Batſchio, Profeſſore, qui maxime benevolus ad hortos botanicos, muſeum, atque bibliothecam aditum ipſi permiſit. Tum inſectorum conſervandorum ſtudio quotidianam illius naturae peritiſſimi ſcrutatoris nactus eſt conſuetudinem. Praeter ea acroaſium de oſteologia, anatomia, phyſiologia, anthropologia, medicina forenſi, materia medica ſtudioſiſſimus fuit auditor, quarum diſciplinarum ſcientia poſthac ipſius ſtudiis non parva adiumenta attulit. Iam arva circumiacentia peragrare, plantas phanerogamicas quaerere, et in ordines redigere: quo in labore Ruppii Floram Ienenſem, 1726 editam, ducem habuit. Victum hoc temporis ſpatio corrigendis aliorum libris impreſſis aliisque laboribus vel litterariis vel technicis ſatis moleſte quaeſivit. Quibus continuis ſtudiis decem annos peregit. Exeunte anno 1801 philoſo-

phiae honores adeptus, primum libros duos edidit, qui Ludovico, Comiti Schoenburgensi dicati, effecerunt, ut ab illustrissimo Comite Consiliarius in re saltuaria crearetur. Inde ab hoc tempore privatim docuit botanicen, historiam naturalem, geographiam, elementa Hebraicae linguae, Graecam et Latii linguam. Mox consilium inierat Russorum regiones petendi; sed belli tumultus has rationes disturbavere. Mense Octobri a. 1806 omnibus rebus, bibliotheca quoque et eorum, quae ad Faunam Ienensem edendam collegerat, spoliatus, aestivo semestri 1807 botanicam docere perrexit, atque ab litterarum ad naturam et mineralogiam spectantium Societatibus Ienensibus atque Altenburgensi socius est cooptatus.

Scholis suis tradere solet universam naturae historiam, insectologiam, zoologiae terminologiam, universam botanicen, cryptogamorum historiam, corporum officinalium historiam secundum omnia tria regna, zoologiam oeconomicam, botanicen oeconomicam, historiam naturae forestalem, botanicen forestalem, disciplinam forestalem ratione forestalis culturae et technologiae habita, geographiam politicam et floram biblicam.

Denique scripta, quae in lucem emisit, haec sunt:

1) Systematisches Verzeichniss wilder Pflanzen, die in der Nähe und umliegenden Gegend von Iena wachsen, nebst Bemerkung ihres Wohnorts, ihrer Blüthezeit, Fruchtreife und ihres Nutzens, für angehende Aerzte, Apotheker, Technologen, Oekonomen, Gartenliebhaber u. s. w. Iena 1803. 8.
2) Charakteristik der um Iena wildwachsenden Pflanzen in tabellarischer Form zum Gebrauch für Excursionen. Iena 1803. 8.
3) Darstellung einer neuen Methode von natürlichen Pflanzenabdrücken, als Probestück. Iena 1809. 4.
4) Neue Methode von natürlichen Pflanzenabdrücken in- und ausländischer Gewächse, zur Demonstration der botanischen Kunstsprache in Schulen, so wie auch zum Selbstunterricht für Freunde der Pflanzenkunde. 1 Heft. Iena 1809. 4.
5) Tabellarische Uebersicht des alten Linneischen Pflanzensystems und des verbesserten von Thunberg, so wie auch der natürlichen Systeme von Iussieu und Batsch, zu Vorlesungen. Eisenb. 1811. 4.
6) Diagnose der bekanntesten, besonders europäisch. Pflanzengattungen, nach dem verbesserten Linn. Systeme zum analytischen Gebrauche für Vorlesungen, so wie auch zum Selbstunterricht entworfen. Nebst eines Vorrede vom sel. H. G. H. Gruner. Eisenb. 1811. 8.
7) Handbuch der pharmaceutisch-medicinischen Botanik zum Selbstunterricht für angehende Aerzte, Veterinärärzte, Apotheker, Droguisten u. s. w. 6 Bnde. Eisenb. 1815 — 19.

8) Flora pharmaceutica Ienensis, oder Verzeichniss der um Iena wildwachsenden in Gärten und auf Feldern gezogenen, in ältern und neuern Zeiten gebräuchlichen Arzneypflanzen, nebst Bemerkung ihrer Dauer und Einsammlungszeit für Aerzte, Apotheker, Droguisten und Arzneypflanzensammler. Iena 1815. 8. (Die Vorrede enthält eine Uebersicht Alles dessen, was seit der ältesten bis auf gegenwärtige Zeit für die Botanik auf unserer Universität gethan worden ist.)

FRIDERICVS AVGVSTVS KLEIN,
Philosophiae Doctor.

Natus d. 7 Sept. 1790 in pago Friedrichsheide prope Ronneburgum sito, a. 1800 Lyceo Ronneburgensi, et a. 1808 Gymnasio Altenburgensi nomen dedi. A. 1811 venia in stadium academicum transgrediendi parata, Ienae litteris theologicis, philosophicis et philologicis operam addixi. A. 1812 tum Societati Latinae, duce Perill. Eichstadio maxime florenti, tum Seminario homiletico a ven. Schottio feliciter condito adscriptus sum. A. 1814 mihi contigit, ut venerabilis Ordo Theologorum et orationem sacram die festo pentecostes in aede Paullina a me recitatam dignam haberet, quae typis exscriberetur (cf. die erste Nachricht von dem hiesigen homiletischen Seminar. Iena, 1815), et disputatiunculam, ad stipendium Lynckerianum impetrandum modeste propositam, praemio honorifico benevole ornaret. Eodem anno in numerum Candidatorum reverendi Ministerii Altenburgensis relatus sum. A. 1815 provinciam Collaboratoris Ministerii Ienensis obtinui, et mox dignitate Doctoris philosophiae et venia docendi instructus, scholas academicas aperui. A. 1819 munus Diaconi ad S. Michaelis et Pastoris ad S. Ioannis aedem a serenissimo Principe et amplissimo huius urbis magistratu mihi demandatum est. — Praelectiones de logica et introductione in studium philosophiae, item scholas examinatorias ad theologiam dogmaticam spectantes inde ab anno 1815 usque ad hunc diem per singula semestria continuavi. Praeterea theologiam rationalem, ethicen, exegesin N. T., rhetoricam sacram, et practicam interpretationem pericoparum evangel. et epist. in usum futurorum ecclesiastarum docere soleo.

In lucem edidi haec scripta:

1) De loquendi formula γλωσσαις λαλειν, quae est in I. Epist. ad Corinth. et in Actis Apost., novae sententiae periculum etc. Ienae 1816.

2) Vertraute Briefe über Christenthum und Protestantismus. Iena 1817.

3) Mehrere homiletische Abhandlungen in der Schuderoffschen Zeitschrift. (34 Bd. 2 Heft. 35 Bd. 1 Heft. 36 Bd. 2 Heft. 37 Bd. 1 Heft.)

4) Für Christenthum und Gottesgelahrtheit. Eine Oppositionsschrift, zu Anfange des vierten Jahrhunderts der evangelisch-protestantischen Kirche in Quartalheften herausgegeben von Pf. Schröter und D. Klein. Iena 1817—1821. (Durch gütige Mitwirkung von 41 Mitarbeitern sind bis jetzt 16 Hefte, jedes zu 12 Bogen erschienen.)

5) Zwölf heilige Reden, in der Stadtkirche zu Iena gehalten. Leipzig 1818.

6) Die Beredsamkeit des Geistlichen als eine Nachfolge Christi, in einer Reihe von Vorlesungen dargestellt. Leipzig 1818.

7) Grundlinien des Religiosismus. Versuch eines Systems zur Auflösung des gewöhnlichen Rationalismus und Supernaturalismus. Leipzig 1819.

8) Welche theologische Parthey soll von der Staatsgewalt heimlich und öffentlich unterdrückt werden? Die alte oder die neue? Worte der Beruhigung und Warnung für Fürsten, Minister, Politiker und alle gutgesinnte Nichttheologen u. s. w. Iena 1820.

9) Aufruf an alle Freymaurer im protestantischen Deutschland, ihrem Ruhme in der gegenwärtigen Zeit ein bleibendes Denkmal zu setzen. Iena 1819.

10) Andeutungen zur Verbesserung des evangelischen Kirchen- und Schulwesens. Iena 1820.

11) Desiderii Erasmi Roterod. Ecclesiastae sive de ratione concionandi libri quatuor. Recensuit, in capita divisit, indice rerum ac verborum copiosissimo instruxit etc. Lipsiae 1820.

12) Darstellung des dogmatischen Systems der evangelisch-protestantischen Kirche; nebst historischen und kritischen Bemerkungen. Ein Hülfsbuch zur Beförderung eines gründlichen Studiums der Dogmatik. Iena 1821.

CAROLVS GVILIELMVS ERNESTVS PVTSCHE,
Philosophiae Doctor.

Natus est Mega-Cromsdorfii a. 1765 Calendis Maiis. Pater eius, munere verbi divini ministri fungens, religionis et litterarum elementa eum docuit, quibus imbutus Gymnasium illustre, quod Vimariae floret, per annos quinque frequentavit. A. 1783 in hanc almam Musarum sedem venit, et ad studia theologica incubuit. Praelectionibus summorum virorum, Griesbachii, Doederlini, Schmidii, Eichhornii, Vlrici, Wiedeburgii, Henrici, Succovii interfuit, in quo studio paterno consilio b. Griebachii peculiariter adiutus, et maximis beneficiis ab eo cumulatus est. Triennio academico absoluto, in Saxoniam inferiorem commendatione praeceptoris ac fautoris sui, Directoris Gymnasii Vimariensis b. Heinzii, se contulit,

ibique educationi liberorum in aedibus Fischeri, iuri in praefectura Osterholza dicundo praepositi, se dedit, et usque ad annum 1792 moratus est. Tum a Lodero, Consiliario aulico secretiori et anatomiae Professore, nunc autem senatore Russico, inde revocatus est, ut munus educandi filii apud eum susciperet. A. 1796 ministerium verbi divini apud Microienenses per legitimam vocationem adeptus, hoc munere adhuc fungitur. A. 1815 ab ordine Philosophorum amplissimo honoris caussa nomine Doctoris insigniebatur, qua munificentia commotus disputationem de variis agricolandi modis exhibuit, ac publice a. d. 15 Calendas Februarias A. 1817 defendit. Nec defuerunt studio litterarum ornamenta exterorum. Nam regiae Borussicae Academiae scientiarum Erfordiensis, Societatis hortorum culturae Londinensis, Naturae curiosorum Osterlandiae et Magniducalis Badensis, oeconomicae Ettlingensis sodalis litterarum usu iunctus, denique regiae Saxonicae Societatis oeconomicae Lipsiensis et Magniducalis mineralogicae Ienensis socius honorarius cooptatus est.

Scripta eius edita haec sunt:

1) Oekonomisch technologisches Handbuch, oder Land- und Hauswirthschaftliches Orakel, für Hausväter und Hausmütter zur vortheilhaftern Führung der Wirthschaft in der Stadt und auf dem Lande. 2 Bände. Leipzig 1798 und 1800. 8.

2) Versuch einer Monographie der Kartoffeln oder ausführliche Beschreibung der Kartoffeln, nach ihrer Geschichte, Charakteristik, Cultur und Anwendung in Teutschland. Bearbeitet von Dr. Carl Wilhelm Ernst Putsche u. s. w. und herausgegeben von Dr. Friedrich Iustin Bertuch u. s. w. Mit ausgemalten und schwarzen Kupfern. Weimar 1819. 4.

3) Der Landwirth in seinem ganzen Wirkungskreise, oder Sammlung der neuesten und nützlichsten Beobachtungen, Erfindungen und Rathschläge in allen Zweigen der Landwirthschaft. Eine Zeitschrift für practische Landwirthe, Cameralisten und Freunde des ländlichen Gewerbes. Herausgegeben von D. C. W. E. Putsche u. s. w. I — V Band. Iena und Altenburg 1817 — 1821. 8.

IOANNES FRIDERICVS CHRISTIANVS WERNEBVRG,
Philosophiae Doctor.

A. 1777 Isenaci natus, mature ad matheseos ac physices studium, quo animus inde a pueris inclinabat, tum in urbe patria, tum Hafniae, qua in urbe Daniae a. 1795 — 1796 commorabatur, sese applicuit. A. 1799 Ienae, ubi per hiemen 1797 — 1798 litteris imprimis philosophicis operam dederat, Doctoris in Philosophia

honores consequutus est. In academia deinde Gottingensi ab amplissimo Philosophorum Ordine veniam docendi nactus, a. 1803—1805 scholas mathematicas et philosophicas habuit. Post aliquamdiu rure prope Isenacum otio litterario gavisus, Vimariae ab a. 1808—1812 pueros nobiles, quos principales dicunt, aliosque iuvenes, qui Academiam artium ibi florentem frequentabant, in mathematicis instituit. A. 1812 Isenacum vocatus est, ut in Gymnasio Illustri Mathesin doceret: quo munere quam a. 1814 sese ipse abdicasset, tum in urbe tum rure apud fratrem studiis mathematicis, oeconomicis ac technicis vacavit. A. 1817 Dresdam profectus est, ibique contigit, ut tum iucunda fratris alterius et amicorum eruditissimorum consuetudine per octo menses uteretur, tum ex opulentissimis, quibus urbs regia abundat, litterarum et artium thesauris fructus colligeret uberrimos. A. 1818 inde reversus, Ienam se contulit, et in hac patria litterarum Vniversitate auctoritate amplissimi Ordinis continuas de arithmetica et algebra, de geometria et trigonometria, de mathesi applicata, architectura civili et mathesi sublimiore scholas habuit.

Scripta, quae in publicum edidit, sunt haec:

1) Kurze Darstellung eines neuen Zahlen- und darnach angegebenen Maafs-, Gewicht- und Münz-Systems von Iohann Friedrich Christian Werneburg aus Eisenach. Im May 1798. 8. (Auf dem Rastadter Congrefs vertheilt.)

2) Dr. I. F. C. Wernebur'gs Beweis, dafs unter allen möglichen Zahlen- und diesen gleichartigen Theilungs Systemen nur dasjenige das einzig vollkommene System ist, in welchem jede höhere Einheit aus taun (zwölf) nächst niedern Einheiten besteht. Denkenden Menschen geweiht. Leipzig 1800. 8.

3) Neu verbesserte gründliche Theorie der Windmühlenflügel. Leipzig 1800. 8.

4) Kurze wissenschaftliche Darlegung der Unhaltbarkeit sowohl des transcendentalen idealistischen Systems der eitlen Genufslehre — und des kritischen Systems u. s. w. 1800. 8.

5) Der Philosoph oder Weise, wie er seyn und nicht seyn — soll — mufs — darf und kann. Eine Schrift, womit die Ausfegung eines jeden alten und neualten philosophischen Sauerteigs beginnt. Einem jeden sogenannten Retter des erkrankten Schulverstandes in Teutschland, folglich auch einem C. G. Bardili, Friedrich Nikolai und Consorten aus lauter Weltbürger-Sinn nicht geweihet. I. F. C. W. Auch unter dem Titel:

Versuchte, kurze fafsliche Vorschilderung der Allwissenschafts-Lehre, oder der alleinigen sogenannten Philosophie, und fafslichere Darstellung der Grundlosigkeit beyder extremalischen Systeme des Idealismus und des Dogmatismus, oder Unhaltbarkeit der

Wissenschafts-Lehre und der Nicht-Ich Wissenschafts-Lehre oder Genuss-Lehre. Eine Vorbereitungsschrift von I. F. C. Werneburg. 1808. 8.

6) Teliosadik, oder das allein vollkommene unter allen Zahlen-Systemen und das nach dessen Grundzahl bestimmte allein vollkommene Grad-, Zeit-, Maass-, Gewicht- und Münz-System angewandt auf das bürgerliche Leben. Zuerst erfunden, entworfen, aufgestellt und ausgearbeitet von u. s. w. Ein ganz neues gemein verständliches Handbuch des Rechnens für jeden Staatsbürger. Erster Theil. Das reine vollkommene Zahlen-System. Mit dem besondern zugleichen Seiten-Titel:

Das reine vollkommene Zahlen-System oder das reine Taun (Zwölf) Zahlen-System, also nach seiner Grundzahl genannt. Erfunden, entworfen, aufgestellt und ausgearbeitet von u. s. w. 1 Theil der Teliosadik. 1800. 8.

7) Rein wissenschaftliche Deduction oder Ableitung der wahren Verhältnisse je zweyer von den verschiedenen trigonometrischen Linien zu einander, direkt in Theilen der einen von beyden in allgemeinen analytischen Formeln; frey von aller Anwendung ..... der Differenzial- und Integral- oder Fluxions-Rechnung u. s. w. 1800. 8.

8) Erste allgemeine Rechnenlehre oder Rechenkunst für und nach jeglicher stetigen Eintheilung, vermittelst der Dekadik. Ein Bey- und Nachtrag zu jedem mathematischen Lehrbuche. Von .... in Göttingen. Leipzig 1804. 4.

9) Inquisitio in principia, quibus ad meam usque memoriam altior mechanice superstructa erat, et conatus unice vera illius scientiae principia recte constituendi. Dr. Io. Frid. Christ. Werneburg, sodal. societatis mineralogicae Ienensis. Lipsiae 1804. 8.

10) Grundzüge von originellen alten und neuen Systemen und Theilen der Mathematik von .... in Göttingen. Aus fünf Abtheilungen bestehend. Mit 1 Kupfertafel. Leipzig und Eisenach 1805. 8.

11) Einzelne musikalische Abhandlungen in Reichards Berliner Musikalischen Zeitung und im Iournal für Manufaktur, Handlung und Mode, die neuerfundene einfache Tastatur und Noten-Schrift betreffende. Auch andere Abhandlungen und Recensionen in andern Zeitschriften.

12) Allgemeine neue, viel einfachere Musik-Schule für jeden Dilettanten und Musiker. Mit einer Vorrede von I. I. Rousseau. Nebst einem Kupfer. (Die neuerfundene Tastatur darstellend). Gotha 1812. Querquart.

13) Merkwürdige Phänomene an und durch verschiedene Prismen. Zur richtigen Würdigung der Newton'schen und der von Goethe'schen Farbenlehre mit 8 Kupfertafeln. Nürnberg 1817. 4.

14) Ueber die zeitherige Bestimmung der Dauer eines Pendel-Schlags und der Fallhöhe in einer Sekunde. Eisenach 1817. 4.

15) Lehrbuch der Arithmetik in bestimmten und unbestimmten Zahlen und Gröſsen, oder in Ziffern und Buchstaben zugleich. Zum Gebrauch bey Vorlesungen und zum Selbstunterricht besonders für Bauverständige. Iena 1819.

N. 1 bis 6, 8, 9 und 13 sind auf Kosten des Verfs gedruckt worden.

Zum Drucke fertig ausgearbeitete Manuscripte sind:

1) Propyläen der Musik, oder Versuch einer kritischen Theorie der Musik, der Ton-Systeme, der Alten und Neuen, und deren Noten-Schrift. 4.
2) Eine Sammlung von eigenen und bearbeiteten Akustischen Abhandlungen.
3) Ganz neue Methode, aus bekannten Kurven andere und neue zu erfinden und die erforderlichen Rektifikationen, Quadraturen und Kubaturen (von mannigfaltig hohl-ein-, und erhaben aus-gekrümmten Konoiden und Sphäroiden) dieser wie jener Kurven kurz und scharf zu bestimmen. Gegründet auf die wahre Basis der höhern Analysis. Mit 2 Kupfertafeln. 4.

Der zweyte oder praktische Theil der Teliosadik oder die praktischen Rechnungen nach dem vollkommenen Maaſs- und Gewichts-Systeme und nach den gebräuchlichen.
4) Begonnen ist in der Ausarbeitung ein vollständiges Lehrbuch der Kurvimetrie, mit vielen Reihen ganz neuer Kurven auſser den bekannten.

Ioannes Christianvs Fridericvs Koerner,
Philosophiae Doctor.

Natus est Vimariae a. 1778, ubi pater negotium pistorium exercebat: cui quum et filius destinatus esset, vicit tamen inexpugnabile studium res mathematicas cognoscendi. Quam ob rem Gymnasium illustre Vimariense adiit, quo ad illam scientiam pararetur. Ex hoc studio enata est sollertia quaedam et habilitas in rebus mechanicis. Nam quum esse animadvertisset, qui fabricatione instrumentorum mathematicorum utiliter occupentur, in animum induxit eidem se negotio dare. Quod ut perficeret, munificentia serenissimi Ducis Vimariensis eum adiuvit. Itaque Ienam se contulit, ubi Voigtii, Fischeri et Göttlingii scholas adiit: dein absoluto cursu academico, per octo annos itinera fecit. Anno 1817 iussu Magni Ducis serenissimi sedem fortunarum transtulit Ienam, Mechanici aulici Magniducalis titulo ornatus. A. 1818 Doctor creatus, Geometriam practicam docere instituit. Quae scripsit, actis diurnis (Iournalen) inserta sunt. Nam libris conficiendis tempus non suppetere fatetur, quippe quod in opera mechanica maiore cum utilitate et quaestu collocetur.

FERDINANDVS WACHTER,
Philosophiae Doctor.

Ferdinando Augusto Wachtero, causarum patrono, Renthendorfii dioeceseos Neostadiensis 10 Iul. 1794 natus, a. 1807 scholae cathedrali Numburgensi traditus et anni 1816 vere Academiae Ienensis civitatem nactus, quum per tres annos, et quod excurrit, iuris, historiae et philosophiae studiis operam dedisset, libro sub hoc titulo: Num, de quo aliis persuasum fuit, Burchardi, ecclesiae Wormatiensis episcopi, decretorum liber XIX mores Germanorum seculi decimi et undecimi doceat, perquisivit e. c., scripto, Doctoris philosophiae honoribus ornatus, dissertationem inauguralem philosophicam de eo quid Sigifridus cornea cute Nibelungorum thesauro et tarencappa decoratus sibi velit e. c. Ienae, typ. Schreib. et soc., ut scholarum habendarum veniam impetraret, d. 6 Maii a. 1820 publice defendit.

Libros lingua vernacula edidit ita inscriptos:

1) Die Unanwendbarkeit des Hexameters und der ihm verwandten Versarten in der Deutschen Sprache, entwickelt etc. Iena 1820. 8.
2) Otfried und Repgau, ein scherzhafternstes Gemälde, wissenschaftlicher Zweck, Belehrung über das Wesen, die Hülfsmittel und die Nothwendigkeit volksmäfsiger Bildung. etc. Neustadt 1821. 8.
3) Brunhild, ein Trauerspiel in fünf Aufzügen etc. Iena 1821. 8.
4) Die Liebesrasenden und der Brudermord, Lustspiele etc. Iena 1821. 8.

CAROLVS HERMANNVS SCHEIDLER,
Philosophiae Doctor et Artium Magister.

Natus Gothae anno 1795, patre Ioan. David. Scheidlero et matre Sophia e gente Preyssingia. Postquam inde a pueris a doctoribus privatis institutus erat, anno 1805 illustre, quod Gothae floret, Gymnasium adiit, ibique Doeringii, Schulzii, Kriesii aliorumque institutionibus usus, usque ad annum 1813 in eo commoratus est. At memorabili illo anno, quo felici eventu de libertate Germaniae decertatum est, edictum publicum Ducis serenissimi Gothani, quo omnes, qui voluntarii rudimenta ponere vellent, evocabantur, sequutus, cum exercitu magnis itineribus ad Belgas contendit, ubi agmini, cui se iunxerat, munus deferebatur Malobodium (Maubeuge) obsidendi. Post felicissimum totius belli exitum, Lutetiis Parisiorum

expugnatis, cum commilitonibus in patriam reversus, mense Iunio a. 1814 Ienam petivit, cuius civibus ab magnifico Prorectore, Voigtio, adscriptus est. Ibi per duos annos tam mathematicis et historicis quam iuridicis disciplinis addictus, Ludenii, Munchovii, Seidenstickeri et Gensleri aliorumque praelectionibus interfuit. Anno 1816 Berolinum profectus est, ubi per annum integrum scholas iuridicas et philologicas Savignii, Eichhorni, Wolfii aliorumque frequentavit. Ienam anno 1817 reversus usque ad annum 1818 audivit Martinii, Schweitzeri, Schnauberti iuridicas praelectiones, et a. 1818 mense Dec., examine prospere superato, munus ei Auscultatoris apud summum provinciae Borussorum Saxoniae iudicium, cui nomen est Oberlandsgericht, Numburgi delatum est. Sed litterarum et praecipue philosophiae studii amore flagrans, hieme anni 1820 iterum Ienam petivit, ubi, postquam commentationem de morte voluntaria Philosophorum Ordinis censurae subiecerat, summos philosophiae honores suscepit. Inde mense Iun. per rescriptum Principum serenissimorum Nutritorum in numerum Academiae Doctorum privatim docentium receptus, ex hoc tempore praelectiones philosophicas instituit.

GODOFREDVS GVILIELMVS OSANN,
Philosophiae Doctor et Artium Magister.

Ego Vimariae natus sum die Octobris 1798 parentibus Henrico Gottlobo Osann, a consilio Principis et Amalia Hufelandia. Vimariae frequentavi scholam publicam, cuius studiis rite peractis, Vimaria relicta, Berolinum tendi, ut in hac Vniversitate litteris operam darem. Iam a puero naturae scientia me delectavit: cuius amor tantum aberat, ut succedente tempore decresceret, ut magis magisque augeretur. Nec quicquam obstitit, quo minus his studiis amplius exercerer. Quare Berolini ad chemiam, quam partem naturae scientiae imprimis colebam, me totum applicui, iis adscriptus, qui duce Schradero, celeberrimo Berolini pharmacopola, institutionibus practicis et theoreticis in chemia exercerentur. Neque tamen his unis studiis ita occupabar, quin praelectionibus in Vniversitate litterarum interessem virorum clarissimorum Linkii, Hermbstadii, Ermanni, Fischeri etc. Anno et dimidio praeterlapso Ienam profectus in stoechiometria et mathesi erudiebar doctoribus Doebereinero et Munchovio. Postea studiis vacavi Erfordi et Erlangae. Ienam redux factus, finitis studiis, gradum Doctoris philosophiae anno 1819 accepi. Post

hac iterum Erlangam reversus, consensu Facultatis philosophicae chemiam theoreticam et experimentalem, et stoechiometriam et physices disciplinam ibi per annum et dimidium docui. Erlanga relicta mense Martio huius anni Ienam me contuli, ut ibidem scholas haberem, acceptaque a serenissimis academiae Nutritoribus docendi venia, consensu amplissimi Philosophorum Ordinis dissertationem de natura affinitatis chemicae publice defendi die 12 Sept. 1821.

FRIDERICVS GVILIELMVS LVDOVICVS WAHL,
Philosophiae Doctor et Artium Magister.

Natus Vimariae a. 1795, patre Io. Georg. Antonio, Consiliario in consilio supremo ecclesiastico et Archidiacono ad aedem St. Pauli; matre Guilielmina e gente Gruneria, utrisque adhuc in vivis versantibus. Primis pueritiae annis privatim institutus, undecimo anno Gymnasium Vimariense frequentare coepi, ubi tertiae classi civis adscriptus, imprimis Stibritium Subconrectorem, praeceptorem nactus sum. Qui quum eo ipso tempore antiquos geometras, et in iis praecipue Euclidem, studiose tractaret, atque iam antea primum Euclideorum elementorum librum Germanice redditum una cum Graeco textu edidisset, periculum facere voluit, num Graece discentibus simul elementa geometriae explicari, eaque ratione linguae Graecae rudimenta cum mathematicae regulis coniungi possent. Ad hunc finem tum in schola, tum privatim, nobis lectiones graeco-mathematicas habuit; quae etsi, quod ad linguam, minus laetos fructus tulerint, hoc tamen demonstrabant, puerili quoque ingenio studium Euclidis recludi posse. Omninoque mihi confitendum est, illis lectionibus amorem litterarum mathematicarum mihi instillatum quasi et in pectus puerile cum prima institutione demissum esse. In secunda et prima classe, deinceps a me frequentatis, parum progressus sum in litteris mathematicis, quoniam praeceptori, artis suae peritissimo, novorum discipulorum caussa, semper ad prima elementa redeundum erat. Reliquorum illius temporis praeceptorum in me merita gratus agnosco. Studium tamen matheseos ne quiesceret, nonnulli alii viri, quorum privata institutione utebar, effecerunt. Eorum auxilio „praelectiones Vegae" (excepta infinitorum analysi) „geometriam Euclidis cum R. Simsonis commentario," „Euleri Algebram" legi, relegi; parique modo horis subsecivis in delineandis formis et regionum descriptionibus calamo excipiendis exercitatus sum.

Auctorum illorum studio allectus, iam tum consilium cepi, me totum mathematicis litteris tradendi, et in iis, dignissimis quae vel integram eamque longissimam vitam occupent, eam totam ponendi. Sic factum est, ut a. 1814 impetrata supremi consilii ecclesiastici venia, me Ienam conferrem, ubi institutioni Voigtii, viri praestantissimi deque litteris meritissimi, permultum debui. Non solum enim publicis scholis mihi utilis fuit vir egregius; sed etiam in privatis meis studiis, mathematicam spectantibus, humanissime ab eo adiutus sum et consilio et libris. Praeter eum audivi viros celeberrimos, Ludenium, Bachmannum, Münchovium aliosque, qui viri pie colendi hac occasione oblata gratias quas iis habeo summas, libenti animo accipiant. — —

Iussu patris post annum Iena relicta Gottingam profectus sum, ubi magnus studiosorum iuvenum ibi confluentium coetus efficiebat, ut etiam interiores mathematicae recessus in scholis Professorum recluderentur. Audivi igitur, ut nominatim afferam, docente Thibautio, mathematicam, quam dicunt, puram, analysin finitorum, geometriam analyticam, calculum differentialem et integralem, praetereaque plures matheseos applicatae partes. Litterae mathematicae, quantum Thibautio debeant, non minus notum est, quam quas laudes erudienda iuventute meruerit, ita ut vix sit, quod ego huic viro hac mea laude addere possim; attamen non poteram non hoc loco grati mei animi sensum manifesto declarare, et palam confiteri, neminem esse, cui plus debeam. Biennio, quo Gottingae commoratus sum, audivi praeter Thibautium etiam Schulzium, Bouterweckium, Blumenbachium, Mayerum VV. CC. aliosque plures, non sine summo meo, quod gratus profiteor, fructu.

Thibautii egregia docendi suamque scientiam tradendi ratione commotus, tum primum optavi, ut aliquando mihi contingeret opportunitas has litteras profitendi. Cuius rei mox copia facta est. Sturmius enim V. C. illo tempore instituto Tieffurthano, ubi res rustica docebatur, praefectus, me rogavit, ut litteras mathematicas ibi traderem. Hoc munere libenter suscepto, quippe quod mihi exoptatissimam orationis excolendae occasionem praeberet, ibi mathesin puram et geometriam practicam professus sum.

Haud paullo post anno 1819 rogatus a Fellenbergio, ut suis in scholis mathematicam docerem, in Helvetiam me contuli, ubi Hofwylii per unum cum dimidio annum mathematicam et physicam explicavi. Inde in patriam redux factus, quum per aliquod tempus pueros quosdam adolescentulosque in mathematicis instituissem,

tandem aestate anni superioris Ordinem Philosophorum huius Academiae, a quo iam antea, dissertatione scripta, Doctor philosophiae creatus eram, rogavi, ut mihi lectionum habendarum copiam faceret. Eaque post praelectionem, in senatu Professorum habitam, benevolentissime mihi facta est. Humanitas, qua summa eo die Ordo Philosophorum iuvenem honorare dignatus est, ut officio meo satisfacere magis magisque annitar, novo me gravissimoque incitamento impellet.

XIII.

LECTORES LINGVARVM EVROPAE CVLTIORVM.

Avgvstinvs Iosephvs Antonivs de Valenti,
Lector linguae Italicae.

Lucem adspexi d. Nov. a. 1768 Florentiae in magno Ducatu Hetrusco, ubi pater meus, Iosephus de Valenti, legatus erat militum Magniducalium. Avus, Franciscus, cui oppidum Grofetto dictum tuendum erat traditum, amore erga matrem meam, natione Germanam, quae cupidine patriam suosque revisendi flagrabat, commotus, patrem in itinere comitatus est: in quo quum Gotham venisset, per Wiedeburgum, Professorem Ienensem, tum temporis ibi commorantem, munus Lectoris linguae Italicae in Academia Ienensi ei oblatum est a. 1773, quod et ipsum, matre adhortante, 1774 susceptum usque ad d. 14 Aug. a. 1790 gessit, quo vita defunctus est. Ego vero, litterarum elementis in schola Ienensi oppidana imbutus, deinde doctrinae progressus, quos doctorum privatorum studio feceram, in hac litterarum sede augere studui. Ab initio Medicinae studio deditus, post mortem patris munus illius suscepi, susceptoque inde ab a. 1791 ad hoc usque tempus functus sum.

Scripta, quae in lucem emisi, haec sunt:

1) Italienisches Lehr- und Lesebuch zum Selbstunterricht. Leipzig.
2) Anleitung zur wahren Italienischen Toskanischen Aussprache. Iena 1819.
3) Uebungen zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Italienische. Leipzig.
4) Prosaisch-Poetisch-Italienische Blumenlese. Leipzig.

5) Die Fortsetzung der Sublime Scuola Italiana. 16 Bände. Berlin.
6) Kaufmännischer Briefsteller. Nürnberg.

His scriptis mox accedet meis impensis in lucem proditurus liber:

7) Petrarka's, Tasso's und Ariosto's Geist; oder Bruchstücke verschiedener ihrer kräftigsten gelungensten Stellen und Dichtungen, nebst deutscher metrischer Uebersetzung und Anmerkungen, als Chrestomathie für höhere und niedere Schulen.

LVDOVICVS DAN. LAVES,
Prof. Vimar. et Lector Linguae Gallicae.

Je suis né à Périgueux le 24 Sept. 1772. Après avoir fait mes premières études au collège de Périgueux, où mon père étoit premier président, je me rendis à l'université de Toulouse pour y étudier les belles-lettres. La mort m'ayant enlevé mon père, je reçus au bout de 9 mois l'ordre de mon oncle, colonel du régiment de Turenne, de venir à Valogne et j'entrai dans ce régiment en qualité de Lieutenant. Forcé de quitter la France en 91 par suite des horreurs de la révolution, je passai en Italie, où je restai près d'un an, et au commencement de 92 j'arrivai à Coblence; je fis la campagne sous les ordres du roi actuel de France, et après le licenciement je voyageai deux ans en Hollande et en Allemagne; en 96 le général de Blücher, qui commandoit une armée d'observation sur les frontières de Hollande, me chargea de sa correspondance françoise; en 1800 je fus nommé lecteur de langue françoise à l'université de Douisbourg, que je quittai en 1801 pour venir occuper à Weimar la place de professeur de langue françoise, dont, S. A. R. Monseigneur le Grand Duc m'avoit honoré à sa cour; et depuis 1816 j'ai l'honneur d'être agrégé à l'illustre académie de Iéna.

Les livres que j'ai publiés sont:

1) Neue Französische Sprachlehre zum practischen Unterricht in Frage und Antwort gestellt, in welcher alle Regeln auf die einfachste und deutlichste Art und mit deutschen auf jede Regel angewandten Uebungsstücken versehen sind. 4. Auflage. Iena 1822.
2) Parallèle des langues allemande et françoise, à l'usage des deux Nations. Iéna 1819.

XIV.

DOCTORES ARTIVM LIBERALIVM.

AVGVSTVS GODOFREDVS LVDOVICVS SEIDLER,
Magister equitandi.

Natus Brunsvigae anno 1759 d. 9. mensis Ianuarii, ubi pater Professor collegii Carolini et educator filiorum Ducis fuit, et anno 1761 instructor primus Principum et consiliarius in consistorio supremo ecclesiastico Vimariam vocatus est. Anno 1772 discipulus equos domandi cupidus receptus, et patre defuncto, anno 1778 in alios hippodromos missus sum: tres annos Coburgi, unum et octo menses Gottingae degi. Redux factus, locum domitoris equorum ducalis et anno 1784 magistri hippodromi Ienensis accepi, quem adhuc ita teneo, ut quotidie sex horas ad equos tractandos constituam. Quae scholae meae frequentantur, praesertim quum maxima pars illustrium Professorum artem equitandi didicerint et adhuc discant.

Vsque ad a. 1806 censuras feci de libris ad rem equitariam pertinentibus in ephemeridibus Ienensibus: prodiit etiam scripta a me dissertatio de arte, equorum ungulas soleis ferreis clavorum ope impingendis calceandi in: Dr. Kollenbuschs Rathgeber für alle Stände im ersten Stück. 1799.

CAROLVS FRIDERICVS BAVER,
Artis armorum tractandorum Magister,

Natus Ienae a. 1778, doctorem in arte palaestrica, secundum praecepta Kreutzlica tradita, habui Centurionem de Brinken Curonum, cui senescenti a. 1805 adiunctus, mortuo autem successor publica auctoritate constitutus sum.

IOANNES CHRISTOPHORVS HESS,
Artis saltandi magister.

Natus sum anno 1765 d. 23 Septembris Vimariae; A. 1773 Dresdae a viro nobili Redezio, artis saltatoriae in aula magistro, in disciplinam receptus. a. 1776

eius vicarius artem ſaltandi per unum annum docui. A. 1767 in Franco-Galliam, ut artem ſaltandi Franco-Gallicam penitus cognoſcerem, profectus, annum ibi integrum egi. Anno poſt locum magiſtri in hac arte obtinui in ſchola quae floret Roſslebiae; anno denique 1780 magiſter artis ſaltatoriae in hac Academia creatus ſum, in qua nunc quidem per unum et quadraginta annos hanc artem praeeo diſcere cupientibus,

---

Christianus Gotthilf Immanuel Oehme,
Picturae linearis magiſter.

Natus Numburgi anno 1759, patrem, exactorem vectigalium publicorum et decempedatorem, mature amiſi. Quattuor annos natus Vimariam veni, ubi prima elementa artis delineandi me docuit Heinſius et poſtea Krauſius. Tum locum hypodidaſcali artis delineandi Vimariae accepi, et anno 1785 Ienam vocatus ſum, ubi nunc per ſex et triginta annos munere magiſtri delineandi academici fungor. Sumptu meo parvam inſtitui ſcholam, publiceque et privatim artem, corpora vel graphide delineandi, vel penicillo imitandi, doceo.

Proſpectus quos dicunt nonnullos amoeniſſimae regionis Ienenſis ad naturam delineavi, et vi aquae radentis impreſſi in modum Aberli; etiam imagines ope picturae oleariae conficio.

Ioannes Henricus Samuel Domaratius,
Muſices magiſter.

Natus ſum Ienae, d. 3 Aprilis, anno 1758, parentibus honeſtiſſimis, patre Ioanne Samuele Domaratio, Hühnera ex Sileſia Boruſſica oriundo, poſthac cive Ienenſi, matre Maria Sophia Häberliana, Ienenſi, quibus educationem iuventuti Chriſtianae idoneam eamque ſolertiſſimam grata mente in acceptis refero.

Quam primum per aetatem licuit, ſcholam civitatis frequentavi, privatim vero tum in lingua Franco-Gallica tum in muſica aſſiduo inſtruebar; ſatis eruditus in hac ſchola, Gymnaſium Vimarienſe adii, in quo non ſine fructu commoratus, ad Academiam Ienenſem tranſii, curſumque in ſtudio iuris rite abſolvi. Quo finito, ad vitam ſuſtentandam praeceptoris munus apud Excell. Comitem Solms-Tecklenburg

in Silesia suscepi, cuius filios tum ceteras artes, tum maxime musicam docui. Ne autem studium iuris oblitteraretur ac plene negligeretur, in locis iudicii Klitschdorfii et Teufelswehrae, partim in Borussica, partim in Saxonica ditione sitis, vices exceptoris sacramento obstricti, quem vulgo Actuarium dicimus, obii. Triennio elapso duplex hoc munus, petito et accepto vitae ac morum testimonio, quod in hunc usque diem ut monumentum perhonorificum conservo, finivi, et domui Solmsianae et Silesicae provinciae valedixi, patriam repetiturus, ut ibi, praevio tentamine et examine, numero caussidicorum aggregarer. Verum spes mea me vehementer fefellit. Nam ipso illo tempore mandatum Principis fuerat latum, nec tamen promulgatum, itaque mihi plane ignotum, quod candidatorum quemdam admitti ad examen vetabat, donec nimia caussidicorum copia ad iustum numerum fuisset imminuta. Quamobrem sors mihi cecidit post reditum in patriam satis tristis, sed communis tamen illa cum nonnullis aliis. Et quoniam mihi in re domestica curta erat suppellex, et ob penuriam hereditatis ad vitam sustentandam aes deerat, coactus sum scholis privatis in arte musica victum quaerere. Paullo post Director symphoniae academicae vocatus, a. 1795 organoedus in utraque aede sacra tum S. Michaelis in civitate, tum academica factus, tandem a. 1806 per decretum Principis magister Symphoniacorum Ducalis creatus sum. Hac ratione per decursum annorum quadraginta quattuor concentum Symphoniarum partim adiuvando, partim dirigendo promovi, munusque Magistri musices academici sum adeptus sine ulla tamen mercede ac lucro.

Ioannes Christianus Gvilielmvs Richter,
Musices magister.

Natus Leulitii prope Wurzenam d. 21 April. 1760, artem musicam Wurcenae a Lyhrio per sex annos integros didici; deinde artem hanc divinam inter musicos aulicos Ill. Comitis de Kahlenberg non minus, quam Ill. Comitis Mauritii de Brühl, magis excolui, et anno 1787 Ienam perveni, ubi inde ab hoc tempore operam meam iis dicavi, qui artem fidibus, vel cornu, vel tibiis canendi addiscere, vel in ea maiores facere progressus velint.

Ludovicus Hess,
Chalcographus.

Natus d. 8. Ian. 1776 Leucopetrae in Saxonia, puer quattuor fere annorum Ienam veni, quo pater, Io. Christoph Hess, ut artem saltandi in Academia doceret, vocatus erat. Matris dilectissimae praematura morte optimam aetatis puerilis curatricem mihi ereptam lugebam. Inclinabat animus mature ad litteras et artes liberales, sed quod in votis erat, ut ad litterarum studium animum applicarem, per iniquitatem temporis exsequi non potui. Ex patris voluntate typographiam invitus quidem, sed ita didici, ut typotheta in omni scripturarum genere versatus, optimi cuiusque favorem consequerer, eamque artem Ienae, Lipsiae, Brunsvici per complures annos diligenter exercerem.

Interim artem in ligno exscalpendi addidici, varioque usu ita tractavi, ut occasione postmodum oblata, huius artis specimina aliquot in publicum proferrem, quorum admodum paucis nomen subscriptum est.

A. 1804 consilium cepi, typographia relicta, artis studio totum me dicandi. Res prospere successit. In arte delineandi et pingendi clar. Oehme, magistrum delineandi in Academia Ienensi, ducem habui. Deinde Illustr. Bertuchio auctore Vimariae ad chalcographiam inprimis me applicui. Hac in urbe, omnium artium florentissima, eo libentius sedem fixi, quum exoptata mihi occasio offerretur, scholas ichnographicas, quas tum temporis Ill. Krausius publice moderabatur, frequentandi.

Ill. Krausio aliquanto post mortuo in Directorio successit Ill. Meyer, Vir humanissimus artisque peritissimus, qui liberalissimis Superiorum auspiciis Academiam artium Vimariae sic instituit, ut artis studiosi, ipso duce, quotidianis horis ad opera gypsea delineando et pingendo ingenium ac vires exercerent atque probarent. Eius tum discipulis etiam ego adscriptus, aliquot post annis praemio condecoratus sum. Multum etiam profuit consuetudo cum duobus artificibus, qui tum temporis Vimariae commorabantur, quorum consilio adiutus non solum faciliorem caeli et scalpelli usum, sed variam quoque chalcographiae tractandae rationem cognoscebam, eoque mox perveni, ut quae opera vel ab Ill. Bertuchio, vel a bibliopolis mihi committebantur, et suscipere et perficere possem.

A. 1811 ut affinis mei, Geo. Theophili Güldenapfelii, V. Cl., Phil. Prof., consuetudine uti possem, Ienam reversus sum, ubi A. 1813 ab Ill. Academiae Senatu,

specimine artis proposito, veniam impetravi, artem chalcographicam publica auctoritate docendi.

Praeter multas tabulas geographicas, quarum nonnullae clar. Stieleri Atlanti geographico insertae sunt, sex Prospectus regionum et aedificiorum memorabilium in Graecia, quae studiorum meorum primitiae in clar. Ukerti Almanacho 1808 apparuerunt; tum effigies nonnullorum virorum vel á me ipso vel ab aliis delineatas; deinde Prospectus aliquot regionum ad Rhenum sitarum, quos clar. Roux delineavit et in collectione sua edidit, et alia aeri incidi. Locorum denique Ienensium situs ad naturam delineavi, aerique sic insculpsi, ut folia memoriae amicorum dicari possent: quae folia tam benignos emptores habuerunt, ut eorum numerum ad 36 augerem.

Fridericus Ludovicus Schmidt,

Magister artis mechanicae.

Natus Stettini a. 1772 mense Septembri, iam anno quarto aetatis una beato cum patre meo, Christophoro Schmidtio, Mechanico aulico, Ienam petii. Quo duce mature amor in litteras mathematicas in me excitatus, exemploque b. Wideburgii nutritus, imprimis operam dedi tornando et designando, artemque mathematicam auspiciis patris mei continuavi, ipsumque metiendis geometricis aliisque practicis laboribus occupatum sublevavi. In arte delineandi Oehmio sum usus magistro; initia artis arithmeticae a Fischero, militarem vero a Gerstenbergkio, utroque tum Prof. Ienensi, didici, denique scholis de mathesi pura et applicata, nec non physicis, Perill. Voigtii interfui, cui plurimum me debere profiteor. Is enim non modo copiam fecit eruditissimarum lectionum, quas anno 1792 et 1793 frequentavi, sed etiam domi me multa docuit, quibus hoc consequutus sum, ut ad usum matheseos nova multa instrumenta machinasque conficerem, quibus deinde, aliis opibus destitutus, victum mihi ipse comparavi. Post mortem patris mei anno 1811 venia mihi data est in publico scholarum academicarum indice nomen meum profitendi inter doctores privatos, meamque operam offerendi iis, qui vel aedificia et molas typis imitari, vel in omnium generum machinis construendis, vel instrumentis oeconomicis et chirurgicis faciendis se instituí, item toreuticen, artem vitrum tornandi et instruendi electrici apparatus discere velint.

ADDENDVM.

P. 47. num. 11. Scriptum Bachmanni nunc ipsum prodiit hoc titulo: Von der Verwandtschaft der Physik und Psychologie. Eine von der Societät der Künste und Wissenschaften für die Provinz Utrecht herausgegebene Preisschrift. Utrecht 1821.

PARS SECVNDA

CONTINENS

NARRATIONEM DE INSTAVRATIONE ACADEMIAE

ET

COMMENTARIOS

RERVM ANNO MDCCCXXI IN EA GESTARVM

VNA CVM

MONVMENTORVM PVBLICORVM

COROLLARIO.

Prospere evenit, ut, quorum vitas in prima huius operis parte proposuimus, eorum longe plurimi recreatam hanc Academiam et novis bonis ornatam cumulatamque viderent. Nova bona dum dicimus, revocatur animus ad iucundam illius temporis memoriam, quo, decreta ab Senatu propter pueri principalis natales supplicatione, de iis quae tunc erant, Academiae Ienensis bonis in concione peroravimus [1]). Quintum iam lustrum conditur, ex quo solemnia ista peracta sunt: quod interiectum fuit tempus, inter laeta multa et tristia nobis effluxit. Tristium recordationem Deus volens propitius obruet, et querelae de iis, ne tum quidem, ut Livii verbis utamur, gratae futurae, quum forsitan et necessariae erunt, ab huius certe operis argumento absint: in laetis autem illud primo loco numeramus, quod post tam breve tempus nova nobis de novis Academiae bonis dicendi opportunitas data est. Quae qualia sint, unde venerint, quid vel ad utilitatem et famam publicam, vel ad privata singulorum commoda valuerint (quamquam utraque res in Academiis bene constitutis quam maxime coniuncta est), in hoc partis secundae exordio deinceps narrabimus.

I.

Sapienti consilio factum est, ut, quo anno instauratae a Martino Luthero doctrinae Evangelicae solemnia saecularia tertia universam propemodum Europam re-

1) Haec Oratio *de bonis Academiae Ienensis* adiecta est dissertationi nostrae *de imaginibus Romanorum*, quae prodiit Petropoli 1806. 4.

ligione tenerent, eodem anno Vniversitas litterarum Ienensis instauraretur. Quae quum et originem suam debeat sacrorum emendationi, et in ea iuvanda tuendaque summam semper virtutem ac laudem posuerit, illo ipso tempore, quo sacra ista parabantur, non potuit non oculos in se animosque convertere omnium, qui, quid deceret principem, exstincta Vitebergensi, Vniversitatem Protestantium, Lutheri disciplinam sequentium [2]), vel mente perpenderent, vel quodam quasi naturali sensu iudicarent. Quamobrem isto tamquam monitu temporis excitati Principes, ad quos Academiae imperium et tutela a magnis illis libertatis Evangelicae defensoribus hereditario gentis iure transiisset, nihil prius aut antiquius habuerunt, quam ut de emendanda eius constitutione et disciplina, de bonis redintegrandis, de augendis opibus consilia inirent. Haec nimirum communis rerum humanarum conditio est, ut etiam quae egregie designata, coepta, instituta fuerunt, aut temporum vitio corrumpantur, aut vetustate sua consenescant et ruant: quae, si non everti funditus exscindique, dum stare possint, fulciri tamen ut ruinosa sancirique oportet. Qua quidem in re serenissimi Principes nostri tantam mentis perspicacitatem, tantam animi excelsitatem et verbis [3]) et factis declaraverunt, ut facile appareat, eos non tantum vidisse, quid tempora poscerent, verum etiam procurare voluisse, et, quantum ipsi facere enitique possent, ad eventum perduxisse. Quod qua ratione effecerint, quum alio libro [4]) satis a nobis expositum sit, ex illo nunc sic repetemus, ut et quae forte illic omisimus, hoc loco adiiciamus, et quae scripsimus, testimoniis omnia monumentisque firmemus, quo maior narrationi nostrae fides non modo apud exteros,

---

2) Nam his limitibus circumscribendum est nomen *primae* Protestantium Vniversitatis, quod nostrae a scriptoribus fere tribuitur. Etenim Vniversitas litterarum Marburgensis, a Philippo, Landgravio Hassorum, condita a. 1527, privilegia (sic enim hodie vocantur iura et immunitates litteris publicis consignatae) accepit ab Imperatore Carolo V a. 1541; Ienensis viginti annis post conditam a. 1548 inaugurata, superatis tandem innumerabilibus difficultatibus, iura et privilegia ab Imperatore Ferdinando I a. 1557 mense Augusto impetravit.

3) Illa ipsa verba, magnum profecto et generosum pectus spirantia, ex litteris Principum, de instauranda Academia d. 6 Maii et 28 April a. 1817 ad Senatum missis, repetita sunt in Corollario huius partis no. I et II. Eaedemque litterae fidem faciunt ceteris, quae de ipsa instauratione deinceps tradidimus.

4) In commentatione *de Principum Saxonicorum Ernestinae prosapiae in religionem, ecclesiam, litteras meritis*, qua sacra saecularia instauratae a Martino Luthero doctrinae Evangelicae, Academiae auctoritate indiximus, Ienae a. 1817. 4. p. 20 sqq.

sed, si fas est academicis annalibus diuturnitatem ominari, etiam apud posteros concilietur.

II.

Ordimur ab eo, quod maximum est in civitatibus, ab ipsa summi imperii procuratione. Nam inde ab anno 1702 sic constituta fuit Academia Ienensis, ut communi quattuor Saxoniae Ducum, Vimariensis, Gothani, Meiningensis atque Coburgensis, imperio gubernaretur 5). Quae communitas tum ad rerum publicarum administrationem et tutelam, tum ad sumptus pertinuit, quos pro rata quisque portione ita insumebant, ut et Meiningensium et Coburgensium serenissimi Principes, quamquam locorum intervallis ab civitate nostra remotiores, tamen rebus academicis adessent, impensasque in eas facerent, non solum necessarias, verum etiam liberales. Quam quidem optimorum Principum erga Academiam voluntatem si hoc loco silentio praeterirem, quo primum eos ac fortasse ultimum annales nostri commemorant, propter tot tamque exquisita benevolentiae documenta, quibus ego quoque ornatum me ab illis profiteor, non solum ingratus, quod ipsum grave est, sed etiam impius merito appellarer. Quamquam vero τετραρχία illa tanta fuit et legum salubritate et Principum humanitate temperata, ut Academia ne sentiret quidem, plures sibi dominos praeesse, et summa nobis non verbis, sed re libertas concederetur: eadem tamen propter longinquitatem locorum, ex quibus litterae ad Principes mittendae, responsa et rescripta ab iis exspectanda erant, subinde effecit, ut, ubi facto maturatoque esset opus, res academicae retardari morisque impediri viderentur. Neque enim ratum habuere Patres, nisi in quo consentire quattuor Principes suos ex ipsorum litteris cognovissent. Eamque consensionem, tamquam vindicem libertatis academicae, exspectare etiam iubebant edicta eorum, qui primi rescripsissent. Quo factum est, ut qui exclusam omnem in dominando atque imperando impotentiam vehementer laetarentur, iidem tamen in exsequendis rebus se differri interdum dolerent. Non tulit haec qualiacumque impedimenta spectata in Principibus illis animi magnitudo et ingenita naturae virtus. Itaque patriam et avitam possessionem saluti publicae anteponendam rati, ab isto sese imperio abdicave-

5) Qui antea partem imperii habuerat, Princeps Hildburghusanus, eam facta pactione, quae vulgo dicitur *Liberationsrecess*, d. 10 April. a. 1702 ad Principem Gothanum transtulit.

runt, retento tamen, quod faustum profecto Academiae omen est, Academiae Nutritorum nomine, servatoque posteris suis iure, si qui illorum pristinam instaurare necessitudinem, et Academiae gubernacula iterum capessere voluerint.

Est quidam pervulgatus Ciceronis de auguribus in hanc sententiam locus: Quid magnificentius, quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? Ego vero ita iudico, longe et magnificentius ad gloriam, et amplius uberiusque esse ad publicam utilitatem, non compulsum, non iussum, non coactum, sed sua sponte, et sola bene merendi voluntate ductum, magistratum atque imperium deponere, et aequo animo sibi deesse, quo aliis consulatur. Quamobrem ex discessu talium Principum non triste capiamus augurium, sed potius Deum immortalem precemur, ut, dum nobis favet, idem faveat rebus illorum, quorum alterum haec Academia constantissimum benevolentissimumque semper patronum habuit, alterum, velut laeta et superbiens gloriosa subole mater, suomet ipsa sinu fovit, utrumque nos, pietate commoti, venerari, diligere, nostrum appellare numquam desinemus.

III.

Iam qui soli nunc sunt rerum nostrarum moderatores, et quos Altores Musae nostrae faustissima acclamatione salutant, Principes serenissimi, Carolus Augustus, Magnus Dux Saxoniae Vimariensis et Isenacensis, idemque Rector Academiae Ienensis Magnificentissimus, et Augustus, Dux Saxoniae Gothanae et Altenburgicae, quum nuper ad instaurandam hanc litterarum sedem animos appulissent, primum in eo convenerunt, ut idoneos deligerent viros, qui cognitis Academiae difficultatibus, qua arte succurrendum iis esset, quo modo opitulandum, praesentes absentesque et secum et cum Patribus consiliarentur, captaque deinde consilia referrent ad eos, qui exsequi possent. Delecti sunt duumviri, magna in civitatibus suis dignitate pollentes, *Carolus Fridericus Antonius Conta*, Vimariensis, et *Carolus Ernestus Adolphus de Hoff*, Gothanus: quorum uterque haud exiguis in patriam suam meritis, hic etiam scriptorum praestantia in republica litteraria inclaruit. Dicam, quod sentio. Ita nobiscum egerunt viri optimi, tam benevole res nostras curarunt, et tanta nobis tamque velut domestica necessitudine coniuncti sunt, ut, quamquam nunc per temporum vicissitudines illorum consuetudine careamus, tamen memoriam grata mente servemus, neque ulla umquam tam eximiae benevolentiae laudes obscuratura sit oblivio.

IV.

His duumviris, quum Principes serenissimi cum Commissariorum nomine omnem rerum nostrarum provisionem institutionemque commisissent, primam et praecipuam curam in eo posuerunt, ut Academiam, adhuc gloria magis quam opibus praestantem, auctiorem ditioremque redderent tum novis reditibus, tum doctrinarum artiumque scholis et institutis. De utrisque singulatim explicandum est.

V.

Fuerunt olim, qui litteratis hominibus auream mediocritatem sensu non Socratico vel Horatiano, sed aliquanto deteriore, unice commendarent, et beatam vitam, secus atque philosophis olim placuisset [6], etiamsi ex multo maiore parte clauderet, tamen in Academiis ex aliqua parte obtinere nomen suum posse arbitrarentur. Quorum sententia si vera esset, aut si etiam probabilis umquam fuisset, aut vero si esse posset, non esset profecto nisi in iis civitatibus, quae eamdem mediocritatis legem ceteris ordinibus, etiam illitteratorum, praescriberent, omnemque de beatiore vita, quam aliae civitates doctis afferunt, rumorem ac famam procul arcerent. Nunc autem, ex quo Principes coeperunt litteris impensius favere, etiam litteratis ita providendum censuerunt, ut reliquis civium ordinibus non nimis postponerentur. Quam rationem nostri quidem Principes tanto magis sequuti sunt, quanto maior illorum (quod cum superbia scribimus) non modo amor verum etiam scientia litterarum est. Itaque reditus Academiae octo millibus imperialium, quotannis ex aerario erogandis, munificentissime auxerunt. Quo factum est, ut fixa, quae vulgo dicuntur, salaria annua ex Principum rescriptis [7] constituerentur haec: theologiae Professori primario sexcenti thaleri, ceteris duobus in ordine venerabili Professoribus ordinariis in quemque cuique annum quingenti et quinquaginta; ordinis iuridici Ordinario sexcenti, reliquis omnibus in Iurisconsultorum, Medicorum ac Philosophorum ordine Professoribus, qui nunc sunt numero unus et viginti, quingenti viritim imperiales. Praeter haec aliis integra servata sunt salarii extraordinaria additamenta, quae olim vocati ad exteros, sed in fide ac statione Ienensi manentes, vel pacti vel praemii loco acceperant; aliis etiam nova data.

---

6) Cfr. Cic. Tuscul. V, 8.

7) Cfr. Corollarium No. III.

Nec Professoribus aut honorariis, quales apud nos vocantur ii, qui, quum non sint in quaternis Academiae ordinibus, tamen honoris caussa ordinarii appellantur, aut extraordinariis, qui proprie dicuntur, defuerunt beneficia pensionis annuae ad vitam academicam vel sustentandam vel exhilarandam. Quae res quamvis ad singulos propria spectet, tamen non exiguam habet vim ad florem prosperitatemque universorum. Negate enim, si qui estis, qui secus sentiatis, ac Professores vix mercenariis aequiparetis, negate veteranis doctoribus, quae ipsorum meritis praemia debentur; circumcidite promissa, amputate concessa; carpite ac detrahite aetate ac labore confectis iustam pristini studii pristinaeque fidei remunerationem; novorum operae nullos subiicite stimulos; pascite utrosque ac saturate longinqua spe melioris fortunae et conditionis: num aut florere poterit Academia studio et celebritate doctorum, aut, si quando floruerit, num veterem statum, incolumitatem, gloriam tuebitur? Verissimum illud est, quod Munchhusius, magnum illud Academiae Georgiae Augustae praesidium ac decus, dicere solebat. Ad Musas vel invitandas in novas sedes, vel in antiquis sacrariis suis retinendas, ad ornandas extollendasque in maius Academias, nil valent leges, nil possunt praescripta, omnium autem vanissimae irae minaeque sunt: instrui Academias oportet litterarum praesidiis artiumque paratu, foveri studia magistrorum, imprimis eorum, qui apud exteros inclaruerant, excitari illorum voluntatem, incendi mentis ardorem, quo restincto, omnis illa vis et quasi flamma, quae rapit discentium animos, secundique rumoris auram ad exteros profert, paullatim exstinguitur. Id consilium quum constanter teneret Munchhusius, et ipse Georgiam Augustam ad summum fastigium gloriae evexit, et in eum ita grati piique fuerunt aequales, ita memores etiam posteri, ut eius nomen immortalitatis memoria prosequerentur. Sed exstinctores istos, quicumque aut fuerunt olim, aut posthac futuri sunt, etiamsi metu perculsi non audeant aequales nominare, at libere eloquitur, accusat, infamat posteritas.

VI.

Nec vero ad prosperam Professorum fortunam reditus soli valent, quos habent, dum vivunt; nec valet sola fiducia, quam viventes in promissorum a Principibus factorum sanctitate reponunt: illud quoque procurandum est, ut et leventur laboribus, qui non pertinent ad professoriam provinciam, et liberentur curis de familia post mortem superstite. Utrique rei apud nos egregie provisum est. Nam ut ab

eo incipiam, quod ultimum dixi, erat iam patrum et maiorum memoria Professoribus iis, qui adscripti essent quattuor ordinibus, aerarium sanctius constitutum, unde, ipsis morte exstinctis, viduae et liberi alerentur: erat idem aerarium, neque illud tenuius, Scabinis in hac civitate ordinariis, qui iidem Professores sunt: sed neutrum aut sufficere necessitatibus, aut satis certis rationibus niti videbatur. Haec caussa fuit, utrumque ut mixtum atque confusum, annuis singulorum Professorum tributis certaque pecuniae summa ex fisco academico adauctum, eum in modum instrueretur, qui viduis liberalius alendis esset accommodatus 8). Promissi nunc singulis sive viduis, seu, ubi viduae nullae superstites fuerint, familiis, dum sint impuberes, ducenti in quemque annum imperiales.

VII.

De laborum levatione quod dixi, huc potissimum spectat. Fuit quondam Senatui academico cura imposita fisci rerumque ad vectigalia, reditus, expensas, aedes villasque academicas pertinentium. Quae cura etsi patribus nostris ad libertatem et *αὐτονομίαν* reipublicae litterariae propemodum necessaria visa est, afferebat tamen permulta, quae studia Professorum vel morarentur vel impedirent, ac tempus, quod suo, hoc est, docto doctisque digno labore satis haberent exercitum, invitis saepenumero dolentibusque praeriperent. Et turbatae nonnumquam fuerant fisci rationes, non tam horum, qui praeessent, tarditate, quam illorum, qui ducerent, levitate: quas rationes ut tandem expediret, ante hos aliquot annos vir illustrissimus, Aug. Frider. Carolus L. B. de Ziegesar, carum Academiae nostrae et venerabile nomen, immensum quantum laboravit. Vnde magis magisque intellectum est, huic toti procurationi multo salutarius esse, si conferatur in unum, rebus gerendis satis idoneum virum, quam si inter plures, ingenio studiisque diversos, dispertiatur. Quamobrem cuncta impedimenta ut simul removerentur, adempta est Senatui illarum rerum omnium cura et administratio; translata ad virum perillustrem, Carolum Guilielmum Constantinum Stichlingium, Camerae Saxo-Vimariensis a consiliis sanctioribus, qui in his potissimum negotiis studiorum vitaeque genus magna cum reipublicae utilitate posuit. Huic Patres ex suo collegio adiunxerunt virum longo

8) Publicas auctoritates, hoc est, litteras Principum serenissimorum, quibus sancita haec institutio est, exhibet Corollarium No. IV.

harum rerum usu et matheseos egregia scientia pollentem, Io. Henricum Voigtium, qui cum illo conferret rationes, de gravioribus negotiis in consilium iret, denique, quotiescumque visum esset, ad Senatum referret. Quibus duumviris constitutis, reliqui iam Professores, vacui, expertes, soluti a rebus, quae nihil habent cum litteris commune, litteratisque non raro quoddam paene taedium creant, omne suum tempus maiore cum fructu et voluptate possunt in litteris collocare.

VIII.

Ad has litteras ita iam progredior, ut primum commemorem novas earum cathedras, in hac Academia nuper constitutas, dein de novis disciplinarum institutis narrem, quorum caussa partim novis Professores cathedris impositi sunt.

IX.

Coeperunt nuper Academiae nonnullae, renovato more maiorum, singulos doctores a singulis doctrinarum partibus appellare: ut v. c. in ordine Theologorum alius dicatur exegeseos, alius dogmaticae et symbolicae, alius moralis doctrinae, alius historiae ecclesiasticae Professor, eademque in ceteris doctrinis atque ordinibus ratio servetur. Quae res quum et artes ipsas, et qui eas profiterentur, nimis angustis includere et cohibere cancellis videretur, quandoquidem (ut in illo exemplo subsistam) nullus est historiae ecclesiasticae idoneus magister, nisi qui et dogmatum Christianorum rationem norit, et repetere ea tuerique ex recta librorum sacrorum interpretatione didicerit: placuit in Academia nostra ab ista patrum consuetudine discedere, neque eam retinere nisi in iis disciplinis, in quibus ut singuli separatim elaborarent, studiorum academicorum via et ratio posceret.

Ita factum est, ut in illustri Iurisconsultorum ordine, quamvis omnes et essent et dicerentur iuris Professores, nova tamen cathedra constitueretur Professori iuris publici artisque diplomaticae. Obtinuit eam vir illustris, quem nostrum laeti gratantesque vocamus, civis quondam Academiae nostrae, Fridericus Ortloffius 9), ex Gymnasio Coburgensi nobis redditus, vir accurata et eleganti doctrina probatus.

X.

Ordini Medicorum additus est novus doctor artis veterinariae, cui per Princi-

---

9) Datum est rescriptum Vimariense d. 25 Aug., Gothanum d. 3 Sept. a. 1819.

pis munificentiam etiam paratus ad eam artem necessarius et scholae aedificium contigit. Sic Academia Ienensis, quae princeps olim, WERNERI ROLFINCKII 10) arte et fama, in Germanicis propter dissectiones corporum humanorum salutis viventium tuendae caussa institutas claruit, praeter theatrum anatomicum, egregie instructum, nunc etiam scholam habet eam, per quam scientia illa, unde tota ars anatomes processit, intermissa posthac et nimis diu neglecta, maiorem ad perfectionem et utilitatem proferatur. Adscitus est ad eam scholam regundam vir clarissimus, THEOBALDVS RENNERVS 11), qui antehac eamdem doctrinam in Vniversitate litterarum Moscoviensi professus, quid sit colere suam artem, in eaque habitare, luculento exemplo demonstrat. Locum habet inter Professores extra ordinem docentes: ipsi adiunctus Prosector, qui dicitur.

XI.

Denique amplissimo ordini Philosophorum, in quem vulgaris mos Academiarum, vetustate magis quam utilitate conspicuus, plurimas gravissimasque disciplinas coniecit, et tamquam in lance satura confudit 12), ut etiam hoc sensu nomen amplitudinis tueri videatur, Philosophorum igitur ordini apud nos duae nuper novae cathedrae sunt adiectae, una Graecarum litterarum, altera artis chemicae.

XII.

Nam artibus humanitatis, quas vulgo litterarum humaniorum nomine appellant, inde ab IOANNIS STIGELII aetate, hoc est, ab ipsis Academiae incunabulis, unus fere apud Ienenses doctor praeerat, Professor eloquentiae ac poeseos: quo nomine, more olim recepto, totius doctrinae politioris et philologiae studia qui profitetur, intelligi constat 13). Ab hoc uno scholae et Graecae et Latinae totiusque explicatio antiquitatis postulabantur. Nam post LAVRENTIVM RHODOMANVM, singulare quondam rerum Ienensium decus, eumdemque primum in hac schola 14) Graecae linguae

---

10) Natus Hamburgi a. 1599, Professor medicinae, botanices, anatomes et chemiae obiit Ienae a. 1677.

11) Ex rescripto Vimar. d. 5 Sept. Gothan. d. 9 Sept. a. 1816.

12) Verbis usus sum Heynii in Praefat. Opusc. acad. I. p. X.

13) Verba Gesneri sunt in Opusculis minoribus To. I. p. 71.

14) Ienam ornavit, ex muneribus scholasticis huc evocatus, inde ab a. 1591 usque ad a. 1598: quo anno Stralsundam abiit ad Rectoratum scholae capessendum, mox Vitebergam adscitus, ubi Professor historiarum d. 10 Ian. 1606 de vita decessit.

Professorem, fuere perpauci, qui hoc nomine vocarentur; pauciores, qui essent. Et Rhodomanus, quamquam illo titulo insignis, tamen non substitit in Graecis, sed universam humanitatem, imprimisque historiam veterem, complexus est: quippe qui ex consuetudine illius aetatis, quae etiam nunc in Batavis Academiis obtinet 15), litterarum antiquarum doctrinam cum historiae disciplina copulandam existimaret, copulatamque scholis profiteretur. Quantum autem ille utraque in lingua valuerit, sive scriptores antiquos explanaret, sive Latine scriberet, sive Graeca poemata pangeret, ut alia praetermittam, Quintus Smyrnaeus ab ipso correctus Latineque redditus, Diodori Siculi interpretatio Latina, et Ilfelda Hercynica, Graecum idque perelegans carmen, satis testantur. Sed haec tanta laus non fuit diuturna Academiae, quum Rhodomani studiis, quibus parta fuerat, aemulatores deessent. Itaque Principes nostri, quae divina illorum sapientia est, litteris antiquis, quarum decus et amplitudinem par est omni ratione tueri, duas nuper in Academia sua cathedras, easque perpetuas, constituerunt. Nam eloquentiae muneri adiunxerunt litterarum Graecarum professionem, tum ad iuvandos adolescentes, qui illo tempore frequentes ex Graecia in hanc Academiam discendi caussa peregrinabantur, tum ad proferendas stabiliendasque litteras Graecas 16). Necesse est enim tandem fugam sistere linguae, quam veluti pertaesam Academiarum, vel ab iis extorrem, hodie abducunt in ludos litterarios, quorum iam vix angulus reperitur, quin vocibus puerorum, Graece garrientium, resonet. Nec certum in iis quidem domicilium prius habebit, quam veterem in Academiis locum et dignitatem recuperaverit. Ergo apud nos data est huius linguae professio, primum extraordinaria, tres post menses ordinaria eaque cum loco in ordine Philosophorum coniuncta, viro clarissimo doctissimoque, FERDINANDO HANDIO, ex Gymnasio Vimariensi Ienam traducto: in quo viro, uti speramus omnes vovemusque, mox Rhodomanianum decus Academiae revivisceт.

---

15) Eius moris rationem et vindicias, operae pretium est, cognoscere ex Io. Aug. Ernesti Opusculis oratoriis p. 294. Nostra enim aetate reperiuntur, qui in studiis academicis historiae et litterarum, hoc est, Graecae Latinaeque linguae nescio quod divortium faciant: quod quum profectum sit ab inscientia, non potest nisi aut docendi ignaviam aut perversitatem discendi procreare.

16) Vtraque enim ratio in Principum litteris affertur, illa in rescripto Vimar. d. 21 Febr. haec in Gothano d. 5 Mart. 1817. Spectant haec rescripta ad professionem extraordinariam, repetita in Corollario No. V et VI. Ordinaria professio decreta est novis rescriptis, Vimariensi eiusdem anni d. 10 Iun., Gothano d. 20 Iun.

XIII.

Iena princeps fuit inter Germaniae Academias, in qua peculiaris chemiae cathedra exsisteret, propria illa, ex aetatis illius non perverso fortassis iudicio, ordini Medicorum. Eam primus ornavit, quem supra memoravimus, WERNERVS ROLFINCKIVS, et arte sua, et instituto illo, quod Laboratorii chemici nomine in hac urbe condidit 17), longe celeberrimus. Rolfinckius permultos et discipulos habuit, et sectatores, etiam in Academia Ienensi, qui artem docendo, exercendo, scribendo illustriorem redderent: de quibus dicere hoc loco nihil attinet. Nostra aetate chemiam maximo cum aequalium studio et plausu in hac Academia docuit IO. FRIDERICVS AVGVSTVS GOETTLINGIVS, vir et doctrinae subtilitate et animi probitate spectatus in paucis, cuius etiam nunc acerbius nobis foret desiderium, ni filium reliquisset philologum, eumdem in hac litterarum schola creatum nuper doctorem, qui ad hereditariam Goettlingiani nominis laudem proprias easque eximias laudes adiungit. Sed Goettlingius pater, qui, quo tempore florebat, adolescentem magis quam adultam cernebat suam artem, in qua educanda et roboranda ipse, dum vixit, summa cum gloria elaboravit, Goettlingius igitur non chemiae, sed philosophiae Professor audiebat, neque locum habebat in ordinibus academicis, nec poterat suis sibi opibus eum paratum acquirere, quem disciplina tam varia et multiplex tantisque continuo incrementis augescens postulare videretur. Nunc, instaurata Academia, cum aliis artibus etiam haec erat instauranda, et altiorem in locum educenda, qui dignus esset huius saeculi luce, et disciplinae auctus proferret. Quod Principes nostri, suis ipsi litteris, non tantum perquam liberaliter sed etiam magna cum rei perspicientia scriptis 18), nuper testati, successorem Goettlingio IOANNEM VOLGANGVM DOEBEREINERVM chemiae et technologiae Professorem ordinarium crearunt, in Philosophorum ordinem recipi voluerunt, et ea artis materia et supellectile instruxerunt, per quam ars ipsa adiuvaretur. Eoque apparatu quo commodius ille uteretur, et quo magis arcerentur pericula, quibus obnoxia solet esse ingeniosa Chemicorum audacia, per singularem munificentiam Principis Saxo-Vimariensis, inventorum chemicorum intelligentissimi amatoris, novo doctori propriae et am-

---

17) Cfr. *Medicin. Briefwechsel* II. 7. p. 48.

18) Etiam hae litterae inter adiecta huic narrationi monumenta locum habere merito debuerunt. Repetitae sunt in Corollario No. VII et VIII.

plae in extrema urbis parte aedes obtigerunt, eaedem quibus Lutherus olim, quum Ienae degeret, inhabitaverat. Quae quidem rei felicius tractandae praesidia et adiumenta Doebereinero nostro non magis, quam Academiae talem, hoc est, tam et peritum artis et industrium et animi candore egregium doctorem gratulamur.

XIV.

Novos doctores dum enumeravimus, passim nova doctrinarum artiumque instituta commemoranda fuerunt. De his, sequitur, ut separatim dicamus. Et, sicut par est, dicemus eo ordine, quo vel condita vel reparata sunt.

Sed dicere ingredienti tanta occurrit et quasi affluit rerum varietas et copia, ut, quomodo eam complectar hac vel annalium circumscriptione, vel orationis meae infantia, non reperiam.

Nam quid referam ego de Museis, zoologico, osteologico, anatomico, mineralogico, ampliatis omnibus per Rectoris nostri magnificentissimi liberalitatem mirumque in modum locupletatis? In quibus praecipue illud, quod ultimo loco posui, a parvis initiis tantas in opes crevit et quotidie crescit, ut iam primum occupet locum, et κειμηλίων raritate, praestantia, multitudine cum pretiosissimis celebratissimisque Europae hoc in genere thesauris possit de palma contendere. Et quum fas sit his annalibus non solum praedicari sapientiam Principum, qui res tantas instituerunt, verum etiam studia doctorum, qui institutas perfecerunt: huius quidem musei, cui adiuncta est bibliotheca dives librorum, ad historiam naturae imprimisque ad mineralogiam spectantium, et auxiliatricem operam praestat, Societas mineralogica 19), tum numero tum dignitate sodalium insignis, auctor

19) Haec condita d. 8 Octobris a. 1796. Sancitae sunt leges Magni Ducis Saxoniae Vimariensis auctoritate a. 1803, qui *Prorector* illius audire dignatus est. Praesidium primus suscepit illustrissimus Comes TELEKI DE SZEK; quo mortuo, praeses creatus celsissimus Princeps DIMITRIVS DE GALLITZIN, sua immensi pretii supellectile museum liberalissime auxit: post eius obitum vir illustrissimus, IO. VOLG. DE GOETHE, Societati summa cum dignitate praeest. Scripta sodalium haec sylloge habet: *Annalen der Herzogl. Societät für die gesammte Mineralogie zu Iena*, 5 Bände Ien. 1802—1811. 8. De historia Societatis imprimis meruit venerandus *Io. Frid. Henr. Schwabius*, noster, editis his scriptis: *Historische Nachricht von der Societät für die gesammte Mineralogie zu Iena*, Ien. 1801. 8. *Fortgesetzte historische Nachricht u. s. w.* Ien. 1813. 8. *Die Steinkunde als fürstliche Lieblingswissenschaft gepriesen in einer Re-*

exstitit vir illustris, Io. Georgius Lenzius, Academiae nostrae Senior, idemque in eo ornando, augendo, digerendo, per viginti sex annos tantam alacritatem, perseverantiam et fidem probavit, ut commemoratio Lenziani nominis non cum vitae tempore dimittenda, sed cum posteritate, haud illa gratiarum immemori, adaequanda esse videatur.

XV.

Accidit autem omine valde bono, ut haec musea, simulatque aperiri civibus nostris coepissent, tutelae praefecturaeque mandarentur duumvirorum litteratissimorum ac Principi nostro non magis quam Musis amicorum, Io. Volgangi Goethii et Christiani Gottl. Voigtii: quorum alterum, rebus nostris nuper [20] ereptum, etiam nunc lugemus, alterum ut diu superstitem Deus nobis, Academiae, patriae conservet, toto pectore precamur.

XVI.

Museis propinqua est Bibliotheca publica, quae et ipsa Goethii nostri (nostrum enim pietatis et amoris caussa vocamus) felicissimis auspiciis ad meliorem non modo speciem, sed etiam ordinem redacta, novis opibus adaucta et ad commodiorem usum exposita est. Amplificato et ad maiorem salubritatem traducto domicilio Bibliothecae, nimis antea loci humidi situque corrupti angustiis conclusae, iam praecisa est caussa, propter quam ipse olim Ruhnkenius, litteratissimus Bibliothecarius, instruendae, disponendae, explicandaeque Bibliothecae Lugduno-Batavae curam futuro successori reliquit [21]. Et, quod caput est, usus illius brevi adiuvabitur novis librorum indicibus, eo celerius nunc Geo. Theoph. Gueldenapfelii et Christ. Ern. Frider. Wellheri, virorum clarissimorum, industria ad optatum diu finem perventuris, quo maior auctoritas illius viri est, qui, ut industrios in studio retineret, quemadmodum solet, admonitionis prudentiam et humanitatem cum efficacissimis laborum incitamentis praemiisque coniunxit. Absoluto labore, consentaneum erit, de Bibliothecae origine, fatis, incrementis, exaedificatione copiosius exponere. Quae ampla erit materies et digna illius studio, qui hos annales continuabit.

---

de zur Feier des silbernen Jubelfestes der Grossherzogl. Societät für die gesammte Mineralogie, Jena 1819. 8.

20) Diem obiit Voigtius, vir desideratissimus, d. 22 Mart. a. 1819.

21) Narravit Wyttenbachius in Vita Ruhnkenii p. 166.

XVII.

Artis botanicae studium inde a multis annis Ienae imprimis floruit, excitatum agrorum hortorumque, herbis refertorum, admirabili fecunditate, promotum regionis, montibus atque vallibus, silvis pratisque variae, et ad deambulandum natura factae, insigni suavitate et amoenitate [22]), ideoque ab hominibus privatis non minus tractatum atque exultum, quam ab his, qui Principum iussu cathedras academicas ascendissent. Illos quum citius tegat oblivio, duorum saltem memoriam instaurare his annalibus conabor.

Situs est prope Ienam pervetustus herbarumque ac florum ditissimus pagus, Ziegenhayn dictus, in quo vivebat olim rusticus, Adamus Dietrichius, flagrans cupiditate et studio botanices, quam ab socero suo, Ioanne Hubero, eodem rustico, didicerat, ipsi ille Linneo notus valdeque probatus, ab eoque litterarum consuetudine et honore dignatus: qui si forte opere diurno fessus, aratrum una cum fasciculo herbarum domum retulisset, accidit non raro, ut pauperem coenam redditae summi illius viri epistolae condirent. Et reliquit Dietrichius duo nepotes, eiusdem doctrinae studio quam maxime deditos, quorum alter Lexico botanico, quod summa cum industria confecit, iam dudum inclaruit, alter adhuc intentus est conquirendis herbis in usum eorum, qui vel scholas botanicas adeunt, vel privatim hoc studio delectantur, meliori sane fortuna dignissimus. Aequalis Dietrichio seniori Ienae degebat Henricus Bernhardus Ruppius, Giessensis, medicinae Candidatus, quem maxima, quacum conflictabatur, inopia non potuit deterrere ab hoc studio, cuius praeclarum posteritati monumentum reliquit edita Flora Ienensi, seu enumeratione plantarum, tam sponte circa Ienam et in locis vicinis nascentium, quam in hortis obviorum: quem librum, ad Rivini nomenclaturam botanicam adstrictum, magnus ille Albertus Hallerus sua cura novaque et emendatiore editione dignum existimavit [23]). Mittimus alia, quae et ipsa privatum huius doctrinae studium testantur.

---

22) *Cfr. A. I. G. C. Batsch. Taschenbuch für topographische Excursionem in die umliegende Gegend von Iena. Mit 2 Charten.* Weimar 1800. 8. Eiusd. *Dispositio generum plantarum Ienensium.* Ien. 1794. 4. *Io. Chr. Fr. Graumüller Systematisches Verzeichniss wilden Pflanzen, die in der Nähe und umliegenden Gegend von Iena wachsen, nebst Bemerkung ihres Wohnorts* u. s. w. Ien. 1803. Eiusd. *Charakteristik der um Iena wildwachsenden Pflanzenarten in tabellar. Form zum Gebrauch für Excursionen*, Ien. 1803. 8. Eiusd. *Flora pharmaceutica Ienensis*, Ien. 1815. 4.

23) Prima libri editio prodiit Lips. 1726: Halleri auctior atque emendatior Ienae 1745. 8.

Postquam vero ea doctrina Principum animos adverterat, maiore eam cura pluribusque subsidiis foverunt. Et olim quidem professio botanices apud Ienenses nulla erat, nisi quae philosophiae aut medicinae professioni tamquam comes et socia adhaereret: quo nomine Iac. Flachius, Zacharias Brendelius, Wern. Rolfinckius aliique iidem et philosophiae et medicinae et botanices Professores celebrati sunt. Quem ultimo loco dixi, Rolfinckius quum aliis plurimis in hanc Academiam meritis, tum etiam eo excelluit, quod primus hortum botanicum, qui vocatur, Ienae constitueret 24). Post eius obitum Paul. Marquardus Schlegelius, Volgangus et Adolphus Wedelii, Teichmeyerus, Hambergerus, Kaltschmidius, Baldingerus, aliique Professores botanices exstiterunt, quorum plerique simul et medicinam et botanicam, nonnulli illam adeo solam docuerunt. Ac si qui in iis essent, qui botanicae enixiorem operam praestarent, tamen illorum studia adhuc continebantur exiguo illo parumque fertili nec nisi herbis medicamentariis instructo horto botanico, qui etiam nunc proprius est Academiae, aedibusque academicis circumcluditur: in quo non erat magnus proventus herbarum, nec poterat omnino scientiae felix progressio esse, donec Guilielmus IV Dux suos academicis usibus hortos suburbanos, eosque et ampliores spatio et herbarum feraciores, liberaliter permitteret. Inde Schlegelii, Schelhammeri et Schenkii studio maiora et celeriora incrementa fecit ars botanica, adiuta etiam hortorum amplificatione, quae Bernhardo II debetur. Ac tanta tunc erat hortorum illorum vel fama vel sanctitas, ut a. 1642, quum Iena saevissimo bello infestaretur, propemodum soli in hac urbe gravi ducis hostilis edicto a vexatione militum ac direptione defenderentur.

Quae adhuc commemoravimus, praeclara sane doctrinaeque botanicae admodum frugifera fuerunt, sed nihil ad ea, quae aliquanto post insequuta sunt. Nam inde ab a. 1794 hoc studium in Academia nostra multo laetius effloruit. Praeter botanices Professorem medicum, cui hortorum academicorum nimis neglectorum cura relinquebatur, creatus est Professor, qui hortis Ducalibus praeesset, in iisque habitaret. Quam felix et fausta fuerit creatio, audito viri nomine quivis intelliget. Suscepit enim hortorum curam Avg. Io. Geo. Carolvs Batschivs, sollertissimi vir ingenii et acerrimi studii, qui magno cum litterarum nostrarum detrimento in medio industriae suae cursu corruit 25). Ei successit Frider. Iosephvs Schelvervs,

24) Sollemnis fuit inauguratio horti d. 10 Iul. 1631, Rolfinckii etiam programmate, qui mos erat illorum temporum, celebrata.

25) Natus d. 28 Octob. a. 1761 obiit d. 29. Sept. a. 1802. vix duo et quadraginta annos natus.

scientiam philosopho acumine perficiens, quem bellicae calamitates nobis eripuerunt. Quod damnum ut repararetur, in eius locum suffectus est aemulus sectatorque eiusdem rationis, FRID. SIGISMUNDUS VOIGTIUS, qui nunc eam provinciam administrat. Qui quidem triumviri dum artem botanicam apud nos scriptis et ore professi sunt, dici non potest, quanta horti incrementa ceperint, et quot quantisque opportunitatibus ad eos visendos litterarum studiosi invitentur. Vix credet posteritas, quod re cognita testamur, ipsius Principis nostri sollertia et studio factum esse, ut exquisitissimae herbae, inter peregrinandum et res graviores agendas ab eo delectae, et longinquis in regionibus conquisitae, huc afferrentur. Amplius narrabo. Florum atque herbarum scientia quo felicius apud nos alacriusque excoleretur, idem serenissimus Princeps non solum Professori botanices, qui nunc hortis praeest, illustri VOIGTIO, liberalissime praebuit sumptus, ut Lutetiam Parisiorum peteret, ibique tum cognoscenda hortorum ratione et descriptione, tum ex doctrina principum in hoc genere virorum proficeret, verum etiam suos ipse hortos crebro invisit, praesens inflammat discendi cupiditatem, studiique successus interrogando, monendo, cavendo mirifice adiuvat. Quodsi revivisceret BATSCHIUS, suosque novus propemodum hospes hortos reviseret, quos primus ordinavit diligentissimeque disposuit 26): quantum censetis candidissimam animam gavisuram esse, si, quae ipsum vix tentare et inchoare fortuna sivisset, nunc ita perfecta et prope ad fastigium perducta cerneret! Nobis autem, qui herbas non quaerimus, horti illi vel eo nomine percari sunt, quod GOETHII in iis humanitate et doctrina frui licet: quippe qui in iisdem honestissime eum fere in modum otiatur, quo M. Tullio Ciceroni, consulari, quum se Asturae abdidisset, solitudo et recessus, ipso fatente, provincia erat.

XVIII.

Nec tantum herbas quaerentibus, sed signa quoque sideraque caelestia specta-

---

26) Id quanta diligentia vir optimus egerit, satis ostendit editus ab eo *Conspectus horti botanici Ducalis Ienensis, secundum areolas systematice dispositus.* Ien. 1795. 4. Quo libro duce etiam nunc utuntur, qui discendi caussa hortum invisunt. Adde Eiusdem *Catalogum plantarum horti botanici Ienae Thuringorum vere anni 1794 fundati, fine anni 1797 conscriptum, pro mutuo commercio cum botanicis, horti fautoribus, et specierum in ipso horto designatione*, Ien. 1797. 8.

turis in Academia nostra provisum est. Nam specula astronomica, non qualem Guilielmus Dux, suadente et moderante Erhardo Weigelio, celeberrimo quondam in hac Academica mathematico, iam anno 1650 aedibus academicis, Collegii nomine celebratis, destinaverat, sed hac amplior, elegantior artisque progressibus accommodata, intentissimo Principis nostri studio in hortis olim Schillerianis exaedificata, et egregiis instrumentis etiam per Ducis Gothani munificentiam ornata est. Ita quo in loco nuper poeta altus, excelsus, humana despiciens, nil nisi magna et admirabilia mente et cogitatione susceperat, Goethiumque suum saepenumero consortem et socium habuerat gloriosi laboris, eum locum duo iam eximii Principes intuendo contemplandoque Dei altissimo domicilio, institutioni iuventutis academicae, et per utramque rem immortalitati consecraverunt. Primus in hac specula caeli siderumque spectator fuit acutissimi vir ingenii, CAROLUS DITERICUS MUNCHOVIUS, cui in Rhenanam Borussorum Academiam nuper evocato successit vir clarissimus et egregia artis suae scientia instructus, IO. FRIDERICUS POSSELTUS [27]; cuius vitam studiaque supra descripsimus [28].

XIX.

Nec praeterire hoc loco licet scholam oeconomicam, Tiefurti, villa quondam Annae Amaliae, Principis eruditissimae et de Academia Ienensi longe meritissimae, per aliquot annos patefactam usibus eorum, qui, quae de agricultura et re rustica per hiemem acroasibus academicis percepissent, aestivo semestri cuperent, eodem magistro duce, oculis usurpare et experiundo cognoscere. Huic scholae per integrum quinquennium [29]) studiose ac laudabiliter praefuit vir harum rerum peritissimus idemque scriptis multis [30]) nominis claritatem adeptus, CAROLUS CHRISTOPH. THEOPHILUS STURMIUS, oeconomiae et cameralium disciplinarum Pro-

---

27) Datae sunt litterae Principum, Vimariensis d. 21 Mart., Gothani d. 29 Mart. 1819.

28) Cfr. p. 55. Idem vir doctissimus, quum ex eclipsi solis, d. 7 Sept. a. 1820 observata, geographicam longitudinem huius urbis computasset, situm speculae et instrumentorum paratum breviter descripsit in Schumacheri sylloge: *Astronomische Nachrichten* No. 1.

29) Inde ab aestate a. 1814 usque ad hiemem a. 1819.

30) Ex his consentaneum est hoc loco ea recensere, quae ad institutum oeconomicum pertinent. Cuius generis tria sunt. 1) *Ankündigung eines Instituts zur Bildung junger*

fessor: post cuius discessum (quippe et hunc Bononia nobis invidit [31]) viduata illa quidem schola est, sed non adempta spes novi instituti, quod, si quid auguramur, brevi exorietur, veterisque iacturam iuventute et viribus compensabit.

XX.

De schola veterinaria, de paratu et instrumentis artis chemicae supra diximus: iam nos admonent chemicae scholae, ut etiam de medicis dicamus, quae non possunt illarum ope et adminiculo carere.

Scilicet haec insignis Academiae Ienensi contigit felicitas, ut et institutis hoc in genere amplissimis [32]), et, qui iis praefecti essent, celeberrimis medicis uteretur. LODERI, HUFELANDI, STARKIORUM, HIMLYI, cui ignota sunt nomina et fructuosa litteris aemulatio, ac paene rivalitas? Aut quis, qui norit, non exempla in iis agnoscat artis clinicae et obstetriciae recte et salubriter exercendae? Memini ego, quum Lipsia Ienam migrassem, a proceribus Dresdanis, qui illo tempore Saxonicis Academiis praeessent, vehementer me rogari, ut et Loderianae et Hufelandianae scholae clinicae rationem et formam sibi describerem: quod quum faventibus auxiliantibusque illarum moderatoribus fecissem [33]), utriusque exemplum ita profuit carissimae patriae meae, ut alterum institutum Lipsiensi, tum recens condito, alterum Vitebergensi, aetate paullo superiori, quodammodo legem et normam praeiret. Tantum apud Saxones valuit Academiae Ienensis auctoritas! Nunc quum utrumque apud nos institutum coaluerit, hac ipsa consociatione novas veluti vires resumet, praesertim firmatum novis subsidiis, mul-

---

Landwirthe und Cameralisten zu Tieffurth bey Weimar 1814. 8. — 2) *Ueber den Geist der Wirthschaftssysteme, nebst Ankündigung seines Instituts.* Ien. 1816. 8. — 3) *Ueber die Bildung zum Landwirth, nebst Nachricht von dem ökonomischen Institute zu Tieffurth.* Ien. 1817. 4.

31) Illuc discessit a. 1819.

32) De institutis medicis iam olim copiosius exposui, *Intell. Blatt zur Ien. A. L. Z.* 1805. No. 37 sq. Vnde descriptio illorum tota transsumpta est in librum *Güldenapfelii* nostri, V. Cl. *Ienaischer Vnivers. Almanach für das Jahr* 1816. p. 249.

33) Nam illo tempore unius tantum instituti clinici, ab *Io. Christiano Starkio* conditi, brevis descriptio in publicum exierat (*Auszüge aus dem Tagebuche des Jen. klinischen Instituts*, Ien. 1798. II. 8.): alterum, *Loderianum*, aliquanto post ad notitiam publicam celebratum est. (*Nachricht von der herzogl. medicin. chirurgischen Krankenanstalt in Jena, von C. E. Fischer*, Jen. 1803. 8.)

tisque modis corroboratum. Auctus enim cepit obstetricia schola, pluresque iam iuvenes et maiore cum successu comites haerent medicis nostris, qui puerperis in partu difficili sollerter dextreque opitulantur. Intentis ad morbos animorum observandos, Starkio duce, patet domus, qua mente capti vesanique continentur, humaniterque tractantur. Quo magis consuleretur medicinae efficaciori, quae manu fert opem laborantibus, augendo quotannis chirurgicorum instrumentorum paratui certa pecuniae summa destinata est. Denique ambulatoriae illius, quam vocant clinices, quae sic exercetur, ut medici, per domos cursitantes, aegrotos invisant, illius igitur clinices incommoda quum iam inde ab aliquot annis imminuisset nosocomii publici amplicatio: nunc ipsum id agitur 34), ut ingens idemque peropportunum exstruatur aedificium, quo, quicumque voluerint, in utraque provincia, tum Vimariensi, tum Isenacensi, aegrotantes recipiantur, publiceque curentur. Ceterum his institutis praeter Io. Christianvm Starkivm nunc quum maxime Gvil. Car. Frid. Svccovivs et Frid. Avg. Walchivs, viri docenda factitandaque arte clarissimi, magna cum laude praefecti sunt.

XXI.

Sed non capit hic locus tantam rerum varietatem et copiam, quas universe cognosse, ne annalium quidem lectori sufficiat. Quapropter consultius videtur de iis, quae maxime sunt memorabilia, praecipue de museis, de bibliotheca publica, de scholis medicis, singulatim exponere in proximis horum annalium voluminibus: quae sive a me componantur, sive (quod Academiae caussa optamus) a doctiore quopiam scribendique magis perito successore, ampla profecto et luculenta suppeditabit materies, in qua tractanda elaboretur. Accedit, quod Principum nostrorum liberalitas, quamvis mirabilis, mirabilior etiam aliquot post annis videbitur. Quum enim musea ista, quae diximus, quum bibliothecae opes, quum horti botanici cunctique tot exquisitarum rerum paratus nostris iam dudum usibus pateant: haud vana nos spes tenet fore, ut, quae ex illis nondum certa donationis lege concessa sint Academiae, mox concedantur, quo fructus et utilitates non ad nos solos perveniant, sed nepotibus quoque nostris eorumque posteris in perpetuam tantae munificentiae memoriam conserventur. Oportebit autem inposterum in hac persequenda materia tanto plus studii diligentiaeque

---

34) Cfr. litteras serenissimi Principis Vimariensis in Corollario No. IX.

a ſcriptore collocari, quanto plura in Academia Ienenſi reperiantur, quae, ſi minus in ſcena ſunt, at certe, quum ſunt prolata, laudantur. Quas laudes non quaerimus ambitioſe, ſed, ſi iuſtae ſunt ac meritae, exſpectamus, immo poſtulamus, etiam ab iis, qui vel ignoratione ducti, vel malevolentia inſtigati, nobis adhuc obtrectaverunt. Numquam enim domeſticos exiſtimationis ſuae buccinatores haec Academia fovit, neque ullum academici doctores theatrum virtuti conſcientia maius putarunt. Quod ipſum ſi ex hac ſimplici nudaque rerum narratione intelligatur, ſcribendis annalibus operae me pretium feciſſe arbitrabor.

XXII.

Hactenus de iis artium doctrinarumque inſtitutis ſcripſimus, quae, quamquam vehementius inde ab Academiae noſtrae inſtauratione viguerunt, tamen renovata potius quam nova exſtiterunt. Illis autem etiam nova quaedam nuper acceſſerunt, non minus ampla ad Academiae famam, quam litterarum ſtudiis fructuoſa. De his, ſupereſt, ut breviter exponamus.

XXIII.

Fuit haec ſemper intelligentiſſimorum hominum opinio, atque etiam nunc in omnium animis inhaeret, multo facilius eſſe, ſolo uſu et aſſuefactione, ſine praeceptis, quam praeceptis praeſtantiſſimis, ſed ſolis, ab uſu deſtitutis, artem aliquam conſequi. Quapropter ſtudiorum academicorum rationem non tantum auditione et lectione, quae interdum etiam ignavos inertesque oblectant, ſed dicendi quoque ac ſcribendi uſu contineri voluerunt, quo doctrina omnis ſtatim ad exercitationem referretur, auditaque et lecta ad maturitatem fructumque pervenirent. Inde enim non modo diſſerendi ſubtilitas naſcitur, verum res ipſae magis imbibuntur animo, caveturque imprimis, quo nihil erudito viro indignius eſt, ne quis ſeu diffidentia ſui ſeu pudore quodam ruſtico praepediatur, quo minus, quae didicit, ex ſeſe promat, neve ad dicendum forte in concionem protractus, quemadmodum citharifta ille Aſpendius, omnia intus canat. Atque hinc factum eſt, ut ea ſemper laudarentur maxime et civium frequentia celebrarentur Academiae, in quibus practicae ſcholae, quas vocant, diſcendi ſimul atque agendi occaſionem praeberent. Quod quum non fugeret Principes ſereniſſimos, etiam in noſtra litterarum ſede Seminaria nuper condiderunt, theologica tria, unum philologicum, quae ſingula et inſervirent ſtudiis iuvenum, cum auditione uſum ali-

quem coniugare cupientium, et iisdem copiam facerent, ea meditandi factitandique, quibus aliquando opus foret ad alios eadem in arte recte utiliterque instituendos. Quo pacto haec bona ſeminariorum, ſi modo recte collocentur, non modo noſtros cives adiuvabunt, ſed diffundentur etiam ad alios; et quod Principum liberalitas ſuis tamquam proprium paravit, idem ab his propagatum proderit exteris. Quo magis operae pretium videtur, harum ſcholarum quale conſtitutum ſit, quae ratio, qui ſtatus, paullo accuratius explicare.

XXIIII.

A Iove principium: ſed Iovis inſtar in litterarum regno moderatricem omnium artium diſciplinarumque eam cenſemus doctrinam eſſe, quae ab humanitate appellatur. Huic non deſtinata quidem a conditore, quippe qui unam Latine ſcribendi facultatem ſpectaſſet, ſed ab inſtauratore tamen conſecrata Societas Latina 35) per integrum prope ſaeculum ſodalium honorariorum claritate, noſtratium, qui ordinarii ſunt, ſtudio, et utrorumque ſcriptis, numero non magis quam pretio conſpicuis, in Academia Ienenſi floruit. Sed quum ea privatis tantum ſumptibus ſtudiisque et ortum ſuum deberet, et adhuc eſſet ſuſtentata: in votis iam fuerat Schützio, deceſſori in profeſſoria provincia meo, de Academia noſtra meritiſſimo, ut Societati Latinae vel ſubſtitueretur vel adiiceretur novum inſtitutum, quod Principum quoque cura et liberalitate floreret. Quod Schützio non contigit ut videret, nobis conceſſum et datum eſt. Exſtitit *Seminarium philologicum*, octo quidem iuvenum, qui primo academici anni ſpatio emenſo, probatisque per legitima ſpecimina, quos in utraque lingua fecere, progreſſibus, per reliquum biennium publico ſtipendio eam ob cauſſam ſuſtentantur, ut et litteris antiquis enixiorem operam impendant, et muneri in ſcholis maioribus minoribusve olim ſuſcipiendo idonei fiant. Quamobrem octo illis ſodalibus ordinariis, et ſtipendio auctis, accedunt octo extra ordinem, qui per eaſdem exercitationes praeparati, ſuffici ordinariis poſſint, ſi locus vacaverit. Ad-

35) Condita eſt Societas Latina m. Iunio a. 1734; inſtaurata m. Iunio a. 1800. Eius hiſtoriam et acta cognoſcere licet ex *Frid. Andr. Hallbaueri Exercitatt. Societatis Latin. Ienenſ.* Lipſ. 1741. 1743. Voll. II. 8. *Io. Ern. Imman. Walchii Actis Soc. Lat. Ienenſ.* Ienae 1752–1756. Voll. V. 8. tum *ex Acroaſi noſtra pro Societatis Lat. Ien. inſtauratione*, Ien. 1800. 8. et *Novis Actis Societatis*, Lipſ. 1806. 8.

mittuntur autem indigenae pariter atque exteri, modo eam litterarum scientiam afferant, de qua sperari aliquid praeclari in posterum queat, studiorumque constantiam morum humanitate condecorent. Nec stipendium illud beneficii loco offertur egenis: paratum est omnibus, qui proficere in litteris, scribendoque ac disputando exerceri ingenia velint. Recepti in numerum, et ingenio, assiduitate, exercitatione spectati, commendabuntur serenissimis Principibus, si quando locus in scholis per Ducatum Saxonicum fuerit patefactus; neque irritam commendationem fore, Principum decreta sperare nos iubent. Denique exercitationum, quas ternis in singulas hebdomadas horis alterne instituunt collegii moderatores, ex ipsa legum 56) ratione duplex genus est: alterum pertinet ad colendam limandamque Latine scribendi facultatem, alterum ad interpretationem veterum scriptorum. Vtroque in genere quam ego rationem sequi consueverim, conatus sum exponere eo in libro, quo Societatem Latinam instauravi: Frid. Handivs, vir clarissimus, quicum moderaminis societate coniunctus sum, quid possit, suis ipse scriptis demonstravit. De reliquo vehementer optamus, ut in civibus nostris ne desint, qui et digni tanta Principum munificentia reperiantur, et illam sibi expetendam putent: equidem, qui in hoc exercitationum genere magnam vitae academicae partem ita consumpsi, ut meam sibi operam profuisse Societatis Latinae sodales profiteantur, nec in posterum sodalibus Seminarii opera, consilio, labore deero,

dum res, et aetas, et sororum
fila trium patientur atra.

De hoc satis. Superest, ut nomina sodalium indicemus, qui exerceri in hac palaestra voluerunt. In ipsis Seminarii auspiciis d. 15 Ian. a. 1818 recepti sunt octo sodales ordinarii,

Bernh. Hieron. Böhme, Vimariensis, Philos. D. nunc Subrector Lycei Gerani;
Io. Christian Schober, Roemhildensis, nunc Corrector Gymnasii Schleusingensis;
Car. Guil. Theophil Schneider, Vimariensis, nunc Professor Gymnasii Vimariensis;
Car. Chrn. Frider. Rein, Gothanus;
Henricus Leo, Rudolstadiensis;
Ioannes Benedicti, Hungarus;
Io. Fridericus Bogk, Alstadiensis, nunc Collaborator Rev. Ministerii Ienensis;
Iust. Fridericus Kritz, Kuhnhusa-Erfurtanus.

56) Leges Seminarii philologici publicatae sunt in Corollario No. X.

Quibus deinceps ad hoc usque tempus accesserunt

Io. Christ. Car. Heinze, Saalfeldanus, nunc Philos. D. et Conrector Lycei Saalfeldani;
Ernestus Weber, Weissenseea-Thuringus,
Ferdin. Waehter, Renthendorfio-Vimariensis, nunc Philos. D. in Acad. Ienensi;
Andr. Casp. Frid. Busch, Tychopoli-Holsatus, nunc Philos. Doctor et Biblioth. acad. Kiloniensis ab operis.
Ioannis Kollar, Hungarus;
Henricus Clemen, Lemgovio-Luppus, nunc Philos. Doctor;
Carolus Brandes, Ufela-Lippus;
Frid. Guil. Berger, Meiningensis;
Car. Frid. Henr. Alb. Haage, Gothanus;
Frid. Ern. Theaenet. Frank, Ienensis;
Ionath. Carolus Zenker, Sundremda-Vimariensis;
Ioannes Iac. Kraft, Helvetus;
Christianus Kramer, Ohrdruffiensis;
Aug. Theod. Brömel, Ilmopolitanus;
Io. Georg. Ludov. Beutler, Gothanus;
Car. Casp. Gust. Meinhardt, Altenburgensis;
Her. Gust. Frid. Schad, Ienensis;
Car. Guil. Müller, Apoldanus;
Adolphus Magerstedt, Rohnstad. Schwarzburgensis;
Chrn. Fridericus Oertel, Podelsatzio-Altenburgensis;
Frid. Guil. Theile, Buttstadiensis:

ita quidem, ut per hiemem a. 1818 septem, per aestatem a. 1819 sex, per hiemem eiusdem anni octo, aestate a. 1820 sex, hieme eiusdem anni quinque, per aestatem a. 1821 quattuor, per hiemem e. a. octo sodales ordinarii Seminario philologico operam darent.

XXV.

Qui sacrarum litterarum apud nos studia aemulantur, tametsi iis adeo non interclusus est ad Seminarium philologicum aditus, ut adhuc in sodalibus nostris plerosque theologos numeraremus: his tamen proprie constituta sunt *Seminaria theologica*, unum hoc ipso nomine insignitum, quod Io. Phil. Gableri moderatione gaudet, alterum *homileticum*, quod primum a. 1812 privato Henr. Aug. Schotti studio conditum, inde ab a. 1818 Principum auctoritate sanci-

tum, nunc sub eiusdem auspiciis publice floret, tertium *catecheticum*, quod Io. Travg. Lebr. Danzivm habet rectorem. De his quo rectius exponeremus, rogavimus venerandos collegas, ut et leges Seminariis scriptas 37), et suam nobis in illorum descriptione opem impertirent. In his quum fuerint, qui precibus nostris locum darent, damus nos hoc vicissim annalium lectoribus, ut in ea narratione illorum potius, quam nostris verbis utamur.

XXVI.

Seminarii theologici rationem Gablervs, vir summe venerabilis, ita descripsit:

„Eo potissimum consilio hoc Seminarium a. 1817 institutum est, ac publica auctoritate firmatum, ut, qui profundius doctrinas theologicas haurire vellent, opportunitate restinguendae sitis gauderent, nec deesset occasio accuratius cognoscendi viros iuvenes doctos et ad excolendas litteras natos, qui aut iure suo commendari possent ad percipiendum stipendium Lynckerianum solis provectioribus destinatum, aut ornari provincia *Repetentium* theologicorum, qui vocantur, quales cum multo fructu rei litterariae hucusque aluerunt academiae Gottingensis et Tubingensis. Moderante enim Seminarii Directore sodales vires ingenii exercent quavis hebdomade tum disputando de rebus theologicis, tum interpretando sive veteris sive novi foederis libros, tum commentando in quaestiones graviores ex quocumque disciplinarum theologicarum genere; subiungit denique director iudicium tam de pretio commentationi recitatae statuendo, quam de materia theologica ipsa, de qua quaeritur, curatius enodanda. Quo fit, ut acrius excitetur litterarum theologicarum studium, efformenturque adeo iuvenes ad habendas lectiones publicas; vel, si ecclesiasticis quondam admoti fuerint muneribus, ad movendas ventilandasque recte et prompte quaestiones theologicas in conventibus synodalibus. Edita etiam sunt in hoc Seminario a nonnullis sodalibus praeclara doctrinae atque ingenii specimina sane dignissima, quae in lucem publicam prodeant. Id quo fiat, sollicite aget hoc ipso anno 1822 Instituti Director. Commissa autem est haec Seminarii theologici directio auctoritate Serenissimorum Academiae Nutritorum per litteras Vimariae d. 24 Octobr. et Gothae d. 3 Novembr. a. 1817 datas, easque clementiae ac studii rerum academi-

37) Has repetivimus in Corollario No. XI.

carum plenissimas, Io. Philippo Gablero, Theologiae Professori primario; quo suadente Seminarii huius theologici bene instituendi ratio, quam iussu Superiorum breviter delineatam et paucis paragraphis comprehensam, sapientissimo Serenissimorum Principum arbitrio antea subiecerat, nunc Statutorum nomine insignita, principali auctoritate confirmata sunt, quae quo accuratius cognosceretur, ipsas leges huic Seminario a serenissimis Nutritoribus praescriptas, adiecimus 58).

Per semestre anni 1821 hibernum sodales huius Seminarii theologici fuere sequentes:

1) *Ludovicus Voretzsch*, Altenburgensis, Semin. Senior.
2) *Io. Godofredus Gabler*, Ienensis;
3) *Fridericus Daniel Voretzsch*, Altenburgensis;
4) *Fridericus Oertel*, Altenburgensis;
5) *Frider. Gotthilf Augustus Axt*, Arnstadiensis;
6) *Carol. Sebastianus Blau*, Isenacensis;
7) *Carol. Alexander Bretschneider*, Rutheno-Variscus;
8) *Io. Fridericus Endelmann*, Hamburgensis;
9) *Carolus Andreas Kamprath*, Vimariensis;
10) *Conradus Rommel*, Meiningensis;
11) *Anton. Guilielmus Rudolph*, Vimariensis;
12) *Io. Fridericus Wohlfarth*, Isenacensis."

Hactenus venerabilis Gablervs.

XXVII.

De *Seminario homiletico* haec ad nos summe venerabilis Schottvs perscripsit:

„Instituti finis primarius hic est, ut desideriis ac studiis eorum iuvenum consulatur, qui praeter cognitionem litterarum theologicarum accuratam et subtilem in hac Academia eiusmodi quoque institutionem practicam expetierint, qua muneri sanctissimo religionis Christianae coram suggestu sacro tradendae et cultus sacri administrandi recte ac fide gerendo bene praeparentur. Quicumque huic collegio rite adscribuntur, concionibus sacris et elaborandis atque in aede sacra academica publice recitandis, et diiudicandis exerceri solent, moderante has exercitationes uno ex Professoribus ordinariis Theologiae, cui simul cura

---

58) Subiunctae sunt una cum ceterorum legibus Seminariorum Corollario No. XI.

templi academici et cultus ſacri in hac aede inſtituendi tradita et commiſſa eſt. Conſtituimus autem tres claſſes commilitonum, qui in conſortium harum exercitationum veniunt. *Prima* quidem *duodecim* ſocios complectitur *ordinarios.* Hic enim numerus ſecundum ſtatuta ſeminarii ita ſervatur, ut numquam plures, quam duodecim ſocii ordinarii ſimul conſtitui poſſint. Demandatur quippe his potiſſimum ſociis ordinariis provincia, conciones ſacras in templo academico diebus ſolis ſingulis, diebusque feſtis eccleſiae Chriſtianae recitandi (exceptis iis diebus, quibus vel ipſe director ſeminarii homiletici, vel alius quidam doctor huius Academiae, qui litteras theologicas tradit, in ſuggeſtum ſacrum prodire conſtituerit). Iidemque ſocii in conventibus homileticis, qui hebdomadibus ſingulis (tempore feriarum academicarum excepto) in auditorio directoris inſtitui ſolent una cum directore, eoque moderante partim de ipſis concionibus commilitonum ſacris in templo illo recitatis (et ipſius materiae in iis tractatae, totiusque elaborationis, et eloquutionis atque pronunciationis ratione habita), partim de diſpoſitionibus propoſitis earum concionum ſacrarum, quae in poſterum habendae ſunt, iudicare ac diſputare ſolent. Ex eorum numero et *ſenior* ſocietatis eligitur, qui hoc potiſſimum curat, ut directorem ordini conſtituto recte ſervando proſpicientem quodammodo adiuvet, litterisqe conſignet potiora eorum, quae in conventibus homileticis de ſingulis concionibus ſacris iam recitatis iudicata fuerint, et *famulus* ſeminarii, qui et ſchedulis affigendis, oratorem ſacrum quovis die ſolis in templo academico e ſuggeſtu ſacro loquuturum indicantibus, et aliis negotiis curandis ſeminario et homiletico et catechetico varia praeſtat miniſteria. *Altera claſſis* eſt eorum, qui *extraordinarii* ſive *exſpectantes* dicuntur, et ab illis ordinariis hac potiſſimum ratione differunt, ut, quamvis ſuo tempore in templo academico conciones habeant ſacras, a directore iis demandatas, itemque a directore ſociisque ordinariis diiudicandas, ipſi tamen nondum de concionibus ſacris ceterorum iudicia ferant, usque dum coetui ſociorum ordinariorum (quorum plures quovis ſemeſtri diſcedere ſolent) fuerint adſcripti. *Tertia* eſt *auditorum*, qui neque conciones habent in aede academica, neque in conſortium diſputationum veniunt homileticarum, ſed iure gaudent, quotquot conventus homiletici ſtatis diebus inſtitui ſolent, eos frequentandi, eorumque uſum faciendi ad ſtudia ſua homiletica regunda, donec ipſi, ſpeciminibus ſuo tempore exhibitis, inter ſocios vel extraordinarios, vel ordinarios fuerint recepti. Quod vero ad ipſam hanc receptionem eiusque leges

attinet, quotannis (duobus fere mensibus ante finem cuiusque semestris) commilitones huius Academiae a directore seminarii publice excitantur, ut, quicumque huic societati adscribi, concionibusque sacris in templo academico habendis exerceri voluerint, stato tempore specimina homiletica de argumento, quod director proposuerit, diligenter scripta exhibeant, a directore exploranda et comparanda, itemque, die constituto, coram Professoribus theologiae ordinariis in auditorio directoris particulam quamdam concionum suarum sacrarum, a directore electam, recitent. Quo facto, ab Ordine Theologorum de singulis, qui specimina exhibuerunt, deliberando constituitur, num sociis vel ordinariis vel extraordinariis adscribi possint, et quinam locus singulis assignandus sit. Legibus vero praescriptum est, ut nemo recipiatur, nisi qui bene audiat, quod religionem et mores attinet, (quapropter etiam nomina eorum, qui eiusmodi locum expetierunt, ante electionem et Professoribus theol. ordinariis, et sociis seminarii indicanda sunt), et aliquam partem curriculi academici absolverit. His legibus statutisque seminarii omnibus accurate observandis commilitones electi non tantum privatim nominibus suis libro cuidam inscribendis, sed etiam publice, die quodam solis ab Ordine Theologorum constituto, in templo academico, oratione Decani huius Ordinis exhortatoria coram altari recitanda sancte obstringuntur. Quae quidem receptio solemnis ad eos tantum pertinet, qui orationes sacras in hoc templo habituri sunt. Quicumque enim ad classem *tertiam* tantum (*auditorum*) adspiraverint, quovis tempore ab ipso seminarii directore recipi possunt, nisi forte socii ordinarii et extraordinarii de hoc vel illo auditoribus adscribendo dubitationes iustas moverint. Quo maiori alacritate labores et studia homiletica commilitorum vigeant, cuivis discedenti testimonium diligentiae ab eo praestitae solemne, typis excusum, sermone latino scriptum a directore seminarii exhibetur, iis quidem, quae singuli praestiterint, accommodatum, *sigillo* Ordinis Theologorum consignandum. Imprimis vero animo grato praedicanda est munificentia Principum serenissimorum, qui huic instituto homiletico itemque catechetico inde ab anno 1817 *salarium annuum* contingere iubent ducentorum imperialium, cuius administratio fida quum toti Theologorum Ordini, tum directori seminarii homiletici committitur. Ita enim fieri potest, ut partim pluribus sociis ordinariis, qui vel concionibus sacris habendis, vel speciminibus suis catecheticis prae ceteris eminent, et eiusmodi auxilio studiorum externo

indigent (a directoribus seminarii homiletici et catechetici Ordini Theologorum indicandi atque commendandi) *stipendia annua* praebeantur, partim, praemiis propositis, *certamina* instituantur homiletica et catechetica. Cuius certaminis ratio haec est, ut quotannis argumentum et homileticum et catecheticum proponatur, in quo elaborando, quicunque seminario adscripti sunt, sive ad socios ordinarios et extraordinarios pertineant, sive ad auditores, contendere possint, speciminibus elaboratis tempore constituto directoribus utriusque seminarii per seniorem aut famulum tradendis, affixa schedula, sigillo obsignata, cui nomen auctoris inscriptum est. His scriptis non tantum a directoribus utriusque seminarii, sed etiam a ceteris Professoribus theologiae ordinariis perlustratis et examinatis, per suffragia de iis certantium speciminibus decernitur, quae praemiis propositis digna apparuerint. Quinam vero fuerint, quibus laudes, vel primae vel secundae contingerent, eo die solis, quo memoria sacrorum per b. Lutherum emendatorum in templo academico celebratur, publice coram coetu congregato indicatur, Decano Ordinis Theologorum (praedicatione sacra, quam director seminarii homiletici hoc die perorare solet, et cantico sacro peracto) orationem solemnem ex cathedra recitante, sigilla schedularum affixarum, quae nomina commilitonum praemiis condecoratorum exhibent, solvente, nomina ipsa cum laudatione iusta pronunciante, denique argumenta novis commissionibus homileticis et catecheticis destinata palam indicante. Legibus quoque constitutum est, ut vel ea concio sacra, cui laudes contigerint primae, vel ea, quae secundis condecorata fuerit (si forte primis nulla potuerit ornari) die solis, qui proxime insequitur, in templo academico hora consueta publice recitetur. Ceterum quotannis a directore seminarii homiletici *annales* utriusque instituti sermone vernaculo eduntur, qui partim enarrant, quo successu utrumque seminarium hucusque gavisum fuerit, partim aliquam ex iis orationibus sacris, quas director seminarii homiletici in aede academica recitavit, aliamve commentationem brevem ab eo consignatam, sermones solemnes a Decanis Ordinis Theologorum socios recens electos rite excipientibus, praemiorumque distributionem promulgantibus habitis, commilitonum scripta praemiis condecorata exhibent. De statutis legibusque seminarii theologici, homiletici, catechetici singularis exstat libellus, anno 1820 editus.

Quod statum *praesentem* seminarii homiletici attinet, provincia huius instituti cultusque sacri academici regendi Professori theologiae secundo demandata

est, Henrico Avgvsto Schott, Theol. Doctori. Nomina vero sociorum *ordinariorum* et *extraordinariorum* (exceptis iis, qui abitum suum proxime instantem indicaverunt) haec sunt:

I. *Socii Ordinarii:*

1) *Ioannes Godofredus Gabler*, Altorfiensis;
2) *Ioannes Henricus Narr*, Lobensteinii natus;
3) *Ioannes Abrahamus Sachs*, Isenacensis;
4) *Iacobus Illhardt*, Isenacensis;
5) *Conradus Rommel*, Nordheimio-Meiningensis;
6) *Ioannes Fridericus Wohlfahrt*, Wünschensuhlio-Isenacensis;
7) *Christianus Fridericus Oertel*, Altenburgensis;
8) *Carolus Sebastianus Blau*, Isenacensis;
9) *Christophorus Voigt*, Ruhla-Isenacensis;
10) *Gustavus Schede*, Friessnicii natus;
11) *Christianus Iessen Weiland*, Slesvicensis;
12) *Carolus Caspar Gustavus Meinhard*, Altenburgensis.

II. *Socii Extraordinarii:*

1) *Ernestus Müller*, Dollstadio-Gothanus;
2) *Henricus Graefe*, Buttstadiensis;
3) *Antonius Guilielmus Rudolph*, Rastenbergio-Vimariensis;
4) *Cuno Angelroth*, Meiningensis;
5) *Adolphus Antonius Robert Gutbier*, ex vico Pferdingsleben oriundus."

Hactenus venerabilis Schottvs.

XXVIII.

De *Seminarii catechetici* statu quum nihil nobis traditum sit, cogimur ablegare lectores ad universas illas Seminariorum leges, quas aliquoties laudavimus.

XXVIIII.

Iam unum narrationi nostrae reliquum est ex hoc genere institutum, decretum iam tum, quum Academia reparabatur, sed cuius initia nuper demum indicere licuit. Quamobrem actis proxime superioris anni accensendum illud foret, ni res, quae ad universam Academiae rationem pertinent, per species potius, quam per tempora narrare mallemus. Institutum dicimus certami-

num litterariorum: quae quum in aliis Academiis incitavisse discendi studium, aemulandi fervorem auxisse, gloriae cupiditatem tamquam nutrimento aluisse putarentur, nunc Principum voluntate et munificentia etiam nostris civibus denunciata sunt. Tres Ordines tria, philosophicus bina, certationum et argumenta et praemia proponunt: penes eosdem iudicatio est victoriae, tanto illa et severior, et vero etiam iucundior futura, quanto maior concursus erit et quasi conflictio certantium: victricia scripta et apud nos publice decorabuntur praemiis, et typis multiplicata, ad exterorum notitiam proferentur. Sed de hoc instituto, non est, quod plura iam addam, qui peculiarem de eo libellum scripserim in tertia huius operis parte No. VI repetitum. At quando hi Annales continuabuntur, nova scriptori et iucunda dabitur materies enunciandis victorum nominibus, qui doctrinae praemia reportaverunt. Incitabuntur, speramus, exemplo illorum alii, ut ad easdem laudes virtutis via grassentur: laudatis autem, etiam quum ad virilem aetatem pervenerint, et ipsis adeo senibus, dulce erit recognoscere iudicia, de ingeniis suis litterisque ea aetate, qua tirocinia nondum posuerant, ab academicis doctoribus facta. Sic pariter certaminum illorum scriptorem, auctores, testes etiam hoc meminisse iuvabit!

XXX.

Sufficiant haec de institutis academicis. Nunc tandem ex instaurationis historia ea sunt proferenda, quae ad cives litterarum studiosos proprie spectant, tum hos, qui iam nunc nobiscum in hoc Musarum sacrario bonis artibus operantur, tum illos, qui in horum aliquando locum apud nos posterosque nostros successuri sunt. Quamquam enim auctis Academiae institutis, rebusque Professorum ornatis, etiam civium res crescunt, quandoquidem discentibus maxime prodest, si qua maior docendi et opportunitas et alacritas, si quod enixius litteras tractandi studium, idoneis adiutum subsidiis et instrumentis, in Academia regnet: quaedam tamen accesserunt propria civibus et peculiaria bona, quae ad vitam in hac Academia cum dignitate et libertate degendam quam maxime pertinent. De his iam dicendum est.

XXXI.

Dignitatis ac libertatis magnifica sane et auribus vestris pergrata voca-

bula, Cives, — quidni enim iam, quum res vestra agatur, tamquam praesentes vos alloquar, quos, quicquid navamus in Academia, et quamcumque rem aggredimur, in oculis semper et mente habemus? — vocabula igitur illa ne in eum, quem nolumus, sensum vertatis, oportet meminisse, quod M. Tullius Cicero scripsit, indignum esse in ea civitate, quae legibus teneatur, discedi a legibus: hoc enim vinculum esse dignitatis, qua fruamur in republica, hoc fundamentum libertatis. Quapropter ut vos non docti tantum apud nos evadatis, sed etiam moribus exculti, in officiis servandis diligentes, disciplinae, miti quidem et paternae, disciplinae tamen assueti, omnique vitae ratione probati, Principum nostrorum iussu novum est conditum corpus legum academicarum, aptum saeculi ingenio, ad optimas foederatarum Vniversitatum, maxime Heidelbergensis, leges diligenter compositum, vestrisque studiis et rationibus accomodatum. Qua in re id potissimum spectaverunt legumlatores, ut dignam litterarum studiosis libertatem vobis tuerentur, ut a iudiciis, quibus caussae cognoscuntur et sententiae feruntur, inconstantiam omnem, omne arbitrium, immo ipsam arbitrii speciem, arcerent, ut vestram in hac urbe vitam et cum oppidanis consuetudinem iucundiorem cavendique prudentia tutiorem redderent, ut vos litteris, nos vobis, utrosque officiis suis artiore vinculo adstringerent, ut uno omnes, discentes pariter atque docentes, eodemque tramite, communi consilio consociataque opera, studiorum severitatem, morum elegantiam, vitae probitatem honestatemque consectarentur.

Quae leges quam accurate cogitateque latae sint, etiam inde apparet, quod Principum sapientia sequendum putavit prudentissimum illud veterum rerum publicarum institutum, ex quo nihil ad populum ferri in ecclesia licebat ἀπροβούλευτον, id est, de quo non antea Senatusconsultum factum esset. Quod exemplum si in eiusmodi rebus omnes civitatum eruditarum moderatores sequerentur, parcius conquerendum foret de properantia, qua leges legibus obrogantur, obrogataeque, quia stare non possunt, rursus abrogantur atque dissolvuntur. Qua re nihil potest neque Academiis perniciosius, neque aut imperantium persona magis indignum, aut parentium fortunae adversum magis cogitari. Etenim, ut praeclarus scriptor dixit, mutare quid facillimum est, difficillimum vero, quoniam nihil in civitate seorsim constat, sed omnia omnibus cohaerent et veluti concreta sunt, ita mutare, ut quis plus corrigat

quam corrumpat, plus condat, quam evertat. Sed redeamus ad id, unde huc delapsa est oratio.

Summa religione cerimoniaque, quum et Patres, et primores utriusque civitatis, et frequentissima iuventus adessent, habita ab eloquentiae Professore pro corona oratione, promulgatae sunt novae leges in templo Paullino die 30 Octobris a. 1817: quo die sollemnia saecularia instaurationis sacrorum, a Martino Luthero factae, celebrabantur. Neque enim aut sanctius aut opportunius tempus videbatur deligi posse orsis tantae rei, quae non in singulorum commodum, sed in universae civitatis utilitatem suscepta, non in aliquot annos mensesve, sed in omne, quo suus huic Protestantium Vniversitati honos constabit, aevum esset profutura.

Promulgatis legibus, quanta in iis vel custodiendis fides, vel observandis diligentia fuerit, non est nostrum, hoc loco exponere: illud dicendum est, quod ad historiam pertinet, in ipsa earum cura et administratione sedulo vidisse Patres, si quid addendum singulis, si quid rectius constituendum, et sive re sive verbis emendandum videretur. Quo factum est, ut et nuper Codex aliquot additamentis augesceret, et mox nova eius, quae iam paratur, editio multis locis plenior perfectiorque in lucem proditura sit. Quod nec mirabitur quisquam, neque in legum invidiam trahet, qui didicerit, apud ingeniosissimum populum, qui idem satis tenax esset veterum institutorum, propterea quod rebus novis saepissime fraudem tegi animadvertisset, tamen ita olim fuisse in more positum, ut annua censura fieret legum in republica latarum, per quam civium Atheniensium et iuribus, et saluti, et (quae magna pars salutis esset) gloriae consuleretur. Apud nos ut antea rogatarum ita nunc emendatarum legum auctores fuere Patres: emendatas Principes iusserunt. Earum ut exemplum in his quoque Annalibus conservaretur, nunc quidem Codicem una cum additamentis diligenter reddi in Corollario 59) curavimus: in posterum id agendum erit, ut quae in secunda editione vel adiecta fuerint, vel aliter constituta, accurate notentur.

XXXII.

Vere dici potest, quod veteres dixere, magistratum esse legem loquentem,

59) Reperitur in eo No. XII.

legem autem mutum magiſtratum. Itaque in legibus iubendis hoc maxime providendum eſt, ut magiſtratus ne deſint, qui iuſſas recte et cum dignitate exſequantur. Quod ius olim in Academia noſtra, ſicut in plerisque, fuit penes Prorectorem et Patres; quorum ille cognoſcebat cauſſas civium, de iis ad Senatum referebat, ſententias ordine rogabat, et quae plurimis placuiſſet, ex ea ſtatuebat, decernebat, agebat. Erat enim haec tota morum iuvenilium cenſura et diſciplina plane compoſita et conformata ad morem patrum familias, qui in ſua quisque domo, ſi quid forte filii commiſerunt, optimi putantur et legum ſuarum interpretes, et poenarum exactores eſſe. At vero quum et Prorectorum vices, et diſſimilitudo ingeniorum, et in tractanda diſciplina diverſitas aliquid ſive inconſtantiae, ſive etiam detrimenti, importare in res academicas viderentur: illo ipſo inſtaurationis anno novus eſt civibus Praefectus datus, qui cauſſas illorum diligenter cognoſcat, cognitas calamo in commentarios iudiciales, ore ad Patres referat, quorum deinde eſt deliberare, disceptare, decidere, moderante quidem Prorectore, ſed ita, ut Praefectus et praerogativam habeat, et ſua ſuffragatione momentum afferre ſententiis ſenatoriis, quo res decernatur, et vero iisdem etiam intercedere poſſit. Quod ſi quando evenerit, res diiudicanda ei proponitur, qui Curatoris vicem in Academia gerit. Praefecti munere primus apud nos functus eſt vir illuſtris, idemque ut iuris ac legum conſultiſſimus, ita ſervantiſſimus aequi et honeſtatis, LVDOVICVS CHRISTOPHORVS FERDINANDVS ASVERVS, I. V. D. Academiae Syndicus: qui quum ſe poſt duos fere annos eo abdicaviſſet, in eius locum ſucceſſit vir ampliſſimus, LVDOVICVS DE GOHREN, I. V. D. qui iam tres prope annos, et nunc quum maxime, hanc provinciam, cum Secretarii academici munere coniunctam, naviter ſtudioſeque adminiſtrat.

XXXIII.

Secundum hoc munus aliud novum in hac Academia conſtitutum eſt colligendis atque exigendis minervalibus doctorum. Haec enim paene maxima calamitas adhuc premebat Academiarum magiſtros, ut eos oporteret tamquam ſtipem corrogare et cogere honoraria ab his, qui ipſorum ſe diſciplinae et inſtitutioni tradidiſſent. Quid? eadem ſingulis ſemeſtribus ita renaſcebatur calamitas, ut prae nobis beatiſſimi viderentur fuiſſe antiqui illi in Graecia doctores, non tam quod didactra acciperent longe longeque ampliora,

(plerique enim inde a Protagora Abderite, qui sapientiam primus venalem circumtulisse fertur, non minus quam centum minas, h. e. fere duo millia imperialium ab auditoribus exigebant,) quam quod semel accepta operae merces numquam redintegraretur. Sed exhausta Graecorum liberalitate, quam vere iam M. Seneca 40) conquestus sit, parvam eorum mercedem esse, qui hermeneumata doceant, id vero apud nos non tantum qui in hermeneumatis tradendis subsistunt (quamquam hi maxime et frequentissime), verum etiam qui ultra progrediuntur, quanto vel verecundiores essent vel indulgentiores, tanto fere maiore cum detrimento suo senserunt. Accessit, ut haec doctorum indulgentia non raro perniciosa exsisteret civibus, qui, ut fit, acceptos solvendis honorariis numulos longe alios in usus vertebant, quam parentes tutoresve sive speraverant, sive etiam iusserant. Compellare cunctatores, urgere, in iudicium rapere, posthac, ubi aere nondum liberati hinc sese proripuissent, tamquam mala nomina flagitationibus, minis, poenis persequi, id vero multi doctores, quantumvis ex lege possent, malignitatis opinionem veriti nolebant. Vnde evenit, ut indignis saepe modis fraudati honorario, grave damnum perpeterentur. Quocirca ut et discentibus pecuniae recte collocandae cum facultate voluntas conservaretur, et docentibus tot curae, incommoda, molestiae adimerentur, Principum iussu creatus est Quaestor Academiae, apud quem, indictis scholis semestribus, qui adire eas cupiunt, nomina sua debent profiteri. Paupertatem legitimis testimoniis fassi, solvendo minervali honeste liberantur: ceteros repraesentare oportet pecuniam, quae a Quaestore deinde, detracta pro rata parte minuta summula, singulis doctoribus redditur. Novo instituto novae leges scriptae et academicis adiunctae sunt. Quaestoris muneri primus apud nos admotus est vir praenobilissimus et multae navitatis, Henr. Frid. Ionathan Zerbstivs, Academiae Actuarius.

XXXIII.

Accidit nobis, quod magno olim Gesnero, quum de statu Academiae Georgiae Augustae narraret 41). A capite, ut ille ait, hoc est, ab optimarum legum institutorumque ratione, devenimus ad ventrem, qui ne in Academiis quidem prorsus negligendus est. Nam quis nescit fuisse, qui ingenii

40) Excerpt. Controv. IX, 3.

41) Opuscul. minor. To. IV. p. 395.

adeo sedem in stomacho quaererent? Quod sive illi ita crediderint, sive potius finxerint, ut coniunctam fere cum voracitate et bibacitate stuporem et stoliditatem irriderent: hoc tamen certissimum est, longoque usu exploratum, ab ingeniis non magis, quam a corporibus, depellendam esse famem sitimque, si litterarum studia succedere et quasi maturescere velimus. Numquam aut perraro emergunt, qui victus quaerendi sollicitudinibus, tamquam fluctibus, usque obruuntur. Quapropter iam a primis huius Academiae iisque sapientissimis conditoribus beneficium convictus gratuiti concessum est iis, qui, quum litterarum studia appeterent, re familiari laborarent. Aucto civium numero, subinde auctum illud beneficium est, tum Principum publica munificentia, tum privata liberalitate nonnullorum, qui divitias optime collocari in sustentandis egenis sibi persuasissent. Quo nomine Max. Gerstenbergkii, Iacobi Friderici Amthoris et Io. Georgii Kleberi tam grata est Academiae nostrae memoria, eos ut inornatos his Annalibus sileri nefas existimemus. Sed convictus antiqua ratio iam displicere huic aetati: antiquitas nimis prisca videri: et erant profecto, quae nec iuvenum nostrorum moribus, neque temporum rationibus, convenire amplius viderentur. Prandebant omnes coenabantque in communi coenaculo: commilitonibus cibi potusque ministrabantur ab commilitonibus: neque magister aberat, qui coerceret compesceretque iuvenilem, si qua esset, inter prandendum levitatem. Sed eiusdem erat, prospicere, quantum posset, alimentorum salubritati, de eaque re, quando opus videretur, ad Inspectorem convictorii referre. Nam ex hoc quidem genere increbescebant querelae, quas accipere tanto erat humanius, quanto magis convictores nostros moribus suis abhorrere volebamus ab eo, quem sine sensu, sine sapore hominem Pseudo-Cicero [42]) descripsit. His incommodis omnibus quo levaretur beneficium, civiumque desideriis satis fieret, Principes serenissimi ita instituerunt, ut iam qui beneficio illo fruuntur, alumni potius quam convictores, ex iis, qui exercendi cauponias artes iure ornati sunt, suum quisque sibi cauponem eligere possint, apud quem, stipulata pecunia, quae ex aerario solvitur, quibuscum velint, iucundius epulentur. Denique, ut et rite omnia legitimeque agantur, et tantum beneficium apud dignos et gratos ponatur, adolescentibus alimentariis adhuc praeest Inspector, idem ille, qui hos

42) Or. post reditum in Sen. 6.

Annales composuit, cuius est referre de his rebus ad Consistoria Principum et academicum Senatum, eorumque mandata et consulta exsequi; Lector Convictorii ex antiquato munere qui olim nuncupabatur, Io. Christ. Frider. Kirchhofius, Philos. D. nunc instituti a rationibus est; latae sunt alumnis leges, quibus beneficii tempus, usura, conditiones continentur 43). Postremo decreta ante hoc septennium Hungaris et Transsylvanis pars haud exigua beneficii, magnisque popularium plausibus excepta 44), iisdem etiam nunc reservatur, si forte illucescat aliquando exoptatus dies, quo et illi suorum votorum damnentur, et nobis recipere familiares in pristinam consuetudinem et gratum utrisque contubernium liceat.

XXXV.

Sic instaurata faustis ominibus Academia, quid per tres insequutes annos actum apud nos, qua ratione munia academica curata sint, longum est enarrare: neque ego, nisi quae iussus sum, facio, si res, his annalibus consignandas, non supra initium anni 1821 repetam. Ad illa igitur pro se quisque intendat animum, quae proximis ab instauratione annis constantia fuerit Principum, quae doctorum contentio, quibusque artibus tandem effectum sit, ut imminentes Academiae calamitates averterentur. Quas quidem calamitates singulatim enumerare, etiamsi ex consilio horum annalium liceret, tamen reformidarem, ne refricare obductas iam reipublicae cicatrices viderer. Nam ad reliqua vulnera novam nobis et paene insanabilem plagam inflixerat mors viri egregii et sempiterna pietate colendi, Christiani Gottl. Voigtii, qui alienissimo tempore patriae ereptus, prudentiae, auctoritatis, benevolentiae et caritatis triste nobis ac perpetuum desiderium reliquit. Etenim per triginta amplius annos illum non ut Curatorem Academiae revereri, sed tamquam deum tutelarem colere, sed ut patrem diligere consueveramus: neque ego usurpare eius nomen possum, quin ex intimo pectore, nec sine collegarum consensu, Horatianum illud repetam:

---

43) Has leges repeti curavimus in Corollario No. XIII.

44) Testatur *Pietatis monumentum, quod Serenissimo Domino, Carolo Augusto — — nomine Hungarorum, olim Academiae Ienensi adscriptorum, posuit Io. Seberini*, Poson. 1816. 4.

Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior, quam mihi! —

XXXVI.

Singulari quodam fato accidit, ut paucis diebus post, quam Voetius mortem obiisset 45), ingens Academiae, tutore suo orbatae, tempestas excitaretur, quam aliae subinde aliaeque procellae subsequutae sunt. Flecti fata non posse, etiam nunc graviter sentimus; verum tamen huic sensui ea iam admixta est suavitas, quam auctore eruditissimo poeta, *integer vitae scelerisque purus* percipit, qui, quum turbata ventis aequora et laborantes in fluctibus naves videt, gestat in suo pectore, quod pellat metum, et ad pericula muniat. Quid? illa ipsa tempestas nobis attulit, quod spem nostram et fortunam refocillaret. Nam quum paullo post placuisset foederatis per Germaniam Principibus, unicuique litterarum Vniversitati praefici virum, qui rerum academicarum curam et tutelam Commissarii extraordinarii nomine susciperet: nobis ita favit propitium numen, ut Praefectum nancisceremur, prudentia, usu et exercitatione praeditum, eumdemque humanitatis et aequitatis exquisitissimo sensu imbutum, qui, quantum potest, levare doctorum labores, consolari aerumnas, animosque comitate et mansuetudine et sibi et rebus academicis conciliare annititur. Quamobrem Philippi Gvilielmi Motzii nomen lubenter his annalibus inscribimus, qui bonis cum votis ominibusque datus nobis d. 10 Ianuar. 1820, quo adhuc animo in Academiam fuit, eum animum ita conservabit, ut et nos, quod per temporum necessitatem amisimus, multo maioribus cum commodis redditum nobis laetemur, et ille non aequalium tantum praeconio celebretur, sed magis apud posteritatem, severam et integram factorum iudicem, nobilitetur atque inclarescat.

XXXVII.

Hoc defuncti officio, annos proxime superiores ita percurremus, non ut res in iis actas recenseamus, sed ut, qui Prorectores secundum quos creati sint, et qui praeter illos semestres magistratus gesserint, commemoremus. Vtrisque enim potissimum debetur rerum academicarum administratio, siquidem ex lege et more huius Academiae Prorectori in concilio assident quaternorum Ordinum Decani, sive ut consulant per sententias et suffragia, sive ut consulta re factoque adiuvent.

45) Natus d. 23 Dec. 1745 obiit d. 22 Mart. 1819.

Ceterum Decani apud nos sibimet invicem succedunt ex loco, quem in suo quisque Ordine tenet. Neque alia Prorectorum successio est: qui quamquam suffragiis Patrum eliguntur, in ipsa tamen electione et vices Ordinum, et in Ordinibus singulorum ordo Professorum spectantur. Quo fit, ut perraro, nec sine aliqua memorabili caussa, in his continuis successionibus aliquis vel Ordo vel Professor omittatur. Id si quando evenerit, idem evenit Romanis, apud quos sic interdum de caelo servabatur, ut, quos possent creare magistratus, nollent, quos vellent, creare non possent. Qua de re pontificum annales narrarunt: quibus deperditis, qui magnum morum illius aetatis pernoscendorum adminiculum interiisse conqueruntur, non satis cogitant, annalium publicorum hanc fere conditionem et naturam esse, non ut interpretes ὀψιμαθεῖς, sed ut vel aequales candidos, vel eum ipsum, qui scripsit, explicatores desiderent.

XXXVIII.

Revertimur ad annum instaurationis. Quo anno fasces Academiae primum susceperat vir perillustris, Io. Christianvs Starkivs, Decanis *Io. Traug. Lebr. Danzio*, *Andrea Ios. Schnauberto*; *Io. Frid. Fuchsio* et *Henr. Ludenio*. Civitate donati sunt iuvenes ducenti duodecim.

Redierant paullo post vices Prorectoratus ad Ordinem Philosophorum in eoque ad horum Annalium scriptorem. Vterque tum omissus fuit. Translati per commutationem fasces ad Theologos. Itaque per aestatem anni 1818 summum magistratum vir summe reverendus, Io. Philippvs Gablervs, quartum gessit: Decani fuerunt *Henr. Aug. Schottus*, *Christ. Guilielmus Schweitzerus*, *Io. Christian. Starkius*, *Carolus Frider. Bachmannus*. In civium numerum recepti sunt centum octoginta septem.

XXXVIIII.

Per hiemem anni 1818—1819 Prorectoris munere nonum functus est vir perillustris, Io. Henricvs Voigtivs: Decanos in concilio academico adiutores imperii habuit *Io. Trang. Lebr. Danzium*, *Andr. Ios. Schnaubertum*, *Io. Frid. Fuchsium*, *Henr. Car. Abr. Eichstadium*. Adsciti in civium academicorum ordinem ducenti et decem: in his duo Principes augusti, *Bernardus Erich Freund*, Divi Georgii F., Dux Saxoniae, Princeps Meiningensium, et *Paullus Fridericus*, Friderici Ludovici F., Princeps Megalopolitanorum, quorum utrumque virtutes maiorum suorum et parentum celsissimorum felici aemulatione esse repraesentaturum boni omnes augurantur.

In aestivum semestre anni 1819 Prorector primum creatus est vir illustris, C. G. Konopack: Decani fuere *Io. Phil. Gablerus*, *Andr. Iosephus Schnaubertus*, *Io. Christian. Starkius*, *Io. Henr. Voigtius.* Civitas data est iuvenibus centum quadraginta quinque.

XL.

Huic successit vir perillustris, Io. Fridericus Fuchsius, per hiemem anni 1819 — 1820 quintum Prorector. Decanatum gesserunt in suo quisque ordine *Henr. Aug. Schottus*, *Paullus Christoph. Gottl. Andreae*, *Io. Christ. Starkius*, *Henr. Ludenius.* Albo Academiae inscripti sunt centum.

Hinc translati sunt fasces ad eloquentiae Professorem, Henr. Carolum Abr. Eichstadium, qui per aestatem anni 1820 Academiam tertium rexit. Additi sunt Decani *Io. Traug. Lebr. Danzius*, *Andr. Ios. Schnaubertus*, *Io. Frider. Fuchsius*, *Car. Frid. Bachmannus.* Civitatem academicam adepti sunt centum et duodecim.

XLI.

Per hiemem anni 1820 — 1821 supremi magistratus honos et munia redierunt ad virum summe venerandum, Io. Travg. Lebr. Danzium, Decanis *Io. Phil. Gablero*, *Paullo Chr. Gottl. Andrea*, *Io. Christian. Starkio*, *Io. Godofr. Ludov. Kosegartenio.* Civitati nostrae nomina dederunt iuvenes centum et quinque.

XLII.

Iam ineunte anno 1821, de quo proprie nobis dicendum est, quum *Danzius* Prorector propter gravissimas occupationes in comitiis provincialibus Vimariensibus Iena discessisset, atque Exprorector, suarum rerum satagens, deposita retractare gubernacula verecundaretur: Io. Fridericum Fuchsium, virum perillustrem, qui hoc munus anno ante administraverat, Prorectorem vicarium Senatus iussit; Principes honorificentissimis litteris ratum habuere. Is die IV Februarii insignia cum imperio tradidit viro illustri iurisque consultissimo, Pavllo Christophoro Gottl. Andreae, Prorectori primum creato: Decani fuerunt *Henr. Aug. Schottus*, *Andr. Ios. Schnaubertus*, *Io. Frid. Fuchsius*, *Io. Henr. Voigtius.* In iis, quae ad universam Academiam pertinent, hoc seme-

ſtri id maxime actum eſt, ut quibus finibus iurisdictio academica contineretur, et qui cives praeter ſtudioſos litterarum huic foro ſubiecti eſſent, accurata lege conſtitueretur 46).

De civium, ſtudia litterarum in Academia Ienenſi aemulantium, numero ſi quaeratur, imminutus ille anno ante 47) inſigniter fuerat, non noſtra quadam communi culpa, ſed vel temporum vitio, vel fortunae arbitrio: nos quidem certe, qui ſapere didiciſſemus, res noſtras ita ſemper curavimus, ut ſuam a nobis alienationem nemo poſſet commendationem ſibi ad viros bonos et prudentes exiſtimare. Omnino in recipiendis civibus et academica civitate donandis magna apud nos adhibetur cautio, ne irrepant, qui aliunde naufragio quaſi quodam eiecti, ſuae ſibi nequitiae nidum hic ſtruere conantur: recepti, in magna legum ſeveritate, tamen habentur liberaliſſime, quippe quos inde ab eo tempore, quo promulgatae ſunt novae leges, etiam fidem ſuam data dextra non minus, quam iuris iurandi ſanctitate, nobis obſtringere cenſeamus: denique ita tractantur, ut cavere nos peccata malle, quam ulciſci, appareat. Quam unam diſciplinae veram moderandaeque iuventuti conſentaneam rationem arbitramur.

Andrea Prorectore, comminutus civium numerus, quamquam reditus non dabatur Boruſſis, tamen creſcere coepit. Recepti in civitatem centum et novem adoleſcentes: in his triginta ſeptem theologiae, totidem iurisprudentiae, unus et viginti medicinae, quattuordecim philoſophiae artiumque ſtudia profeſſi ſunt. Vniverſus civium noſtrorum numerus erat CCCCXLIV.

Mite et pacatum fuit Andreae imperium, nullis aut turbis infeſtatum, aut difficultatibus preſſum. Fidem cives atque induſtriam probarunt: celebratae doctorum ſcholae, imprimis quae litteras ſacras, quae iuris ſcientiam, quae artem ſalutarem diſcentibus offerrent; in ceteris omnium maxime hiſtoricae. Parcum fuit matheſeos, parcum philoſophiae ſtudium: parcius philo-

---

46) Data eſt lex Vimariae die 1 Iun. 1821.

47) Nam per hiemem anni 1818 — 1819 omnino cives in hac Academia erant 676, in eisque 415 extranei, qui nec iuſſi, nec prohibiti, ſuamet voluntate, parentum conſilio firmata, hanc potiſſimum ſuorum ſibi ſtudiorum ſedem delegerant. Tum vero decreſcere numerus civium: per aeſtivum ſemeſtre a. 1819 omnino 548, per hibernum 496 numerabantur: per aeſtatem a. 1820 fuere 479, per hiemem 435, in iisque populares multo plures, quam exteri.

logiae artiumque humanitatis [48]): cuius rei caussas iam exquirere non lubet. Et de caussis rerum incorruptius iudicabit posteritas: annalium scriptoris est, res integre et cum fide narrare.

XLIII.

Iam quae in singulis Ordinibus hoc semestri acta Decani nobis ex commentariis suis retulerunt, sigillatim exsequemur.

De *Ordine Theologorum*, cui SCHOTTVS Decanus praeerat, nihil ad nos perlatum est.

Neque in *Ordine Iurisconsultorum*, quicquam accidisse, quod in acta referretur, a SCHNAVBERTO Decano nunciatum.

In *Medicorum Ordine*, STARKIO primum, deinde FVCHSIO Decanis, sed eodem anno, inde a Calendis Ianuariis usque ad diem 4 Augusti, tredecim candidati, exploratis per legitima tentamina, quas in sua quisque arte fecissent, progressionibus, summos medicinae et chirurgiae honores obtinuerunt, hoc quidem ordine:

1) *Ioannes Christianus Kulmbacher*, Hilperhusanus.

2) *Carolus Frid. Guil. Röhler*, Rudolstadiensis.

3) *Augustus Guil. Coith*, Kirchberga-Montanus.

4) *Ioan. Dan. Griot*, Cellerina-Helvet.

5) *Ioan. Ernestus Günther Wundsch*, Erfordiensis.

6) *Christophorus Frid. Imman. Richter*, Salza-Meiningensis.

7) *Frid. Guil. Bernardus Theme*, Ilmenaviensis.

---

48) Huc spectat prooemium nostrum, continens Christophori Cellarii de neglectu philologiae in Academia Halensi querelas, quod praefixum est indici scholarum aestivarum, repetito in tertia huius operis Parte No. II.

8) *Adolphus Guil. Bartenstein*,
Hilperhusanus.

9) *Paullus Diez*,
Nordhemio - Meiningensis.

10) *Christianus Frid. Eduardus Stark*,
Ienensis.

11) *Io. Franciscus Robertus Löwenberg*,
Ostridio - Lusatus.

12) *Christianus König*,
Tiefenorto - Isenacensis.

13) *Iosephus Augustus Voigt*,
Düsseldorpiensis.

Denique scholas academicas habendi potestas data est viro experientissimo, Aemilio Huschkio, archiatri Vimariensis celeberrimi filio, postquam conscriptam a se ex cathedra defenderat luculentam dissertationem huius tituli et argumenti: *Mimices et physignomices fragmentum physiologicum*, Ienae, typis Schreiberi, 35 pagg. in 4. Dies certaminis fuit 28 Iulii. Adversarii prodierunt *Ferd. Handius* ac *Theobaldus Rennerus*, Professores, et *Godofredus Guil. Osann*, Philos. Doctor. Repetita est dissertatio in tertia parte Annalium No. X.

In *Ordine Philosophorum*, Voigtio Decano, undecim deinceps Doctores creati sunt hoc ordine et appositis his elogiis:

1) *Guilielmus Smetius*,
Gymnasii regii, quod Confluentiae floret, nuper praeceptor, nunc Seminarii Aquisgranensis dioecesani Coloniae alumnus, sacerdotii suscipiendi caussa mox inaugurandus.

Is parentibus Teutonicis tum peregrinantibus Revaliae in Esthonia natus, speciminis caussa libellum misit: *Was bestimmt den Menschen seine Vorstellungen durch die Sprache auszudrücken, und auf welchem Wege gelangt er zur eigentlichen Sprache?*

2) *Ioannes Fridericus Elhardt*,
Chemnicio - Misnicus,
qui trium Academiarum litteraria stadia magna cum doctorum suorum laude emensus, nunc in Universitate litterarum Berolinensi philosophiae et cameralium disciplinarum studia tractat.

3) *Carolus Ludovicus Boſſart,*

Magiſter ſuperior in Gymnaſio quod Friedlandiae floret.

4) *Fridericus Kortüm,*

Profeſſor hiſtoriarum ordinarius in reſtituta nuper Vniverſitate Baſileenſi.

Inſignem doctrinam probavit edito libro: *Zur Geſchichte helleniſcher Staatsverfaſſungen.*

5) *Erneſtus Ioannes Hübner,*

Curonus.

Miſit hiſtoricam diſſertationem: *Geſchichte der Ruſſiſchen Monarchen, geſammelt und bearbeitet aus zuverläſſigen Ruſſiſchen Originalſchriften.*

6) *Carolus Hermannus Scheidler,*

Gothanus.

Diſſertationem Ordini exhibuit latine conſcriptam *de morte voluntaria,* quae paullo poſt typis impreſſa prodiit.

7) *Carolus Rudolphus Meyner,*

paedagogii Regii Halenſis collega.

Diſſertationem miſit hiſtorico-mythologicam *de modo, quo Homerus deos Graecis et Troianis auxiliantes induxit.*

8) *Amadeus Wieſsner,*

diſciplinarum mathematicarum in ſchola cathedrali Numburgenſi doctor publ. ord., Societatis lat. Ienenſis ſocius honor.

Speciminis loco propoſuit quaeſtionem: *Quibus de cauſis plerique homines in gratia referenda ſint negligentes.*

9) *Daniel Ioannes Griot,*

Celleria-Helvetus.

Medicinae, Chirurgiae et artis obſtetriciae Doctor, Soc. Magniduc. mineralog. Ienenſis ſod. ordin.

10) *Io. Theophilus Ludov. Carol. Dielitz,*

Berolini privatim litteris vacans.

11) *Chriſtianus Güntherus Linzel,*

Praeceptor primus ſcholae Niemburgenſis.

Eodem Decano vir doctrina ſcriptisque philologicis clariſſimus, Fridericvs Osann, qui ſummos philoſophiae honores in Academia regia Berolinenſi impetraverat, primum inter Doctores noſtrates legitime cooptatus, deinde Profeſſorum philoſophiae extraordinariorum numero adſcriptus eſt.

Collata quoque est philosophiae professio extra ordinem in virum clarissimum, FRIDERICVM GOTTLOB SCHVLZIVM, Saxonem, Philosophiae apud nos Doctorem creatum, qui quantum rerum cameralium rusticarumque scientiam doctrinae elegantia ornet, veteremque disciplinae Portensis gloriam exemplo suo tueatur, cognovimus ex eleganti dissertatione de aratri Romani forma et compositione, quam ante hoc fere biennium, docendi veniam impetraturus, pro cathedra disceptavit.

XLIIII.

Acta haec sunt per aestivum semestre. In hibernum gubernacula rei publicae d. 4 Augusti sextum suscepit vir perillustris et experientissimus, IO. FRIDERICVS FVCHSIVS: Decani creati *Io. Traug. Lebr. Danzius*, *Paul. Chr. Gottl. Andreae*, *Io. Christ. Starkius*, *Henr. Car. Eichstadius.*

Illustrem maxime et notabilem Protectoratum fecerunt novae leges (*statuta* vulgo appellant) doctoribus academicis diebus 18 et 24 Septembris scriptae: ad quas perferendas Senatus die 5 Octobris est convocatus, frequentesque convenerunt etiam ceteri Academici. Promulgatae in curia leges. Praesens cerimoniae affuit vir perillustris, PHILIPPVS GVILIELMVS DE MOTZ, cuius curae Academia tradita est.

Accessere civibus octo et nonaginta: in his unus et quadraginta theologiam, triginta tres iurisprudentiam, quattuordecim artem medicam, decem philosophiam et studia humanitatis sectantur. Vnum morte amisimus, praeclarae spei iuvenem, Megalopolitanum. Numero civium, qui per aestatem fuerat, novem decessere: nec mirum: nam inde ab aliquot saeculis aestiva spatia plures apud nos, quam hiberna, et ingredi et decurrere solent.

Mansit litteris ac disciplinis, maxime iis quae efficacissimum fortunae subsidium afferre putantur, suus honos, sua dignatio: frequentes scholae doctorum: nec privata studia intermissa sunt. Nullum in civitate nostra nefas, a sceleribus et flagitiis ortum: petulantiam iuvenilem, si qua fuit, quamquam perrara fuit, monitis et animadversione facile correximus: gravioribus poenis non opus fuit.

XLV.

Tantum de statu universae Academiae: in singulis Ordinibus haec acta sunt.

In *Ordine Theologorum*, Danzio Decano, die 5 Octobris novae Ordinis Theologorum leges (*ſtatuta* vulgo appellant) publicatae ſunt.

Die 17 Octobr. vir ſumme reverendus, Beniamin Geithnervs, Ephorus Weidanus, quum Magiſterii ſolemnia ſemiſaecularia celebraret, Doctor theologiae creatus eſt.

Ordini Iurisconſultorum, ſub Decanatu Andreae, vir doctiſſimus, *Carolus Fridericus Erneſtus Kochius*, Ienenſis, diſſertationem inauguralem *de fideiuſſione ad tempus*, et vir generoſiſſimus, *Fridericus Leonardus Antonius* Liber Baro *de Laſsberg*, Lindavia-Acronianus, inauguralem commentationem: *Obſervationes ad ius ſui heredis praeſertim ratione nepotis*, obtulerunt. Vtraque diſſertatio Ordini probata typisque exſcripta fuit. Kochio ſummi in utroque iure honores collati ſunt: Laſsbergius eosdem iam biennio ante ab Ordine conſequutus erat.

Illud autem et Ordini et univerſae Academiae laetiſſimum accidit, quod vir illuſtriſſimus, *Fridericus Carolus Adolphus de Trützſchler*, ſereniſſimi Ducis Saxoniae Gothanae Comes conſiſtorianus, ſacri Conſiſtorii Praeſes, Cancellarius primarius, Collegii de vectigalibus publicis Director, nobilis et liberi Magdalenaei Praepoſitus, illo ipſo tempore, die 23 Octobris, meritorum, quae muneribus graviſſimis adminiſtrandis in patriam contulerat, ſummorum ſemiſaecularem diem agebat. Nam pertinere ad nos privatim exiſtimabamus laetitiam publice cum votis captam de cruda et vegeta ſenectute viri, qui adoleſcens olim, inter cives noſtros receptus, hanc Academiam ſtudiorum aſſiduitate, Societatem Latinam induſtria et eruditione, vir factus utramque conſtantiſſimo favore gratique animi benevolentia ornaſſet. In illa igitur ſolemnitate, ut Ordo Prudentum ſummam, qua tantum virum colit, reverentiam declararet, ipſi ſummos in utroque iure honores ultrodecrevit. Diploma 49) Decanus ipſe, Altenburgum profectus, Ordinis ſui nomine, et cum ampliſſimis Senatus academici mandatis, gratulabundus obtulit.

Denique eodem Decano *C. G. Konopackius*, *Aug. Sig. Kori*, *Car. Guil. Walchius* et *Frid. Ortloffius*, viri illuſtres, in numerum eorum, quibuscum omnia Ordinis iura communicari ſolent, die 11 Ianuarii a. 1822 recepti ſunt.

---

49) Recuſum illud nuper eſt in libello: *Denkſchrift der funfzigjährigen Dienſt-Jubelfeier Sr. Exc. des Hn. Friedr. Karl Adolph v. Trützſchler — — — am 23 Oct. 1821.* Altenburg, 1822. 8.

In *Medicorum* Ordine, Starkio Decano, legitimis examinibus peractis, medicinae et chirurgiae Doctores creati sunt

1) *Amadeus Fischer*,
Bernas Helvetus;
2) *Iacobus Leidner*,
Altenburgensis;
3) *Fridericus Guilielmus Fischer*,
Hildburghusanus;
4) *Carolus Augustus Sonntag*,
Strehla Misnicus.
5) *Carolus Augustus Rublack*,
in principibus nuper vulnerariis legionis Saxonicae regiae, cui Dresdae iam otianti, honores absenti decreti sunt;
6) *Guilielmus Mauritius Stark*,
Vimariensis.

Ac postremus quidem publice in consessu Professorum Doctoratus honoribus auctus est, disceptata ex cathedra dissertatione *de perforationis et perforatoriorum historia*, 32 pagg. 4. Solemnia programmate indixit Decanus *de graviditate extra-uterina coniuncta, observatione illustrata*. Part. I: quod programma, quum ex instituto annalium tertiae huius operis parti inserendum fuisset, nunc quidem omisimus, ita volente celeberrimo auctore, qui illud auctius proximo Annalium volumini reservat.

Eodem Starkio Decano, tria in lucem emissa sunt scripta Doctorum, quibus summi honores iam ante contigerant:

1) *De astrorum in corpus humanum imperio*, auctore *C. F. Kretschmar*, Chemnicensi. 72 pagg. 4.
2) *Synopsis calculorum urinariorum*, auctore *Theodor. Mossdorf*, Dresdensi, 40 pagg. 4.
3) *Analecta ad historiam circuitus sanguinis*, auctore *Adolpho Ferdinand. Haynel*, Lomatio-Misnico. 52 pagg. 4.

Denique eodem in Ordine gratioso vir amplissimus atque experientissimus, C. F. Hevsingervs, ex Georgia Augusta huc evocatus, die 5 Novembris professionem medicinae extraordinariam rite adiit, habita oratione *de modo, quo corpora pseudorganica vegetativa in hominis et animalium corpore reperienda generantur sensimque transmutantur*. Indicendae orationi programma scripserat, continens observationes *de metamorphosi rostri pici et de generatione mucoris in organismo animali vivente*, quod repetitum est in tertia parte Annalium No. IX.

Superest, ut de *Philosophorum Ordine* dicamus, cuius Decanatum inde a die 4 Aug. a. 1821 usque ad diem huius anni 2 Februar. is gessit, qui hos Academiae annales composuit. Quo quidem Decano decem Doctores, tres Magistri creati sunt.

Doctorum nomina et eruditionis specimina, quae obtulerunt, haec sunt:

1) *Theophilus Petrus Sillem*,
Hamburgensis,
Mineralogiam in Collegio Carolino, quod Brunovici floret, adhuc cum laude professus.

Speciminis loco dissertationem obtulit, cuius materies est accurata *descriptio recens repertorum quorundam eleutheratorum Brasiliensium.*

2) *Henricus Albertus Clemen*,
Lemgovio-Luppus,
Seminarii Ienensis nuper sodalis, industria, studio, progressibus imprimis probatus.

Misit *disquisitionem*, *quomodo nostra*, *quae seditiosa vocatur*, *aetas iudicanda sit.*

3) *Ioannes Michael Weise*,
Altenburgensis,
Iurisprudentiae et disciplinarum cameralium Candidatus, Societatis magniducalis mineralogicae Ienensis sodalis ordinarius.

4) *Carolus Guilielmus Bernhardt*,
Frohburgensis.

Dissertationem misit typis impressam *de Acido Borussico, sive Acido hydrocyanico recentiorum.*

5) *Augustus Henricus Reinecke*,
Rector de schola Doberiana optime merens.

6) *Carolus Vogel*,
Rev. Min. Candidatus, Paedagogii Wackerbartharuhae prope Dresdam constituti Con-Director et magister primarius, Societatis Latinae Ienensis sodalis.

7) *Ioannes Ludovicus Hartmann*,
Hirschberga-Silesius, Iuris Candidatus.

Doctrinam nobis probavit dissertatione huius argumenti: *Abhandlung über die Begriffe Recht und Billigkeit, in ihrem gegenseitigen Verhältnisse zum Staat.*

8) *Ioannes Ferdinandus Massmann*,
Berolinensis, Praeceptor in paedagogio publico Norimbergensi.

Exhibuit speciminis loco dissertationem, qua *comparatio Caroli Magni et Napoleonis Bonaepartis instituitur.*

Deinde *honoris cauſſa* Doctoris titulus et ornamenta decreta ſunt viris eruditiſſimis,

9) *Ioanni Theophilo Rhode*,
Regiae ſcholae militaris, quae Vratislaviae floret, Profeſſori, collegii examinandis candidatis in Sileſ. et Poſon. conſiſtorio, item collegii Regii militaris Vratislavienſis ad explorandos alumnorum in litteris progreſſus conſtituti aſſeſſori cet.
viro ingenii, eruditionis atque ſcriptorum laude florentiſſimo.

10) *Valentino Chriſtiano Friderico Roſt*,
Societatis Latinae Ienenſis nuper ſodali ordinario,
nunc ill. Gymnaſii Gothani Profeſſori, de litteris Graeciſ non ſolum docendo ſed etiam libris ſcribendis eximie merenti, eaque re Graeci nominis decorisque vero propugnatori.

Doctores iam antea creati, habitis in curia Academiae praelectionibus ἐπιδεικτικαῖς, Magiſterii iura eoque poteſtatem ſcholas in hac Academia habendi obtinuerunt viri clariſſimi,

1) *Frider. Guil. Ludovicus Wahl*,
Vimarienſis, die 29 Octobris 1821.

2) *Godofredus Guilielmus Oſann*,
Vimarienſis, d. 31 Octob. 1821.

3) *Carolus Hermannus Scheidler*,
Gothanus d. 1 Nov. 1821.

Horum primus, negotiorum multitudine praepeditus, veniam oravit impetravitque ab Ordine Philoſophorum, diſputationem publicam reiiciendi in proximum ſemeſtre: tertius propter valetudinis rationem non potuit de cathedra defendere libellum, quem *de morte voluntaria* ſcripſit, repetitum in tertia parte Annalium No. XIV. Secundus autem, Osannus, d. 12 Sept. publice disceptavit diſſertationem *de natura affinitatis chemicae*, quae et ipſa in tertia huius operis parte No. XIII recuſa eſt. In hac diſputatione adverſariorum partes egerunt *Eichſtadius* Decanus, *Oſanni frater* philologus et *Huſchkius*, Med. D.

Praeter hanc primam diſſertationem hoc ipſo ſemeſtri altera ex cathedra Philoſophorum defenſa eſt d. 8 Sept. 1821 a viro doctiſſimo raraeque et probitatis et induſtriae, Carolo Heinzio, Saalfeldano, Philoſ. D. qui, quum ad doctoris academici munus accingeretur, in urbem patriam revocatus eſt, ubi

nunc Reinhardto nostro, Rectori, iunctus Conrector una cum illo praeclare de Lyceo meretur. Dissertationis, in parte tertia Annalium N. XV repetitae, hic est index praefixus: *Cornelius Nepos e Thucydide emendandus atque iudicandus*, Ien. litt. Mauckii 45 pagg. 8. In publica disputatione fuit libellus obiectionibus *Eichstadii* Decani, *Handii* et *Osanni*, Proff. philologiae, liberandus: quod acriter periteque fecit Heinzius.

Denique hoc semestri Professores philosophiae extra ordinem creati sunt viri clarissimi, Christ. Imm. Hogelius et Carol. Guil. Goettlingius, quorum ille antehac in Gymnasio Erfordiensi historiam et philosophiam, hic in Neowedano litteras elegantiores docuerat. Hogelium, Philosophiae Doctorem Erfordiensem, nostratem fecimus d. 5 Nov. 1821: Goettlingius, qui noster iam erat, docendique facultatem praelectione ἐπιδεικτικῇ Ordini satis probaverat, ipsis Calendis Decembribus munus professorium adiit diserta oratione *de aristocratia veterum*: ad quam audiendam invitarat programmate *de notione servitutis apud Aristotelem*, Ienae, typis Schreiberi 12 pagg. 4. Programmati pariter atque orationi locus est datus in tertia parte Annalium No. XVI et XVII.

XLVI.

Vnum iam illud superest, ut et doctores recenseamus eos, qui hoc anno docendi provinciam reapse administrarunt, et scholas, non indictas solum, sed etiam habitas, ordine enumeremus. Quod ne quis forte aut ad opprobrium ceterorum doctorum trahat, aut indices scholarum, in tertia Annalium parte No. II et V repetitos, hac tamquam cavillatrice narratione confutari existimet, quid rei sit, et quid spectaverint, qui ita facere Annalium scriptorem iusserunt, breviter dicam. Scilicet isti indices scholarum, sive, ut inauspicato vocabulo appellantur, lectionum catalogi, haud multum distant a mercatu quodam celeberrimo, in quo res, quae auro argentoque redimi non possunt, quippe inaestimabiles, abundatissime liberalissimeque exponuntur. Praesto sunt, qui offerant suas opes, et ad alios transferri cupiant: exspectantur, qui accipere et velint et possint. Nulli parcitur paratui in instruendo mercatu: nil absconditur: nil domi servatur; quandoquidem ipsa mercium multitudo non modo opulentiam, verum etiam merita testatur hominum, qui tam beatam rerum praestantissimarum copiam assiduo meditandi, legendi,

scribendi studio sibi comparaverunt. Testatur, eadem liberalitatem possessorum, nemini quicquam invidentium, ipsiusque mercatus nobilitatem atque celebritatem auget. Interim fit, ut vel ex iis, qui ad illum invitarunt, alii negotiis, alii morbo, alii aliis rebus laborent, vel invitati, paucioribus contenti, tot tamque praeclaras res neque per ingenii nec per temporis rationem auferre secum queant. Itaque alia tolluntur, alia seponuntur in futuros usus, alia etiam relinquuntur. Quod nec mirum in tanta rerum copia, neque aut docentibus dedecori, aut discentibus probro est: si modo illi, quid litteris et Academiae, hi, quid sibi suisque parentibus debeant, utrique, quam brevis sit vita, quam ars longa, diligenter animo cogitent. Denique, ut etiam hoc addamus, in scholis nostris non exspectamus dumtaxat homines certos et diligentes, qui ad horam praesto sint: cum ista assiduitate coniunctam volumus esse tum iustum ordinem studiorum, tum eam provisionem mentis ac praeparationem, qua res traditae recte facileque intelligantur, ac domi repetantur: ut brevi comprehendam, ex veteri proverbio non multa suademus, sed multum. — Hoc igitur consilio, Decanorum commentariis adiutus, ex iis hunc indicem feci doctorum scholarumque: hac ratione cognosci eum cupio atque iudicari.

Per aestatem a. 1821 quattuor, qui constituti sunt Professores *theologiae* ordinarii, *I. Ph. Gablerus*, *H. A. Schottus*, *I. D. L. Danzius* et *L. F. O. Baumgarten-Crusius*, praeter Seminariorum et Examinatoriorum exercitationes, decem omnino scholas academicas habuerunt: ceteri, quo minus haberent, vel morbis vel aliis caussis impediti fuerunt. [Non fuit nisi unus theologiae Professor extraordinarius, *Aug. Kestnerus*, iam tum infirma et aegra valetudine, paullo post praematura nobis morte ereptus.]

Per hiemem eiusdem anni ab iisdem doctoribus totidem scholae sunt habitae: ceteri doctores, morbo retardati, aut non inchoaverunt scholas, aut inchoatas ad finem non potuerunt perducere.

Iureconsulti huius litterarum Vniversitatis *A. I. Schnaubertus* senior, *P. C. G. Andreae*, *C. G. Konopack*, *A. S. Kori*, *C. G. Walchius*, *F. Ortloffius*, *C. E. Schmidius*, *C. Martinus*, *C. Eichmannus*, *I. T. F. Schnaubertus* iunior, *C. I. A. Baumbachius* et *A. G. Schröterus* per aestatem huius anni scholis publicis privatisque docuerunt Encyclopaediam, ius publicum, interpretandi artem, iuris Romani historiam, Institutiones, Pandectas, singula eiusdem iuris Romani privati capita de pignoribus, et de legitima per universitatem

fuccessione, iuris criminalis, iuris ecclesiastici Protestantium et iuris Germanici privati dogmata, iudiciorum privatorum et publicorum ordinem, iuris, quod utriusque Saxoniae Albertinae et Ernestinae proprium est, privati praecepta caussarumque extraordinariarum ex legibus Saxonicis agendarum rationem, methodum denique ex iudicum commentariis apte referendi.

Per hiemem scholae publicae et privatae ab *A. I. Schnauberto* seniore, *P. C. G. Andrea*, *C. G. Konopackio*, *A. S. Kori*, *C. G. Walchio*, *F. Ortlossio*, *C. E. Schmidio*, *G. Martino*, *C. Eichmanno*, *I. T. F. Schnauberto* iuniore, *C. I. A. Baumbachio* et *A. G. Schrötero* habitae fuerunt, quibus Encyclopaediam, iuris naturalis iurisque publici principia docuerunt, iuris Romani historiam enarrarunt, Institutiones et Pandectas exposuerunt, Gaii Institutionum Commentarios interpretati sunt, pignorum, interusurii commerciorum et cambiorum iura explicarunt, Iuris Ecclesiastici Catholicorum, iuris feudalis et iuris Germanici privati praecepta tradiderunt, iudiciorum privatorum iura ordinario et extra ordinem habendorum rationem definiverunt, iuvenes denique in legibus iuris civilis ad caussas propositas applicandis et iudiciorum privatorum formulis componendis operam collocare iusserunt, eorumque, quos in universo iure Romano cognoscendo fecissent, progressus exploraverunt.

In Ordine *Medicorum* per eundem annum scholas habuerunt *Io. Fr. Fuchsius*, *Io. Chr. Starkius*, *G. C. Fr. Succovius*, *D. G. Kieserus*, *F. S. Voigtius*, *C. G. Starkius*, *Th. Rennerus*, *Fr. A. Walchius*, Professores, et *C. Chr. F. T. Goebelius* atque *Aem. Huschkius*, uterque artem suam privatim docens.

Scholae per aestatem institutae fuerunt de osteologia, syndesmologia, de botanice et historia naturali, de anatomia comparata; de arte obstetricia cum morbis recens natorum, de morbis oculorum, de operationibus chirurgicis, de physiologia, de physiologia morbi et pathologia et therapia generali, de pathologia et therapia chirurgica generali; de pathologia et therapia speciali, de pharmacologia et de arte formulas medicas conscribendi; de institutionibus clinicis medico-chirurgicis et ophthalmologicis nec non de praxi obstetricia in Nosocomio obstetricio; de historia medicinae philosophica, de doctrina Magnetismi animalis, de anatomia plantarum iunctis demonstrationibus in plantis vivis sub microscopio institutis, de pharmacia generali cum stoechiometria, de medicina forensi; de chirurgia veterinaria, de praeceptis formam equi diiudicandi, de praxi veterinaria.

Scholae, quae per hiemem huius anni habentur, sunt de anatomia c. h. theoretica et practica universa, de osteologia, de histologia, de historia evolutionis corporis humani; de pathologia generali, de chirurgia universa, de arte fascias et machinas chirurgicas applicandi; de pathologia et therapia speciali, de morbis oculorum et aurium; de pharmacologia et arte formulas medicas conscribendi, de materia pharmaceutica theoretica experimentali atque arte medicamenta ad puritatem et bonitatem probandi. Scholae clinicae medico-chirurgicae et ophthalmologiae nec non obstetriciae in Nosocomio continuantur. Examinatorium medicum theoretico-practicum instituitur. Denique acroases de arte, equorum ungulas soleis ferreis clavorum ope impingendis calceandi, cum anatome pedis equini eiusque morbis, de anatome animalium domesticorum, cum exercitationibus eadem dissecandi, de medicina veterinaria eiusdemque praxi habentur.

In Ordine *Philosophorum* Professores: *I. H. Voigtius*, *H. C. A. Eichstadius*, *H. Ludenius*, *I. G. Lenzius*, *C. F. Bachmannus*, *I. G. L. Kosegartenius*, *Ferd. Handius*, *I. W. Döbereinerus*, *I. Fr. Posseltus* et *F. Osannus*; Doctores: *I. C. F. Graumüllerus*, *F. A. Kleinius*, *I. F. C. Werneburgius* et *F. G. Schulzius*

per aestatem anni 1821 scholas publicas privatasque habuerunt

I. *philosophicas*, de logica et de politica arte;

II. *mathematicas*, de mathesi pura, trigonometria plana et sphaerica, de elementis analyseos et geometriae sublimioris, de elementis astronomiae theoreticae;

III. *historiae naturalis*, de botanice theoretica et practica, de botanice nemorum cum cultura et technologia, de botanice oeconomica, de mineralogia, geognosia et petrefactorum doctrina, de physica theoretico-practica, et de phytochemia sublimiori;

IV. *oeconomicas*, de agriculturae universae principiis;

V. *historicas*, quibus historiam medii aevi, novissimi temporis et Americae septemtrionalis enarraverunt;

VI. *philologicas*, quibus elementa linguae arabicae tradita, Graecorum antiquitates expositae, Sophoclis Antigone, Lycurgi adversus Leocratem oratio et Suetonii Caesares explicati fuerunt. Institutae etiam exercitationes Seminarii sodalium.

Per hiemem Professores: *I. H. Voigtius*, *H. C. A. Eichstadius*, *H. Ludenius*, *I. G. Lenzius*, *C. F. Bachmannus*, *I. F. L. Kosegartenius*, *Ferd. Handius*, *I. W. Döbereinerus*, *I. Fr. Posseltus*, *F. G. Schulzius*, *F. Osannus*; Doctores: *I. C. F. Graumüllerus*, *F. A. Kleinius*, *I. F. C. Werneburgius*, *C. H. Scheidlerus*, *G. G. Osannus*, *F. G. L. Wahlius*

scholis publicis privatisque docuerunt

I. in *philosophicis:* encyclopaediam philosophicam, logicen, politicen, et aestheticen;

II. in *mathematicis:* mathesin puram, elementa algebrae et geometriae sublimioris, doctrinam solidorum, et doctrinam combinationis;

III. in *historia naturali* et *physica:* mineralogiam, orologiam, oryctognosiam, physicam theoretico-practicam, chemiam generalem una cum stoechiometria, microchemiam pneumaticam, chemiam theoreticam, experimentis illustratam, cosmographiam;

IV. in *cameralisticis* et *oeconomicis:* de argumento, utilitate et studio doctrinarum cameralium s. oeconomicarum, de oeconomia politica theoretica et practica, denique exercitationes de pretio fundis statuendo;

V. in *historicis:* historiam antiquam et novi temporis;

VI. in *philologicis:* elementa linguae Arabicae; grammaticam linguae Hebraicae ac Persicae; historiam litteraturae Romanae; enarrationem Platonis Politices, Cyclopis Euripidei, Ciceronis librorum de oratore, Suetonii Caesarum et Taciti annalium. In Seminario philologico continuatae exercitationes.

XLVII.

Haec fere apud nos acta inde ab eo tempore fuerunt, quo Academia instaurata est. Quae si componantur iis, quae patres et maiores nostri gessisse traduntur, aut vana me opinio ludit, aut evidentissime apparet, doctores Academiae, intentos quidem recto et honesto, nec perverso quodam saeculi impetu abreptos, ad summam gloriam contendisse, in eoque semper elaboravisse, ut re et factis exprimerent, quod mentibus infixum tenebant,

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,
Μηδὲ γένος πατέρων αἰσχυνέμεν, οἱ μέγ' ἄριστοι
— — — ἐγένοντο — — —

U

Quandoquidem vero nec pari usque fortuna contendimus, neque contendentibus res et tempora aequaliter faverunt, neque his postremis temporibus quae singulis procellae impenderunt, eas effugimus universi: de iis, quae suasimus, suscepimus, egimus, appello posteritatem, eamque, ne aequalium quidem, quotquot boni et candidi sunt 50), reveritus iudicium, iudicem fero.

50) Neque illi defuerunt. Dum haec typis excuduntur, nobis in manus venit praeclarus doctrina praeceptorumque salubritate liber, quem Geo. Lvdovicvs Koenigivs, Rector scholae Vtinensis, *de humanitatis cultu, nulla ratione impediendo*, nuper conscripsit. Quo in libro haec leguntur p. 17: *Turbarum in academiis, quamquam quosdam litterarum studiosos in custodiam datos quaestionesque passim habitas esse legimus, quantum adhuc ex silentio coniicere licet, ne vestigium quidem deprehensum est. Dimissi sunt, qui correpti erant, quaestionesque exitum non habuere. Praesertim cives illius academiae, quae maxime licentiae insimulata est, culpamque quasi signi ad coetus ubique faciendos sublati per aliquod tempus sustinuit, modestia laudabili, diligentia et quietis studio calumniam istam optime adhuc refutarunt. In gravissimis rebus ad securitatem publicam pertinentibus vel diligentior cautio non potest reprehendi; nemo tamen, qui quidem apud animum perpenderit, qualis eorum, qui in academiis versentur, sit conditio, et quanta eius peracto statim triennio mutatio fieri soleat, a Musarum cultoribus aliquid timendum arbitrabitur, nisi humanitatem ipsam praesenti rerum statui periculosam esse iudicaverit.*

COROLLARIVM
PARTIS SECVNDAE
CONTINENS

MONVMENTA PVBLICA

RERVM ENARRATARVM.

I.

Carl August,
von Gottes Gnaden Grosherzog zu Sachsen u. s. w.

Unsern gnädigsten Gruss zuvor, Würdige, Hoch- und Wohlgelahrte, liebe Andächtige und Getreue! Das Wohl der Akademie Jena und die Behauptung des Rangs, welchen sie, von ihrem Ursprung an, unter den deutschen Universitäten einnimmt, ist von jeher ein Gegenstand der lebhaftesten Fürsorge, wie Unserer Fürstlichen Vorfahren, so Unsrer selbst gewesen. Es gehört daher zu Unsern angelegentlichsten Wünschen, dem in dem Verfall ihres Vermögenszustandes drohenden Verfall der Anstalt selbst, durch kräftige Hülfe und wirksame Maasregeln zeitig vorgebeugt zu sehen. Und da Unsere desfallsigen Anträge vorzüglich bey des Herzogs zu Sachsen Gotha Durchlaucht günstige Aufnahme fanden, so haben Wir Uns, nach erklärtem Austritt der Durchlauchtigsten Höfe zu Meiningen und Coburg aus der thätigen Gemeinschaft hinsichtlich der Gesammt-Akademie, mit Höchstgedacht Sr. Durchlaucht durch beyderseitige Bevollmächtigte über diejenigen Puncte vereinigt, welche der abschriftlich beyfolgende Vertrag nebst Beylagen enthält.

Indem Wir Euch diese Actenstücke zu Eurer Nachricht und beziehungsweise zu Eurer Nachachtung mittheilen, fügen Wir noch folgende Erläuterungen hinzu:

Eine Stelle bey der akademischen Speise-Anstalt kann nur derjenige Studirende erhalten, welcher einen Admissionsschein, entweder von einem der Grossherzogl. Ober-Consi-

ſtorien zu Weimar und Eiſenach, oder von einem der Herzogl. Ober-Conſiſtorien zu Gotha und Altenburg, oder von den Herzogl. Ober-Conſiſtorien zu Meiningen, Coburg und Hildburghauſen, oder endlich von der Geſammt-Univerſität ſelbſt, von den Verleihern der Drackendorfſchen und Amthorſchen Tiſchſtellen empfangen hat.

Nur auf den Grund ſolcher von den genannten Behörden und reſp. Privatverleihern ausgeſtellten Admiſſionsſcheine kann auf eine Stelle bey der Speiſe-Anſtalt Anſpruch gemacht werden.

§. 2.

Der Inhaber eines ſolchen Admiſſionsſcheins hat denſelben bey ſeiner Hierherkunft dem Prorector und Inſpector der Speiſe-Anſtalt vorzulegen. Von dem Inſpector empfängt der Beneficiat einen Anweiſeſchein, welchen er dem Rechnungsführer abzugeben, auch bey demſelben in ein eigenes Buch ſich einzuzeichnen hat.

§. 3.

Bey der Einzeichnung hat der Beneficiat

a) denjenigen aus der Mitte der autoriſirten Speiſewirthe nahmhaft zu machen, bey welchem er wenigſtens für die nächſten ſechs Wochen den Tiſch nehmen will,

b) die ſechs wöchentlichen Pränumerationsgelder,

aa) bey einer Zahlſtelle mit 1 Thlr. 18 Gr. — in Kopfſtücken zu 5 Thalr. 8 Gr.,

bb) bey einer Freyſtelle mit 6 Gr. — in gleichem Münz-Cours, an den Rechnungsführer zu berichtigen, und damit von 6 Wochen zu 6 Wochen pünctlich zu continuiren,

c) die Inſcriptionsgelder,

aa) an den Inſpector

von einer Freyſtelle Einen Thaler Courantgeld, von deſſen Entrichtung jedoch diejenigen Theilhaber frey ſind, welchen eine Stelle am Drackendorfſchen Tiſch verliehen werden,

bb) an den Rechnungsführer

α) von einer Zahlſtelle 12 Gr. — Courantgeld,

β) von einer Freyſtelle 16 Gr. —

zu berichtigen. Von dieſer Abgabe ſind jedoch auch Diejenigen frey, welche einen Platz am Drackendorfſchen Tiſche inne haben.

§. 4.

Auf den von dem Inſpector ihm ausgefertigten Anweiſeſchein empfängt der Alumnus,

wenn er das, was § pho 3. geordnet ist, gehörig geleistet hat, eine Assignation auf den von ihm nahmhaft gemachten Speisewirth.

Diese Assignation wird alle Vierteljahre erneuert, in dem Falle aber, dass der Tischgenosse mit dem Ablaufe des ersten Zahltags in diesem Vierteljahre einen andern Speisewirth sich wählen wollte, geschieht diese Erneuerung auch, auf desfallsige Anzeige, beym Ablauf der ersten sechs Wochen.

Dauer der Genusszeit.

§. 5.

Die Dauer der Genusszeit wird in der Regel von den Behörden und resp. Privatpersonen, welche die einzelnen Stellen zu verleihen haben, festgesetzt; im Mangel einer solchen Festsetzung wird angenommen, dass die Verleihung auf drey Jahre geschehen sey.

Leistungen während der Genusszeit.

§. 6.

Ausser der Pränumeration der von den Tischgenossen zu leistenden Beyträge, welche nach §. 3. von sechs Wochen zu sechs Wochen resp. mit 1 Thalr. 18 Gr. — und 6 Gr. — zur akademischen Speise-Casse einzuliefern sind, haben die Theilnehmer an der akademischen Speise-Anstalt noch folgende Verpflichtungen.

a) Sie sind verbunden, die von dem Rechnungsführer empfangene Assignation sofort an demjenigen Tage, an welchem sie ihnen behändigt worden, an den von ihnen erwählten Speisewirth abzugeben, demselben auch vor dem Eintritt eines neuen Zahltags auf der Assignation zu attestiren, dass sie soviel, als von dem Speisewirthe Tage gezählt werden, oder an wie vielen Tagen sie bey ihm während der letzten sechs Wochen gegessen haben.

Eine vorsätzliche Unrichtigkeit bey Ausstellung dieses Attestats zieht den Verlust der Wohlthat nach sich, und kann auch mit einer Substitution oder Abtretung der Wohlthat an einer andern nicht gerechtfertigt werden, da eine solche ebenfalls bey Verlust der Wohlthat untersagt ist.

b) Ehe die Tischgenossen in die Ferien reisen, haben sie dem Rechnungsführer davon Anzeige zu machen und den Tag anzugeben, an welchem sie abreisen. Bey der Rückkunft aus den Ferien ist eine Meldung ebenfalls nothwendig. Der Tischgenosse empfängt alsdann, wenn seine Genusszeit noch fortdauert, eine neue Assignation, für deren Ausfertigung er 2 Gr. 6 Pf. an den Rechnungsführer zu zahlen hat.

c) Den Theilhabern an der akademischen Speise-Anstalt ist es besondere Pflicht, am Schlusse eines jeden Halbjahres, und zwar am letzten Tage, bey dem Inspector und Rechnungsführer sich zu melden, und sich über ihren Abgang oder über ihr Fortstudiren im nächsten Semester zu erklären. Die unterlassene Erklärung hat zur Folge die Annahme, dass der Tischgenosse abgegangen sey, oder auf den fernern Genuss der Speise-Anstalt verzichtet habe.

d) Eine Vereinigung der Tischgenossen mit ihren Speisewirthen dahin, dass letztere einen Theil der ausgesetzten Speisegelder an erstere baar herausgeben, ist dem Zwecke der Stiftung entgegen und durchaus verboten, daher die Tischgenossen einer solchen Vereinigung bey Verlust der Wohlthat sich zu enthalten haben.*)

Verlust der Wohlthat.

§. 7.

Von jedem Theilhaber der akademischen Speise-Anstalt kann man schon von selbst sich versehen, dass er die akademischen Gesetze genau befolgen, namentlich durch Sittlichkeit sich auszeichnen, Bescheidenheit und Anstand gegen den Inspector der Anstalt und den Rechnungsführer bethätigen, auch in den gewählten Speisehäusern sich ordentlich betragen, und so der Wohlthat sich würdig machen werde.

Im Zuwiderhandlungsfalle tritt Suspension oder Remotion nach dem Ermessen des Concilium arctius unausbleiblich ein, und hat die letztere, ausser in den schon oben genannten Fällen, auch alsdann statt, wenn

a) ein Tischgenosse im Laufe des Halbjahres während der Vorlesungen vierzehn Tage lang verreiset, drey Wochen nach dem Anfange der neuen Vorlesungen erst hierher zurückkommt, ohne sich wegen einer dringenden Ursache, welche er dem Inspector anzuzeigen hat, deshalb rechtfertigen zu können, oder wenn er eine Woche lang vom Tische wegbleibt, ohne geschehene Meldung beym Rechnungsführer,

b) wenn gegen einen Theilhaber an dieser Anstalt wegen eines Disciplinar-Vergehens vierzehentägiger geschärfter Carcer-Arrest erkannt und in Vollzug gesetzt worden ist.

---

*) His officiis unum singulare accedit, quo alumni Amthoriani tenentur. Lege enim ac more ita receptum est, hi ut quotannis, die Iacobi, in acroaterio Inspectoris renovent b. Amthoris memoriam, uno habente censam ab Inspectore orationem, ceteris audientibus et gratam beneficii recordationem praesentia sua testantibus. Quod officium adhuc pie servatum est.

E.

Besondere Bestimmungen,

den sogenannten Ungartisch betreffend.

§. 8.

Die Theilhaber an dem ursprünglich für hier studirende Ungarn und Siebenbürger gestifteten Tische unterliegen im Allgemeinen den obigen Bestimmungen.

Besondere Bestimmungen, die sie betreffen, sind folgende:

1) Die Anmeldung zu einer Tischstelle geschieht bey dem zeitigen Prorector. Die Verleihung haben sie von dem akademischen Senate, welchem über die Anmeldung Vortrag geschieht, zu erwarten.

2) Pflicht ist es für denjenigen, welcher einen Platz an dem Ungartisch haben will, dass er sich in dem Collegiengebäude einmiethe, wenn darinne noch ein Zimmer frey ist.

3) Jedes Mitglied hat als Pränumerationsgeld von sechs Wochen zu sechs Wochen 2 Thlr. 3 gr. Courant in die Casse der akademischen Speise-Anstalt einzuzahlen, auch die oben §. 5 gedachten Inscriptionsgelder zu berichtigen.

PARS TERTIA

CONTINENS

SCRIPTA ACADEMICA

PRIMO ANNALIUM ANNO

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI

IN LUCEM EMISSA.

I.

EXERCITATIO ANTONINIANA

I.

AVCTORE

HENRICO CAROLO ABR. EICHSTADIO

ACAD. PROGRAMMATAR.

Novi Prorectoratus auspicia

die III Februarii a. MDCCCXXI

rite capta civibus indicuntur.

DEI GRATIA

CAROLVS AVGVSTVS

MAGNVS DVX SAXONIAE VIMARIENSIVM ATQVE ISENACENSIVM PRINCEPS LANDGRAVIVS THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE HENNEBERGAE COMES PRINCIPALIS DIGNITATIS DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII AC TAVTENBVRGI REL.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS.

Prorector in proximum semestre creatus est vir consultissimus,

PAVLLVS CHRISTOPH. GOTTL. ANDREAE,

I. V. Doctor et Professor P. O.

qui quo firmius tenet, quod M. Antoninus Imperator olim scripsit: Ἡ τὸ μὲν τοῦ λύχνου φῶς μέχρι σβεσθῇ, καὶ τὴν αὐγὴν οὐκ ἀποβάλλει· ἡ δὲ ἐν σοὶ ἀλήθεια καὶ δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη προαποσβήσεται; eo felicius rempublicam academicam gubernabit. Vos autem, CIVES, quid viro debeatis, veritati, iustitiae et temperantiae studiosissimo, diligenter cogitate. P. P. in Vniversitate litterarum Ienensi, die IV Februarii, anno MDCCCXXI.

Magnam olim Erneſtius, quum Suetonio praefabatur, aetatis ſuae labem ineſſe iudicavit in mala conſuetudine adverſus fidem eorum disputandi, qui per tot ſaecula eius laudem legitima poſſeſſione tenuiſſent. Verebatur enim vir ſummus, ne labes iſta, ſi latius ſerperet, vehementer perturbaret homines mediocri ingenio et doctrina, tandemque fortaſſe ad ipſos divinos ſcriptores perveniret. Qui metus quam ſit indignus critico, qui fidem hiſtoricam cuiusvis ſcriptoris non niſi dubitando ac perquirendo perſpici poſſe ac demonſtrari, praeclara ipſe ſcriptione docuit, quis eſt, quin intelligat? Quamobrem in praecipuis noſtrae aetatis bonis illud merito numeramus, quod, qui iudicio valent, nullam umquam rem, quae quidem in disceptationem cadat, nullumque aut ſacrum aut profanum ſcriptorem ſeiungendum exiſtimant a conſideratione ac disputatione veri et falſi, imitanturque hoc in genere Academicorum veterum rationem, qui ab iis etiam rebus, quae vulgo certiſſimae putabantur, ſuam aſſenſionem cohibebant. Sed alia eſt eaque haud ſcio an gravior, quam de qua Erneſtius conquerendum putavit, aetatis noſtrae labes, qua iam laborare incipiunt litterae conſuetudine illorum, qui, quarum rerum falſitas evidentiſſimis eſt argumentis demonſtrata, et quibus ſcriptoribus non vulgi opinione, ſed perveſtigatione eruditiſſimorum hominum communique conſenſu derogata eſt fides, eas tamen res, ut commenta ſua fulciant atque exornent, rurſus pro veris audent venditare, iisque ſcriptoribus novam poſtulant fidem et auctoritatem adiungi. Damus nos quidem et concedimus, veritati inquirendae terminum eſſe praeſtitutum nullum: magna etiam admiratione proſequimur eos, ſi qui tritas vias relinquant, novas et inuſitatas indagent. Sed has antequam calcent aliisque praeeant, neceſſe eſt proſpiciant diligenter, et quam ſint tutae certaeque explorent, ne caeco tramite praecipites ad devia ferantur. Atque etiamſi nec ipſi extimeſcant periculum, cui ingenii quodam calore abrepti ſeſe committunt, neque cavendum putent doctioribus, qui, quid ſit verum, quid falſum, inquirere ipſi poſſint: debebat tamen eos miſereri tot tironum, qui, quum ſint et cupidi diſcendi, neque iudicio ſatis firmi, in tali rerum discrimine, quo ſe convertant tandem, quid amplectantur, quid reiiciant, plane non reperiunt. Quocirca non ſatis eſt, novis opinionibus ſubiicere ea argumenta, quae idoneis iudicibus exploſa iam pridem et confutata fuerunt; nec ſufficit controverſias, patrum memoria compoſitas, ſic renovare, ut non tam cur illi ita ſtatuerint, quam quid tuum poſſit inventum colorare, ſpectes et cures: ſed ingenii impetus regendus eſt ratione, ea quidem, quae in arte critica domi-

natur, et cum acuminis sollertia doctrinae abundantiam et iudicii subtilitatem coniungit. Quemadmodum vero nullus umquam architectus aedificium prius exstruit, quam de fundamento viderit: ita scriptorem oportet in rebus historicis ante omnia dispicere ea, quae illarum praesidia sunt et stabilimenta, quae non reperiuntur nisi in fontium auctoritate. Si quas igitur hoc in genere dubitationes levi credulitati critica severior obiecit, eas qui removere non potest, in commentis novis roborandis frustra laborabit. Nam criticae rationes dum stant, concidunt historica consectaria, illis contraria, et opinionum speciosa novitas antiquorum pondere et gravitate argumentorum obruitur.

Hoc quo spectet prooemium, non quaerent, qui, quae de Luciano nuper scripsimus [1]), recordabuntur. Qua dissertatione quum obtinuisse caussam videamur tuenda denuo stabiliendaque vetere opinione, quam eruditissimus Agapes auctor labefactatum iverat: placet iam persequi institutum, eiusdemque libri, qui tanta non modo legendi sed etiam scribendi studia commovit, aliquam partem ad censuram vocare. Ceterum etiam nunc doctrinae inter nos contentio erit, non animorum: ut hac quoque scriptione comprobemus vetus illud Hesiodium, ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν.

Nec vero insignior pars est totius libri Kestneriani, neque aut lectionis doctrinaeque copia instructior, aut ad persuadendum magis accommodata, quam quae in disputatione de Antoninis, Pio illo eiusque filio adoptivo, qui cognomen meruit Philosophi, versatur [2]). Adhuc credebamus viris in hoc genere primariis [3]), qui ex historiae monumentis docuerant, exstincto Imperatore Hadriano, ita accidisse, ut quod ille pro Christianis rescriptum tulisset, simul exstinctum videretur, resurgentibus in ultionem Christianorum accusatoribus, qui,

1) Praefixus est libello titulus: Lucianus num scriptis suis adiuvare religionem Christianam voluerit, Ien. 1820. 4: libellus ipse repetitus nuper in editione Luciani Lipsiensi.

2) Agape p. 545—558. Reperiuntur etiam quae huc pertinent in appendice libri p. 48 et passim.

3) Vnum instar omnium nominamus Moshemium (Comment. de rebus Christian. ante Constantinum M. p. 239 sqq.), quem in repetenda rerum summa ducem sequi tanto magis placuit, quanto diligentius, quae scripsit, testium auctoritate firmavit.

quum alia crimina non reperirent, neque criminosa apud omnes iudices esset Christianae religionis professio, impietatis eos vel atheismi postulabant. Exortus est quidem acerrimus atrocis iniuriae vindex, Iustinus Martyr, neque Imperator, qua erat lenitate animi et mansuetudine, implorantes auxilium deseruit. Nam quaesitus a magistratibus, quatenus gratificandum esset populis, Christianorum necem poscentibus, ex lege Hadriani agendum, et reis, nisi quid gravius contra civitatem molirentur, parcendum, accusatoribus autem poenas esse infligendas rescripsit. Sed parum tamen, nec diu, Christianis profuit apologia Iustiniana. Etenim cum Caesaris aequitate certabat iniquitas iudicum, qui poterant, si vellent, et accusatorem et accusatum capitis damnare, illum quidem ex lege Pii, hunc ex lege Traiani, quam Imperatorum nemo abrogaverat Ac si quae esset per indulgentiam Antonini quies Christianis et tranquillitas restituta, eam quod sequutum est (a. Chr. 161) M. Aurelii imperium, vehementer turbavit. Qui sive a sacerdotibus paganis incitatus, seu a philosophis, qui summa eius gratia florebant, inductus, seu proprio quodam patriae religionis, quam sancte servabat, amore et impulsu motus, non satis habebat, frena laxare hostibus Christianorum, quae parens eius iniecisset: addebat etiam infesta Christianis edicta, quibus inflammabatur odium gentilium, deferendique eos et accusandi voluntas confirmabatur. Itaque, Marco imperante, revixit pristina vexandi Christianos licentia: creverunt etiam post alteram Iustini apologiam, quae, quod prior illa fructu caruisset, eadem fere argumenta repetit, Christianorum per universum orbem Romanum calamitates: trucidati sunt multi, qui mentem ac religionem mutare nollent: in his ipse rei Christianae defensor, Iustinus, capitis supplicium subiit: Lugdunenses denique ac Viennenses Christiani, a mancipiis quibusdam nefandorum criminum accusati, omni atrocitate et crudelitate affecti, lacerati, cruentati sunt.

Haec igitur vel a praeceptoribus nostris ita didiceramus in scholis, vel testimoniorum fide nobis ipsi persuaseramus. Admodum pauci erant, qui secus sentirent 4). Nunc alia omnia docere nos Kestnerus instituit. Quem si audimus de

4) Vnum Kestnerus ipse p. 380 commemorat Bruckerum (Histor. crit. philosoph. To. II. p. 533), laudatque virum, qui solus Marci Aurelii cum Christianis necessitudinem, Moshemio, Schröckhio, Gibboni aliisque parum perspectam, recte indicaverit. Nec tamen integra laus est, quam ei tribuit. Nam primum quod eum distractum doctis laboribus egisse negat, quod promiserit, ut de favore Marci erga Christianos

Antoninorum aetate disputantem, religioni Christianae eiusque sectatoribus laetissima spes ex eo affulsit, quod M. Antoninus Pius, suffragante M. Aurelio, primus deflexit ab ea ratione, qua Imperatores Romani in moderandis religionibus adhuc fuerant usi. Qui quum unam agnovissent religionem Romanam, publice sancitam, ceteras aut toleravissent, aut proscripsissent: Augusti illi primi ἰσονομίαν tribuerunt civibus, h. e. sentiendi de rebus sacris easque et profitendi et exercendi communem omnibus libertatem. Hac nixi, qui vulgo athei putabantur, Christiani proferre iam et profiteri suam religionem, et iuris aequalitatem poscere: unde nova exarsit gentilium invidia et obtrectatio, novaeque Christianorum vexationes, si non publice, at privatim tamen, exortae sunt. Praeerant tum clandestinae illi Christianorum societati, Ἀγάπης nomine appellatae et per totum terrarum orbem diffusae, duumviri magna auctoritate, Polycarpus et Anicetus, episcopi, Smyrnensis ille, hic Romanus, resque sodalium summa cum prudentia et fide administrabant. Quorum auspiciis factum est, ut Christiani, tot pertaesi malorum et calamitatum, duobus simul ecclesiae doctoribus, iisque eruditione et fama celeberrimis, Iustino et Athenagorae, mandata darent, singularibus libris, consilio paribus, ratione diversis, perscribendi ad Imperatores ea, quibus religionis Christianae sectatores a criminationibus et calumniis liberarentur 5). Itaque alterum, Iustinum, qui ipsum libri sui argumentum ad M. Aurelii morem cogitandi scribendique callide accommodaverit, summa cum libertate et prope licentia scripsisse: quae quum offendere Imperatores posset, alterum collegae suo moderatione et modestia subvenisse, ut iratos, si forte, Principum animos placaret, et durius dicta lenioribus redimeret.

Atque hoc est exordium disputationis Kestnerianae, ad persuadendos animos sic adornatae, ut plus habeat in recessu, quam fronte promittit. Sed insunt in ipso exordio, quae cum historiae fide conciliari nequeant.

---

exponeret, nihil attendit ad ea, quae a Bruckero p. 588 sic disputata sunt, ut promisso abunde satisfecerit. Deinde ne animadvertit quidem, paene totam illam disputationem posthac Bruckero retractatam fuisse in Appendice Hist. philosoph. To. V. p. 392, ubi Moshemium sequutus, adversae parti favet. Praeter Bruckerum laudare V. D. poterat auctorem Vitae M. Aurelii, praefixae editioni Commentariorum Wollianae p. 145. Is sive Wollius fuerit, sive alius, Bruckero certe par fuit iudicandi facultate admodum illa mediocri.

5) „*Diese Gründe schufen die beiden christlichen Bittschriften des Justin und Athenagoras, welche ums Jahr 147 aus*

Nam primum quam Antoninis laudi ducit Athenagoras ἰσονομίαν populis redditam, eam par est interpretari tum ex apologetae consilio, tum ex historia illorum temporum. Neque enim ista ἰσονομία ad solam pertinuit religionem 6), neque omnino Antonini de religionibus singulare quiddam aut novum sanxerunt, quo pristinus rerum status mutaretur, et copia fieret Christianis, maius nescio quid sive sperandi sive etiam postulandi. Satis antiqua Romanorum fuit in tolerandis religionibus peregrinis patientia 7), sed longo etiam, plus unius saeculi, velut usu ita receptum, ut unos ab hac indulgentia seiungerent Christianos. Id persequitur Athenagoras more apologetarum, qui propius abest serioribus illis panegyricae Romanorum eloquentiae auctoribus. Quamobrem, laudato Caesarum imperio, id ait legitime iam petere et exspectare Christianos, ut, si immunes sint scelerum, quae ab adversariis obiiciantur, tantum iis iuris concedatur in civitate, maximeque apud iudices, quantum ceteri habeant cuiuscumque nationis, sectae ac religionis cives. Quod si obtinuisset, gratulari sibi pote-

---

verschiedenen Gegenden gesandt, wahrscheinlich zu gleicher Zeit in Rom anlangten. Eine grosse Aehnlichkeit beider Apologieen ist unverkennbar. Theils dieser Umstand, theils einige besondere, in Beziehung auf einander stehende Eigenthümlichkeiten beider Schriften, führen auf die ungesuchte Vermuthung, dass sie unter Vermittellung dritter Personen, vielleicht im Auftrage des Christenbundes, der durch jene Schreiben als durch zwey gleichstimmige, und doch verschiedenartige Mittel Einen Erfolg bezweckt zu haben scheint, geschrieben seyn mögen." Ita Kestnerus p. 348.

6) Ita censet Kestnerus p. 346. „*Wo in dieser Zeit von einer durchgehenden Gleichheit aller Römischen Unterthanen die Rede ist, da hat man immer nur an die allgemeine Gewissens- und Religions-Freyheit zu denken.*" Adversantur his ipsa Athenagorae loca, veluti p. 4 ed. Stephan. Τὸ πρᾶον ὑμῶν καὶ ἥμερον καὶ τὸ πρὸς ἅπαντα εἰρηνικὸν καὶ φιλάνθρωπον θαυμάζοντες, οἱ μὲν καθ' ἕνα ἰσονομοῦνται· αἱ δὲ πόλεις πρὸς ἀξίαν τῆς ἴσης μετέχουσι τιμῆς (haec quis de religione sola intelligat?)· ἡμεῖς δὲ οἱ λεγόμενοι Χριστιανοὶ κ. τ. λ. Et paullo post (p. 7) Christianis tantumdem petit iuris et aequitatis, quantum tribuatur adversariis, οὐδὲν πλέον τοῖς διώκουσιν. Ac quis nescit, quam studiose huic ἰσονομίᾳ, ad aequanda civium in omnibus provinciis iura, prospexerint amici et administri Caesaris, quos post alios recensuit Schlosserus, *Weltgeschichte* p. 560.

7) Hoc qui demonstravere scriptores laudavit Beckius *Allg. Welt- und Völkergeschichte* II. p. 401, eosdem etiam Kestnerus p. 7 et 486. Add. Warburton The divine legation of Moses demonstrated I. p. 307 sq.

rant Christiani de meliore rerum suarum conditione, altiores spiritus sumere non poterant.

Deinde quod apologiarum auctores ad scribendum incitatos Kestnerus putat ab ista clandestina societate, cuius machinationibus propagationem Christianismi, civitatis ecclesiasticae constitutionem reportatamque tandem de adversariis triumphum tribuit: non potest sane haec sententia paucis verbis confutari, utpote cum consilio auctoris contexta, et per totum de Agape librum sic fusa et dissipata, ut perspicuo sit argumento, quantam fraudem ingeniis etiam acutissimis faciat opinionum, quas semel imbiberunt, retinendarum tuendarumque cupiditas, et quam difficile interdum sit sibi diffidere, et historiae fidem revereri. Itaque hanc rem nunc quidem silentio praetereamus.

Sed quod idem existimat, Antonino apologiam Iustini tanto magis fuisse probatam, quanto expressiorem velut imaginem sui animi suorumque sensuum in ea viderit 8), id quid sit, et quam vim habeat, fateor me non intelligere. Nunc enim hac de re sic loquitur vir doctissimus, quasi apologeta Imperatoris commentarios respexerit, nunc fortuitam istam sensuum dictorumque similitudinem videtur censuisse. At vero si Iustinus respexit ad librum Antonini, hunc necesse est apologia priorem in lucem prodisse, quod nec demonstratum a quoquam est, neque, ut nos quidem arbitramur, demonstrari potest: sin fortuita fuit consensio, necesse est eam fuisse, quae esset communis omnibus Stoicis cum doctrina Christiana, permoveretque nonnullos saeculi secundi doctores Christianos, ut ad Stoicorum sese disciplinam applicarent 9). Quam quidem consensionem etsi in

---

8) „*Die Bittschrift des Justin, sobald sie nach Hofe gelangt war, interessirte gewiss den jungen Thronfolger aufs lebhafteste, weil er in ihr einen Wiederschein seines eigenen Innern antraf. Er fand hier alle die erhabenen Lebensgrundsätze, die er aus der Tiefe seines Gemüthes sich selbst gebildet oder aus fremden Moralsystemen, seinem Gefühle folgend, entlehnt hätte, aufs kräftigste empfohlen, und was ihn noch mehr überraschen musste, alle moralischen Ideale, in deren Besitze er sich hocherhaben über seine Zeitgenossen dünkte, und nicht weniger alle sittlichen Vorsätze und Entschlüsse, die er sich fleissig in sein Tagebuch zur künftigen Ausübung niederschrieb, sah er in der christlichen Gesellschaft schon lange ins Leben getreten und ausgeübt.*“ — Agape p. 389.

9) Cfr. Moshemii Dissertatt. ad histor. ecclesiast. pertinentes II. p. 696.

universum agnoscimus, multis tamen in locis, quae Kestnerus attulit, negamus inesse, nisi prava illorum interpretatio adhibeatur. En vobis exempla.

Quod Iustinus in apologetici sui exordio [10]) ait, imperatoribus, qui vere pii et philosophi sint, solam esse veritatem magni faciendam; quod ibidem illud ex Platone repetit, nisi et principes et cives philosophentur, fieri non posse, ut beatae sint civitates: bene facit, et prudenter, et accommodate ad animum utriusque Imperatoris, quibus dictum Platonicum semper in ore fuisse, Aurelius Victor et Iulius Capitolinus tradiderunt. At vero num adeo nova fuit sententia aut sollerter reperta, quin in mentem veniret cuilibet, qui vel leviter tinctus veterum lectione, talem declamationem animi caussa ex monumentis illorum temporum contexeret? Alio loco [11]) monet Iustinus, defunctorum exempla Imperatorum afferens, sensum remanere post mortem, et iniustis poenam aeternam imponi: disputat idem [12]) adversus eos, qui fati necessitatem ex futurorum praedictione colligant. Haec autem quid tandem pertinent ad istud, quod Marcus, Stoicorum more dubitans, scripsit [13]): Περὶ θανάτου· ἢ σκεδασμός, ἢ ἄτομοι, ἢ κένωσις, ἢ ἀπόσβεσις, ἢ μετάστασις, aut ad illum locum [14]), quo futurorum etiam praescios fastuque inflatos morte sepultos iacere dicit? Nam quem tertium Kestnerus locum citavit [14]), in eo prorsus nihil est, neque in verbis, neque in sententia, quod simile sit Antoninianis. Exstat porro hoc Iustini dictum [15]), οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες, Χριστιανοί εἰσιν. Id Kestnerus pronunciatum censet in gratiam Marci, quem summa animi contentione in eo elaborantem, ut rationi convenienter viveret, Iustinus ita ornaverit, ut Christianorum numero tacite adscriberet. At contextus loci docet apertissime, Iustinum, qui ex more saeculi Platonicam de λόγῳ doctrinam ad Christum, divinum λόγον, humano corpore indutum [16]) detorsit, illo dicto placare eos voluisse, si qui a Christianis clamarent improbe damnari omnes, qui ante Christi tempora vixissent, Socratem, Heraclitum, Abrahamum,

---

10) Cap. 2 et 3 ubi cfr. Grabii notas.

11) Cap. 24. p. 35.

12) Cap. 54. p. 82.

13) VII, 32. p. 66. ed. Coray, cuius ingeniosam emendationem ἀπόσβεσις pro vulg. ἤτοι σβέσις recepimus. Cfr. Seneca epist. 24 et 65.

14) VIII, 25. p. 77.

15) VI, 17. C. 61. p. 91.

16) Cfr. Schröckh. Christl. KG. III. p. 33.

Eliam, alios 17). Longe diversa ratione Antoninus monet 18) *τὸν νοῦν ἡγεμόνα ἔχειν ἐπὶ τὰ φαινόμενα καθήκοντα*, quod comparandum est cum aliis eius locis, in quibus Stoicorum illud, naturae convenienter vivere, inculcat et explicat 19): longe alio sensu *λογικὴν καὶ νοερὰν κίνησιν* discernit ab *αἰσθητικῇ καὶ ὁρμητικῇ κινήσει* 20): tertius autem locus, a Kestnero laudatus 21), ubi *τὸ θειότερον μέρος*, quod est in homine, opponitur *τῇ ἀτιμοτέρᾳ καὶ θνητῇ μοίρᾳ τῇ τοῦ σώματος*, rursus alienus est ab re, quam quaerimus: ut nec hic trinum illud perfectum, quod in proverbio est, inveniatur. Sed aliena sunt loca complura, quae vir doctissimus attulit, nec nisi per pravam explicationem in subsidium vocanda, quae piget singula excutere 22).

---

17) Illos ipsos nominat. Ludit praeterea in vocabulis *ἄχρηστοι* et *Χρηστιανοί*, quod aliquoties restituendum est pro *Χριστιανοί*. Ceterum haud dissimilis est sententia Patrum, contra Iudaeos docentium, in aliis quoque gentibus, quicumque secundum deum vivant deoque placeant, eos pertinere ad spiritualia Hierosolyma. Cfr. Langi notae ad Iustin. Apol. p. 31.

18) III. 16. p. 23. ed. Coray, qui ex decessorum monitis locum corruptum restituit. Νοῦς ὁ βασιλεὺς et similia reperiuntur etiam apud Plotinum, Porphyrium, Jamblichum, alios, quorum loca congessit Creuzerus ad Plotinum de pulcritudine p. 90.

19) V., 25. p. 45. Ἐγὼ νῦν ἔχω, ὅ με θέλει νῦν ἔχειν ἡ κοινὴ φύσις, καὶ πράσσω, ὅ με νῦν πράσσειν θέλει ἐμὴ φύσις. Cfr. Tiedemann *System der stoischen Philosophie* III. p. 76 sqq.

20) VII, 55. p. 69.

21) XI, 19.

22) Loca hujus generis afferenda nobis erunt in ea Exercitatione, qua dicta N. T. cum Antoninianis comparabuntur. Nunc unum de multis, quamquam ex alio genere, adiicere liceat, ut, quo iure interpretandi diligentiam desideremus, appareat. Qui ista legit p. 552 scripta: *Justin setzt den heidnischen Regenten die Alternative; dass sie entweder die christliche Sache begünstigen, oder jedem Anspruche nicht bloss auf ihre Ehrentitel Pii und Philosophi, sondern auch auf gesunden Menschenverstand entsagen müssten*" — quis non cognomen *Philosophi* Marco adhuc viventi honoris caussa tributum existimet, eo plane modo, quo pater Pii cognomen habuit, et Marcus ipse cum Commodo Armeniaci aut Sarmatici cognomenta Senatus auctoritate acceperunt? Sed id iure pernegarunt viri doctissimi, imprimis Casaubonus, cuius praeclarae ad Iulium Capitol. p. 286. notae immemor erat Grabius in Spicil. Patrum saeculi II. p. 152. Neque denominatio illa aut in lapidum titulis aut in nummis reperitur. Cfr. Raschii Lex. rei numariae To. III. P. II. p. 1217. Nec denique ea in isto Iustini loco est, qui nil nisi haec habet (Apol. I. p. 13. p. 21 ed. Grab.): Ἀλλ' οὐχ' ὑμᾶς, οἵ γε εὐσεβείας καὶ φιλοσοφίας ὀρέγεσθε, ἄλογόν τι πρᾶξαι ὑπειλήφαμεν. Adde de cognomento Philosophi Westenbergium in D. Marco

Denique ne illud quidem verum est, quod posuit, Iustini et Athenagorae apologias salubri illorum, qui auctores ad scribendum instigavissent, consilio sic prodiisse eodem tempore, ut altera alteram adiuvaret. Nam Iustini prior quidem apologia, de qua una nunc agitur (posterior enim aliquanto post lucem vidit), prior igitur Antonino Pio, M. Aurelio (qui Verissimus in ea nuncupatur [23]), eiusque filio Lucio inscripta, si rationes maxime probabiles sequamur, exhibita est intra annos Chr. 139 et 141 [24]): Athenagorae autem apologeticus, legationis pro Christianis nomine celebratus, non Pio dicatus est, sed Imperatori Marco eiusque filio Commodo, prodiitque minimum duodeviginti annis post Iustinianam, anno a Chr. n. 177, Marci imperantis septimo decimo: quo anno Commodus iuvenis erat sedecennis. Quam quidem apologiae aetatem tam docte et subtiliter tum historia duce tum ex ipso libelli argumento post Baronium ac Tillemontium [25]) demonstravit Moshemius [26]), ut parum consulte censendus sit facere, qui Moshemii sententia non confutata, novam tamen et contrariam

---

Diss. I. §. 6. 7. Opp. To. III. p. 4. 5. et Schultingii Orat. de iurisprud. historica in Comment. acad. To. II. p. 140.

23) Cfr. Wesselingii Observatt. var. p. 95.

24) Poteram idoneis auctoribus, ac fortasse debebam, libri confectionem revocare ad a. 138 vel 139: quae communis est eruditorum sententia, defensa Petavio (ad Epiphan. Haeres. 46), Dodwello (Dissertat. in Irenaeum III, §. 19 et Addit. ad Pearsonii Differt. de annis Pontif. Rom. II. §. 3), Pagio (in Differt. Hypatica p. 114), probata Cottae (*Vers. einer ausf. KG.* II. p. 729), Schroeckhio (*Christl. KG.* III. p. 17) aliisque historiae ecclesiasticae enarratoribus: sed ne, in re dubia multisque controversiis agitata viderer cupidius egisse, longiorem posui temporis tractum, praesertim quum Grabius (Spicileg. de Patr. saec. II. p. 105 sqq.) magno doctrinae paratu id egerit, ut circa Chr. 150, saltem non diu ante, a Iustino scriptam esse hanc apologiam ostenderet. Eademque Tillemontii fuit sententia. Sed cfr. Ss. Haffneri diss. (praeside Io. Phil. Beyckerto) de edicto Antonini pro Christianis ad Commune Asiae. (Argent. 1781. 4.) p. 11.

25) De his cfr. Prudent. Marani Praefat. ad Iustini opera p. CXII sqq.

26) In singulari de aetate apologiae Athenagorae dissertatione, quae emendatior multo et auctior inserta est eius Dissertatt. ad histor. ecclesiast. pertinent. Vol. I. p. 272 sqq. Eamdemque sententiam vir summus etiam posthac tenuit, ut in Diss. ad sanctiores disciplinas pertinentium syntagmate p. 809, ubi adversus Moylium disputat. Novis eam contra Frickium argumentis accurate defendit Baumgartenius in Examine miraculi legionis fulminatricis contra Woolstonum p. 72 sqq.

periclitetur: Sed excusare Kestnerum malumus, quam ratiunculas eius [27]) exagitare, qui viri summi dissertationem nusquam commemoraverit in libro suo, neque omnino legisse videatur.

Sed pergimus ad cetera, quae Kestnerus nobis narravit: in quibus, ne molesta confutatione interrumpatur narrationis series, ita versabimur, ut pri-

27) Tres attulit rationes (p. 351. not. 61), quibus Athenagorae apologiam scriptam esse intra spatium annorum 147 et 161, et Antonino Pio ac Marco Aurelio, non Marco et Commodo, oblatam demonstraret. Primum enim multa, quae scripto contineantur, maximeque honorificas utriusque Imperatoris salutationes, φιλομαθεῖς, φιλόσοφοι, φιλαλήθεις, non convenire Commodo, levi quatuordecim annorum puero. Poterat addere, Imperatores illos adeo titulis ornari τῶν μεγίστων, καὶ φιλομαθεστάτων βασιλέων cap. 2, nec tamen caussam vicisset. Nam illo quidem tempore, quo scriptum apologeticum putat, puer iste nondum natus erat. — Nempe L. Aurelium Verum Commodum, M. Aurelii fratrem, natum Romae a. V. C. 881. Chr. 128, adoptatum a. V. C. 891 (cfr. Reimar. ad Dion. Cass. LXXI, I. p. 1177.) errore quodam confudit cum M. filio, Aurelio Commodo, nunc Lucii nunc Marci praenomine insignito, qui lucem adspexit apud Lanuvium a. V. C. 914. Chr. 161, eratque novemdecim annos natus, quum pater eius decederet. (cfr. D. C. LXXII. 1. p. 1203 ibique Reim.) Ne quis autem Kestneri argumento nostram putet rationem labefactari, qui Commodum M. fil. diximus sedecim annorum aetatem egisse, quum Athenagorae libellus prodiret: in titulis et honoribus, quibus Principes Iuventutis mactantur, non nostra demum aetas coepit modum excedere; profusissima fuit veterum in Caesaribus suis ornandis libido, eademque etiam imberbem Commodum patri philosopho aequavit. Docuit post Tillemontium (Mem. pour servir a l'histoire de l'Eglise To. II. P. II. p. 558) Moshemius l. l. p. 295. Ipse autem Commodus quam ridicule fuerit novorum titulorum cupidus, ex historia constat. Cfr. Dio Cass. LXXII, 15. p. 12. 15. Alterum Kestneri argumentum petitum est eo ex loco apologetici, quo Athenagoras orbem pacatum esse scribit. Sed locum illum egregie explicavit Moshemius p. 307, docuitque suae sententiae favere. Denique, si scripta esset apologia post annum Chr. 176, miratur Kestnerus, duo illa triave, quae iam tum prodiissent, Antoninorum pro Christianis edicta Athenagorae incognita fuisse. At mirari etiam debebat Iustini de edictis silentium, quem eodem tempore Christianos scripto defendisse existimat. Nos contra miramur, viro doctissimo, ex hoc utriusque apologetae, praesertim Athenagorae, silentio nihil scrupuli ac dubitationis subortum esse de αὐθεντίᾳ edictorum. Quae omnia si perpendimus animo, multo probabilior videtur Prud. Marani sententia, qui Athenagoram existimat sibi ad imitandum proposuisse apologias Iustini, eumque in plerisque ducem sequutum esse, Praefat. in Iustin. p. CXIII.

mum ex eius libro rerum summam repetamus, deinde nostras qualescumque animadversiones adiiciamus.

Libelli igitur apologetici, quibus communem caussam suam defendi ab Iustino et Athenagora foederatus Christianorum populus [28]) voluerat, Kestnero auctore, benevole excepti, benignos Caesares erga Christianos fecerunt. Sed qui amici Antoninorum erant assidueque in aula versabantur, duas in partes discedebant, aliis magnopere improbantibus novum ausum et Iustini maxime licentiam reprehendentibus, aliis vehementer collaudantibus tantam scribendi libertatem, quae ex candido et generoso pectore redundavisset. Et adversariis quidem Christianorum ducem sese praebuit Fronto Cirtensis, Marci magister, qui virulento libro, quem invectivae nomine laudant, tanto magis infamavit Christianos, quanto acerbius rhetoricam ipsius artem et disciplinam Athenagoras in apologetico perstrinxerat. In patronis eminuere Diognetus, cultissimi vir ingenii idemque Marci praeceptor, Florinus, qui magna apud Caesares gratia florebat, amplisque in aula honoribus fungebatur, denique Galenus, medicus illa aetate celeberrimus. Vtramque inter partem quam acriter et quibus maxime armis de religione Christiana fuerit pugnatum, perspicue declarat Minucii Felicis Octavius, illo ipso tempore in usum familiarium, qui essent ex sodalitate, ita compositus, ut altercationes, quales in aulicorum urbanorumque hominum conversatione celebrari tum solebant, tamquam in tabula depictas ante oculos ponat.

Nescio, quid aliis eventurum sit ista legentibus: mihi quid acciderit, aperte dicam. Primum novitate rerum mens ita perculsa est, ut paene diffiderem iis, quae olim didicissem: mox quum multa vacillare argumenta cognovissem, animo sumpto, singula persequi et momentis suis ponderare constitui. Explorata re, cur redierim ad pristinam sententiam, paucis exponam.

Ac dubitationem quidem illam, iam inde a Baylii aetate a perspicacissimis viris motam, apologiae pro Christianis scriptae num foras prodierint, in manus-

---

28) Hac circumloquutione descripsimus Kestneri illam 'Αγάπην, quam vocabulis *Christenbund*, *Geheimbund*, *Bundeschristen*, *Bundesbrüder*, indicavit: alibi brevius diximus *sodalitatem*. Nam quae nomina Kestnerus de sodalitate illa, qualis numquam fuit, Patribus usurpari dicit, 'Αγάπη, *Fratres*, *Fideles*, iis noluimus uti, ne in societatem veniremus falsae interpretationis locorum, e quibus ista nomina ducta sunt.

que venerint Imperatorum, an intra privatos Christianorum usus et quasi parietes sese continuerint, praetermittimus hoc loco, non quod opprobrii magnas in umbras coniecti gravitatem vereamur 29), sed quod ea est dubitatio, quae ad ipsam rem, quam quaerimus, non plurimum valeat. Concedamus igitur aliquantisper, redditos Caesaribus apologeticos libros, demus lectos ab iis fuisse ac diligenter pensitatos: at quae tandem testimonia sunt dissidiorum, quibus

29) „*Die schöne Conjectur einiger ungelehrter Gelehrten, welche annehmen, die christlichen Apologieen seyen nie vor die Augen der heidnischen Kaiser gekommen — dieser verbrämte Unsinn, sage ich, braucht nicht widerlegt zu werden.*" Agap. p. 354. Negaverant videlicet Semlerus *Geschichte der christl. Glaubenslehre in Baumgartens Untersuchung theol. Streitigkeiten* II. p. 44, idemque in Commentar. histor. de antiquo Christian. statu I. p. 72 atque Henkius *Allg. Gesch. d. christl. Kirche* I. p. 128. Nec quicquam in Henkii iudicio ibi mutavit nuperus libri editor, Vaterus. Sed primus, quod sciam, scrupulum illum doctis iniecit Baylius in Dictionario s. v. *Athenagore*. Paullo circumspectius, uti solebat, ac dubitanter scripsit Schroeckhius *Christl. KG.* III. p. 105. Nos quidem, ut traditam Imperatori apologiam Iustini dubitemus, non tam ea faciunt, quae de omnibus apologeticis Schroeckhius disputavit, quam proprium libri Iustiniani argumentum, bene declaratum Il. Haffnero in dissertatione supra laudata p. 19. Quae quum nostris in oris paullo rarior sit, ex ea huc transscribam locum, quamquam longiorem, sed correctis iis, quae minus emendata viro doctissimo exciderunt: „Iustini dixerim Apologiam ob duriores, quas passim habet, sententias, minus aptam fuisse ad molliendum Antonini animum, etiamsi eam perlegisset. Fatetur quidem sanctus martyr, se non adulatorem neque ad gratiam quicquam dicturum accedere; sed etiam in vero dicendo modus tenendus est. Quid autem? Si quis principi superstitioso admodum, qui mentem multis praeiudicatis opinionibus, hereditario ipsi quasi iure transmissis, obrutam habet, ad Iustini exemplum, sine ullo sermonis lenimine dicat, carnificem eum potius, quam principem agere, videri eum metuere, ne universi quae iusta sunt faciant, neque amplius habeat quos possit punire; suo regimine supplicia et ignes aeternos sibi parare, Principes opinionem veritati praeferentes tantum valere, quantum in solitariis locis praedones; si quis praeterea, dum suam maxime caussam agere debet, alienam agit, et non tam fidem, quam ipse profitetur, sanctam et innocuam esse docet, quam illam Principis adoritur, eamque absurdam, ab omni ratione alienam, malignorum daemonum opus esse, evincere conatur: nonne imprudenti hoc consilio efficiet, ut Princeps, qui hucusque etiam sapere sibi videbatur, et vel inter suos ob patriorum sacrorum amorem alterius Numae nomen adeptus erat, indignabundus tale scriptum respuat, et irascatur magis, quam mollem atque facilem sese praebeat?"

aulici homines propter diversas de religione Christiana sententias secum discordarunt? Testimonia nulla sunt: merae sunt coniecturae. Sed ne has quidem in testium defectu et historiae obscuritate spernere licet, si modo per se satis sint probabiles. Itaque de Frontone quae V. D. narravit, unde coniecit? Nempe ex libello illo adversus Christianos, quem scriptum a Cirtensi magistro putat, posteaquam sancti viri apologetico ad iram esset irritatus. At mirum profecto, Frontonem, qui tam multa scripserit, qui adeo malignus fuerit, ut pessimam factionem contra Christianos concitaret 30), in una illa scriptione acquievisse, alibi nusquam 31) eos tetigisse. Sed subsistamus in iis, quae Kestnerus caussae suae tuendae sufficere putavit. Scilicet Athenagoras eos reprehendit, qui semper mali aliquid facere cupiant, suumque institutum in arte verborum ponant, non in demonstratione factorum. Id, Kestnerus ait, non posse nisi ad Frontonem referri, praesertim quum Athenagoras diserte carpat homines, qui syllogismos solvant, ambigue dicta explicent, qui vocabulorum etymologiam, qui homonyma, synonyma, praedicamenta, axiomata et huiusmodi alia explanent 32): quibus in rebus versata sit putida Frontonis diligentia. Acute sane neque improbabiliter haec disputata sunt: quamquam praeter Frontonem alii fuere non pauci, qui eamdem isto aevo artem tractarent, obiurgandique perpetuam opportunitatem theologis Christianis darent, etiam (ut fieri solet) iis, quos discere artem magis decebat, quam reprehendere. Verum apologeticus Athenagorae, si vera sunt, quae supra scripsimus, ne superat quidem aetate Frontonis librum. Sed ponamus superare: num Fronto, ut repelleret adversarium, libro illo exagitavit Christianos doctores, sua scilicet sapientia elatos, artis dialecticae et rhetoricae contemptores? Num Christianos risit ut rudes litterarum et ab artium elegantia alienos? Id nimirum exspectabamus. Nihil minus. Immo,

30) „*Eine boshafte engherzige Clique*" nominat Kestnerus p. 355.

31) Nam quem locum praeterea Kestnerus in appendice p. 49 attulit, non potest ille numerari. „*Auch in seinen Briefen* (To. 1 p. 60) *scheint er hämisch auf die christlichen Sibyllenorakel anzuspielen.*" Satis est apponere locum, quo coniecturae levitas agnoscatur. Ita igitur Fronto ad Caesarem suum: „Ratio consiliorum prudentia appellatur, vatum impetus divinatio nuncupatur. Nec quisquam prudentissimae feminae consiliis potius accederet, quam vaticinationibus Sibyllae. Quae omnia quorsum tendunt? Vt ego recte malim impetu et forte potius, quam ratione ac merito meo diligi."

32) Cap. XI. p. 288 ed. Marani.

si Minucio fides habenda est, quem unum hac in re testem citant 53), incesta iis convivia obiecit, quae ad nefarias libidines satiandas usurparent. Hoc igitur vociferabatur in aula? Hac de causa oppugnabat Christianos? Sed credibile est, inquit, Frontonem idcirco privatum esse Caesaris gratia, quod hic faveret Christianis, ille adversaretur. Id antequam credamus, demonstrandum est, Antoninum Christianis amicum, Frontoni extremis annis fuisse infensum. Priorem quaestionem, in hac tota caussa principem, nunc quidem seponimus, magis opportuno loco infra pertractandam: de posteriori addimus, quod opus est. Etenim Frontonem senem, caruisse gratia Caesaris, quum omnino historia non tradat, tum, si quid intercesserit simultatis, id ex diversa de Christianis sentiendi ratione exstitisse, a verisimilitudine prorsus abhorret. Nec potuit vir doctissimus nisi unum opinionis suae argumentum proferre 54), ex Marci libro petitum, quo per falsam interpretationem abusus est: cui apposuit testimonium Niebuhrii, qui, si conferas locum, etiam quae contraria sunt opinioni, disputavit. Niebuhrius enim, ut ab hoc ordiamur, epistolae ad M. Aurelium de eloquentia, e laceris dissipatisque membranis utcumque digestae, sic est praefatus 55), ut posteriorem aetate eam doceret duobus illis libris ad adolescentulum tum missis, quum is adhuc religiosus esset Frontonianae disciplinae sectator. Nimirum (ita pergit Niebuhrius) alio mox incorruptum iuvenis animum convertit Frontone sapientior magister, Iunius Rusticus, cui debere se fatetur Imperator (Comment. I, 7), quod a rhetoricae, poeticae et comptioris dictionis studiis desciverit, quod simpliciter epistolas scribere didicerit. Sed, quamvis abiectis rhetoricae illius crepundiis; *pie tamen antiquum colere magistrum perseveravit*, id operam dans in perpetuo sermonis et epistolarum commercio, ut ei se de hac studiorum mutatione purgaret. Recte haec Niebuhrius, et tum Antonini tum Frontonis scriptis convenienter. Quamobrem quum iam impatiens iuvenis celare magistrum non posset, quantopere istas rhetorices nugas con-

---

53) Capp. 9 et 31. Cfr. Maii Comment. praevium ad Frontonem p. LVII sq. ubi etiam haec leguntur: „Historiae Gallicanae litterariae scriptores (To. I. P. I. p. 286) temere aiunt, prolixum locum huius Frontonianae orationis apud Minucium exstare. Plane enim incertum est, utrum ipsa Frontonis verba Minucius recitet, an eiusdem mente tantum loquatur."

54) Agap. p. 361. et in appendice p. 50.

55 Frontonis edit. p. 75.

temneret: nihil tamen quidquam ſcripſit, quo ipſius magiſtri aliquem contemptum declararet[36]. Immo (quod idem Niebuhrius alio loco[37] monuit) ex quo Marcus ad imperium pervenerat, quod in ſenatu cum cura verba facere debebat, ad veteris magiſtri diſciplinam reverſus, ei ſtatuam quoque a ſenatu petiit. Quem Marci amorem non tam vana praeclarae eloquentiae opinione, quam vera virtutis laude candidoque animo et rara illo tempore φιλοστοργία conciliatum fuiſſe, Niebuhrius ex eo demonſtravit, quod commentariorum initio, ubi gratam commemorationem facit beneficiorum, a ſingulis in ſe collatorum, de eloquentia quidem Frontonis nihil quidquam profert, ſed multo maiora ſe et praeclariora ab illo accepiſſe praedicat. Is nimirum locus eſt commentariorum, in quo Keſtnerus potiſſimum opinionis ſuae argumentum quaeſivit: qui locus tantum abeſt, ut ad vituperationem Frontonis pertineat, ut diſciplinae eius laudes contineat[38]. Aperte id docent conſilium et cohaerentia totius orationis, in qua gratus ſcriptoris in parentes, in fratrem, in praeceptores animus, non ſarcasmus, non malevolentia, non obtrectandi ſtudium elucet: docent ipſa etiam verba, in quibus quod primo loco poſitum eſt (τυραννική), primarium eſt in ſententia, a quo ſic pendent cetera, ut, quum quae ſit tyrannorum invidentia, verſutia, ſimulatio, magiſter non ſuo, ſed aliorum exemplo

36) „*Aus Fronto* (p. 229) *geht hervor, daſs der Kaiſer dem früher hochgeachteten Lehrer einige Verachtung bewieſen hat.*“ Ita Keſtnerus Append. p. 50. Locum, quem laudavit, ne quis forte in editione Niebuhrii quaerat, cuius auctoritatem decem verſibus ante eadem in pagina adhibuerat, citavit nunc quidem editionem Mediolanenſem: neque alius locus eſt, quam quo artis non hominis, contemptus ſignificatur.

37) In diſſ. de M. Cornelio Frontone eiusque ſcriptis, praefixa editioni p. XXIV ſq.

38) I, 11. p. 3. ed. Coray. παρὰ Φρόντωνος, τὸ ἐπιστῆσαι, οἵα ἡ τυραννικὴ βασκανία, καὶ ποικιλία, καὶ ὑπόκρισις, καὶ ὅτι ὡς ἐπίπαν οἱ καλούμενοι οὗτοι παρ' ἡμῖν εὐπατρίδαι, ἀστοργότεροί πως εἰσίν. Quae verba in contrariam ſententiam ſic detorſit V. D. p. 361. „*Wie verächtlich dem Marc-Aurel der antichriſtliche Sinn des Fronto und ſein Betragen geworden war, hat er ſelbſt geſtanden:* „*Von Fronto* (*und ſeinem Benehmen habe ich gelernt*) *zu wiſſen, was tyranniſche* V e r l e u m d u n g *und* R ä n k e m a c h e r e y *und* h e u c h l e r i ſ c h e V e r ſ t e l l u n g *iſt* (*Charaktereigenſchaften, von denen Fronto eine ſtarke Doſis beſaſs, die er zum Theil gegen die Chriſten verbrauchte*), *und daſs doch meiſtens die bey uns ſogenannten* W o h l g e b o r n e n (εὐπατρίδαι, *die Adelsclaſſe, zu welcher der Conſul Fronto gehörte*) *die liebloſeſten Leute ſind.*“

docere Caesarem potuerit, ad eumdem quoque sensum, h. e. ad salubre illud ac frugiferum in cognitione rerum, quod Livius commendavit, referenda esse, quae de patriciorum moribus adiunxit, appareat. Ac profecto (ut, a quo initium huius confutationis duximus, eiusdem Niebuhrii verbis eam finiamus) virum bonum fuisse Frontonem, ex reliquiis eius efficitur. In Christianos quidem iniquissimus fuit, quos falsis infandorum scelerum criminibus oneravit; sed id non magis ei vitio vertendum est, quam Tacito, Plinio ipsique etiam Antonino, qui hac in re vel iudicio lapsi, vel partium studio decepti sunt 39).

39) Non aliter iudicat acutissimi vir ingenii, Fr. Rothius, *Bemerkungen über die Schriften des M. C. Fronto* p. 23.

II.

EXERCITATIO ANTONINIANA
SECVNDA

AVCTORE
HENRICO CAROLO ABR. EICHSTADIO
ACAD. PROGRAMMATAR.

Lectiones publice privatimque
in Vniversitate litterarum Ienensi
per aestatem anni MDCCCXXI
inde a die XXI Maii
instituendae indicuntur.

Quanta nuper ingenii animique contentione resuscitata sit vetus controversia de M. Aurelii Antonini in Christianos ipsorumque religionem animo, vos non ignoratis, Cives, qui rerum Christianarum historiam pertinere ad studia vestra existimatis, ceteri, qui sunt ab his studiis alieniores, poterunt, si volent, ex eo libello cognoscere, quo novi Prorectoratus auspicia his ipsis diebus indiximus. Ad litem diiudicandam magni imprimis sunt momenti, quae de Marci rebus adversus Quados et Marcomannos prope Granuam amnem gestis, reportataque ibi per legionis fulmineae preces admirabili de barbaris victoria, memoriae prodita sunt. Cuius victoriae quum alia documenta proferuntur, tum maxime epistola, qua Imperator ad senatum Romanum de tanto miraculo retulisse fertur. Ac scriptam ab eo esse eiusmodi epistolam, si non communis, at

aliqua tamen fuit apud veteres eccleſiae doctores fama 1): ſed utrum haec epiſtola, quae aetatem tulit, genuina ſit an ſubditiva, iam dudum in diſceptationem venit. Acquieſcebant plerique in Scaligeri, Baumgartenii, Moshemii, Semleri aliorumque 2) disputationibus, quibus ſic confecta res videbatur, ut de νοθείᾳ epiſtolae amplius dubitare non liceret, donec noſtra aetate acuti et audacis vir ingenii exortus eſt, qui, quae principes in hoc litterarum genere firmo ſatis fundamento inaedificaſſent, diruere omnia et evertere conaretur 3). Vnde neceſſitas exſtitit recognoſcendi fundamenta et labefactata, ſi forte, reparandi. Quod quo commodius fiat, h. e. quo facilius, quae adverſus αὐθεντίαν epiſtolae disputabimus, intelligi ab omnibus iudicarique poſſint, viſum eſt epiſtolam hoc loco ſubiicere, ne, qui cupidi ſunt harum disquiſitionum, eos ad Iuſtini Martyris apologias 4) aliosque libros, in bibliothecarum receſſu reconditos, amandare cogamur. Graecis appoſuimus Latina, ea quidem, quae tamquam ex bibliothecae Vaticanae cimeliis protracta primus in lucem edidit Angelus Roccha 5), ut ipſa ſcilicet Imperatoris manu, quam vocat, nos bearet, qui ſane non alia lingua, quam Romana, ad ſenatum Romanum ſcribebat. Rocchae auctoritatem non tuentur ceteri, qui eamdem verſionem repetiverunt 6). Nam Latina illa recentius eſſe, poſt Scaligeri adeo aetatem, conficta, ne ii quidem

---

1) Graviſſimum, immo unicum, teſtimonium eſt Tertulliani Apologet. c. 5. p. 62. ed. Haverc. Inde verba ſumpſit Hieronymus in Chronico Euſebiano ad a. Chr. CLXXIV. Marci XIII. p. 43 ed. Scalig., ab eodemque pendent Oroſius Hiſtor. VII, 15 et Xiphilinus Hiſt. Dionis Caſſii LXXI, 9. p. 1183 Reimar.

2) Libros accurate indicamus ea in Exercitatione, in qua de miraculo legionis fulminatricis proprie agitur.

3) In celebratiſſimo libro *Agapes* nomine inſcripto p. 463 ſqq.

4) Subiici enim epiſtola ſolet Apologiae longiori, a Iuſtino pro Chriſtianis ſcriptae (d. 138—143 ed. Grabii): quamquam apertum eſt, ab ipſo ſcriptore ibi reponi non potuiſſe, qui diu ante, quam illa ederetur, martyrio periiſſet. Eadem reperitur in Antonini commentariorum editione Wolliana p. 279 ſqq. (Gatakerus enim et nuper Coraius eam ſilentio damnarunt); tum in Franc. Balduini commentario ad edicta vett. principum Rom. de Chriſtianis p. 93 ſqq., in Theoph. Spizelii additam. ad epiſtol. de atheismo eradicando p. 135 ſqq. et Io. Alb. Fabricii Salutari luce Evangelii p. 228 ſeqq. Latine ſaepius repetita eſt ex vulgari verſione, etiam in Io. Lud. Ruelii Conciliis illuſtratis To. IV. p. 411 ſeqq.

5) De bibliotheca Vaticana p. 288.

6) Onuphr. Panvinius Faſtorum lib. II. p. 234. Baronius Annal. ad a. Chr. CLXXVI. n. 21. Spizelius et Fabricius loc. laud.

negare ſunt auſi, qui epiſtolae ipſius vindicias egerunt. Concinnata ſunt enim ad cenſuram Graecorum Scaligerianam, ut pia ſcilicet fraude tollerentur dubitationes, quibus Criticus primarius epiſtolae αὐθεντίαν impugnarat: id quod iam pridem Baumgartenius 7) egregie docuit. Quamobrem ſi in Graecis, quemadmodum vir doctiſſimus 8) nuper pronunciavit, nobis non ſupereſt niſi epiſtolae, ab Imperatore Marco Latine conſcriptae, verſio, eaque minus accurate facta, nec ſententiae auctoris in omnibus conveniens: in Latinis illis, quae Roccha vulgavit, non habemus niſi emendatam verſionem verſionis, cuius archetypum interiit; ſin nullum umquam eius argumenti archetypum exſtitiſſe ſtatuamus, quae noſtra ſententia eſt, Roccha nihil quam fraudem fraude coloravit. Sed hac de re alias: iam, miſſis ambagibus, ipſam epiſtolam reddimus.

Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος, Αὐρήλιος, Ἀντωνῖνος, Γερμανικὸς, Παρθικὸς, Σαρματικὸς, δήμῳ Ῥωμαίων καὶ τῇ ἱερᾷ συγκλήτῳ χαίρειν 9). Φανερὰ ὑμῖν ἐποίησα τὰ τοῦ ἐμοῦ σκοποῦ μεγέθη 10), ὁποῖα ἐν τῇ Γερμανίᾳ ἐκ περιστάσεως διὰ περιβολῆς ἐπακολουθήματα ἐποίησα, ἐν τῇ μεθορίᾳ καμῶν καὶ παθῶν 11), ἐν Καρνούτῳ 12) καταλαμβανο-

Imperator Caeſar M. Aurelius Antoninus Auguſtus, Parthicus, Germanicus, Sarmaticus, Pontifex maximus tribuniciae poteſtatis XXVIII. Imp. VII. Cos. III. Pater Patriae Procoſ. S. P. Q. R. S. D. Certiores vos feci de conſilii propoſitique mei magnitudine, et quae in Germania mihi in discrimine atque ob-

7) In Examine miraculi legionis fulminatricis contra Tho. Woolſtonum (Hal. 1740. 4.) p. XXXX ſeqq.

8) Agapes p. 483.

9) In Latina interpretatione additi ſunt honores, quos Auguſtorum nominibus apponere Romani illo tempore ſolebant, omiſſa inſolens appellatio *ſacri* ſenatus. In utroque interpres obtemperavit Scaligeri cenſurae (Animadvv. ad chronolog. Euſebii p. CCXXII ſq.), qui ex hoc ipſo Graecam epiſtolam νοθείας accuſabat. Sed hoc eſt eludere accuſationem, non refellere.

10) Τὰ τοῦ ἐμοῦ σκοποῦ μεγέθη. Voluit enim M. Antoninus, quemadmodum Iul. Capitolinus in Vita eius c. 24 p. 384 narrat, Marcomanniam provinciam, voluit etiam Sarmatiam facere: et feciſſet, niſi Avidius Caſſius ſub eodem in Oriente rebellaſſet.

11) Καμῶν καὶ παθῶν. Sic recte pro σταθῶν Scaliger, Io. Langus, Grabius, Fabricius. — Sylburgius in vulgata lectione nomina quaerebat populorum, Κοάδων καὶ Σαρματῶν, ingenioſius quam verius.

12) Vulgo: ἐκ Κοτίνῳ. Scaliger bene emendavit. *Carnutum* vel *Carnuntum* fuit oppidum Pannoniae ſuperioris, ad quod Marcus in bello Marcomannico per triennium haeſit. Cfr. Cellarii Geograph. an-

μένου μου ὑπὸ δρακόντων 13) ἑβδομήκοντα τεσσάρων ἀπὸ μιλίων ἐννέα. Γενομένων δὲ αὐτῶν ἐγγὺς ἡμῶν, ἐξπληράτωρες 14) ἐμήνυσαν ἡμῖν, καὶ Πομπηιανὸς ὁ ἡμέτερος πο-

sidione alia ex aliis inciderunt, quum in eius medio labore atque aestu confectus fuissem. Sane dum Carnuti essem, speculatores mihi indicarunt, LXXIV

---

tiq. I. p. 441. Scaligeri correctionem etiam h. l. sequutus est Rocchae interpres.

13) Non possunt haec ex contextus ratione nisi ad hostiles copias referri: ideoque Scaliger pro δρακόντων reponi iussit θρούγκων, siquidem *dracones* signa Romano exercitui propria, *drungi* autem vocatae fuerint barbarorum cohortes, quod vocabulum Diocletiani demum saeculo in Latinam linguam irrepserit. Sed ne sic quidem his congruunt sequentia, ubi barbarorum ὄχλος memoratur χιλιάδων ἐννακοσίων ἑβδομήκοντα ἑπτά. Nec dracones prorsus ignoraverunt barbarae gentes. Cfr. Lipsius de milit. Rom. L. IV. in Opp. To. III. p. 194. Salmasius (ad Iul. Capitolinum de vita Antonini c. 24 p. 383), Scaligeri se ferens adversarium, Marcum existimat de suis, non de hostium copiis loqui: dracones decem fuisse in unaquaque legione; itaque dracones septuaginta, septem legiones efficere; Marcum suas copias, minores multo et inferiores, comparare cum infinita barbarorum multitudine. At LXXIV dracones ex hac ipsa ratione efficiunt septem et dimidiam legiones; hoc loco Marcus non nisi quattuor secum habuisse dicitur. Quod Scaliger probe reputans verbum mutavit. Langus Iulium Capitolinum c. 22 in partes vocat, qui gentes omnes ab Illyrici limine usque in Galliam conspiravisse narrat, ut Marcomannos, Varistas, Hermunduros et Quados, Suevos, Sarmatas, Laringes et Buros, Taifalos, Victovales, Sosibes, Sicobotes, Rhoxolanos, Bastarnas, Alanos, Peucinos, Costobocos. Hos itaque populos in hac epistola designari putavit per septuaginta quattuor dracones, per ingentem multitudinem, per turbam confertam nongentorum septuaginta millium. Ceterum Salmasius quod ex ipso illo vocabulo *draconum* epistolam ita impugnat, ut neget Antonini tempore haec signa Romanis in usu fuisse, neque omnino verum dixit, nec, si dixisset, id valeret ad epistolae νοθείαν demonstrandam, quandoquidem hostiles intelligendae sunt copiae, non Romanae. Fabricius de dracone, signo militari, et de draconariis Geo. Hieron. Velschii librum laudavit de vena Medinensi p. 84 sq., sed nihil ibi reperitur, quo noster locus aut defendi possit aut redargui. Nobis quid de eo videatur, paucis accipite. Aut oscitanter scripsit, nihil attendens ad sequentia, quisquis has litteras Marco supposuit, aut interpolatoris culpa factum est, ut hoc additamentum contextum turbaret.

14) Ἐξπληράτωρες. Cangium in hac voce laudat Fabricius, quam reperiri monet in Rufi legibus militaribus et in vetere inscriptione ap. Gruterum p. 458. I. Non novum hominum genus et nomen fuisse in Romano exercitu, veterum loca docent allata in Spanhemii dissert. X de usu et praestant. numism. To. II. p. 235.

λέμαρχος ἐδήλωσεν ἡμῖν, ἅτινα εἴδομεν, (καταλαμβανόμενος δὲ ἤμην ἐν μεγέθει πλήθους ἀμίκτου, καὶ στρατευμάτων λεγεῶνος πρίμας, δεκάτης, γεμίνας, Φρεντησίας [15]) μίγμα κατηριθμημένον [16]),) πλήθη παρεῖναι παμμίκτου ὄχλου χιλιάδων ἐννακοσίων ἑβδομήκοντα ἑπτά. Ἐξετάσας οὖν ἐμαυτὸν καὶ τὸ πλῆθος τὸ ἐμὸν πρὸς τὸ μεγέθος τῶν βαρβάρων καὶ πολεμίων, κατέδραμον εἰς τὸ θεοῖς εὔχεσθαι πατρῴοις. Ἀμελούμενος δὲ ὑπ' αὐτῶν, καὶ τὴν στενοχωρίαν μου θεωρήσας τῆς δυνάμεως, παρέκαλεσα τοὺς παρ' ἡμῖν λεγομένους Χριστιανούς· καὶ ἐπερωτήσας εὗρον πλῆθος καὶ μεγέθος αὐτῶν, καὶ ἐμβριμησάμενος εἰς αὐτοὺς [17]), ὅπερ οὐκ

hoſtium dracones prope nos novem millibus adeſſe, idemque Pompeianus, quem bello ducem praefecimus, renunciavit. Quumque in noſtrorum militum exercitu haberemus tantum legiones primam, decimam, geminam et fretenſem, hoſtium vero DCCCC et LXXVII M. eſſent, measque ipſius copias cum ingenti barbarorum atque hoſtium exercitu comparaſſem, deos patrios votis ſusceptis rogavi. Sed quum ab eis negligerer, meque ab hoſtibus premi animadverterem, copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos qui apud nos Chriſtiani dicuntur, arceſſivi, ac rogavi,

15) Vulgo: *γεμιναΦρεντησία*. Legionum nomina Salmaſius ad Iul. Capitol. p. 383 reſtituit, bene monens, Graecos ita conſueſſe haec nomina enunciare: *fretenſe*, Φρεντήσιον (non Φρετήνσιον, quod Scaliger voluerat), *caſtrenſe*, κανστρήσιον cet. De legione XIV *gemina* cfr. Reimar. ad Dion. Caſſ. LV, 23: p. 796. Ceterum ab his Criticorum correctionibus rurſus profecit Rocchae interpres.

16) Obſcuritatem loci minuere voluimus appoſito ſigno parentheſeos, ut ἐδήλωσεν ad παρεῖναι referatur, et μίγμα κατηριθμημένον opponatur μεγέθει πλήθους ἀμίκτου. Sed poſt μίγμα excidiſſe videtur ἦν. Scaliger malebat ἀκατηριθμημένῳ πλήθει, quo non fit facilior iunctura reliquorum.

17) Suſpicabatur doctiſſimus Agapes auctor (p. 469) Marcum Latine ſcripſiſſe: *eos urgebam*; id perperam intellectum ab interprete Graeco, qui de perſequutionibus Chriſtianorum cogitaverit, originem dediſſe inepto additamento: ὅπερ οὐκ ἔπρεπε, διὰ τὸ ὕστερον ἐπεγνωκέναι τὴν δύναμιν αὐτῶν, quo ſententiarum tenor male interrumpatur. Non nimis eleganter ſcriptam eſſe epiſtolam, qui Graece ſcit, facile videt: ſed in hac quidem orationis continuatione nihil nos moratur; neque in verbo Graeco *perſequendi* magis quam *fremendi* notionem reperimus. Fremuit autem, deſperatis rebus omnibus, Imperator et Chriſtianos increpuit, quaſi iſti eſſent cauſa praeſentium malorum: uti recte explicavit Fabricius. Sic terrae motus, eodem ſaeculo in Aſia exorti, ad Chriſtianos referebantur, tamquam publicae calamitatis auctores, qui iram deorum concitaviſſent. Sic multa eiusdem generis tradit illorum temporum hiſtoria. Itaque aſſentiri non poſſumus

ἔκρινε, διὰ τὸ ὕστερον ἐπεγνωκέναι με τὴν δύναμιν αὐτῶν. Ὅθεν ἀρξάμενοι [18]) οὐ βελῶν παράρτησιν, οὔτε ὅπλων, οὔτε σαλπίγγων, διὰ τὸ ἐχθρὸν εἶναι τὸ τοιοῦτο αὐτοῖς διὰ τὸν θεὸν ὃν φοροῦσι κατὰ συνείδησιν [19]). Εἰκὸς οὖν ἐστὶν, οὓς ὑπολαμβάνομεν ἀθέους εἶναι, (ὅτι) [20]) θεὸν ἔχουσιν αὐτόματον, ἐν τῇ συνειδήσει τετειχισμένον. Ῥίψαντες γὰρ ἑαυτοὺς ἐπὶ τὴν γῆν, οὐχ ὑπὲρ ἐμοῦ μόνον ἐδεήθησαν, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τοῦ παρόντος στρατεύματος παρήγοροι γενέσθαι [21]) δίψης καὶ λιμοῦ τῆς παρού-

invenique magnam eorum multitudinem, illosque minis compuli, quod minime decuerat, propterea quod poſtea illorum vim ac poteſtatem cognovi. Itaque non ad telorum praeparationem, non armorum, neque ad tubarum uſum ſe contulerunt. Hoc enim illis facere Dei cauſa et nomine, quem in conſcientia geſtant, iucundum non eſt. Aequum igitur eſt, ut quos impios eſſe et a deo alienos opinamur, eos exiſtimemus deo munitos eſſe. Quum enim ſe humi pro-

Prudentio Marano, in Iuſtini operum editione Hagana (Pariſienſi a. 1742. f.) p. 86, qui indignationem Imperatoris non aliunde ortam eſſe ait, quam ex perſpecto Chriſtianorum magno numero.

18) Scaliger corrigebat: οἱ οἴκοθεν ἀξάμενοι οὐ βελῶν παράρτησιν κ. τ. λ. ridetque Chriſtianos, qui ſparſi in exercitu ſine armis aut telis militaverint. Sed iniquum eſt, ait Grabius, ſcriptoribus abſurda verba affingere, et ob illa ipſa eos traducere. Neque tamen inficiari licet, laborare contextum. Grabius ita explicat: Chriſtianos in praeſenti periculo pugnam non ab armorum paratu, vel claſſici cantu, ſed a precibus ad deum incepiſſe. Nuper V. D. cogitavit de uſu tubarum et armorum in ſacris, provocavitque ad Suidam ſ. v. σάλπιγξ et, quem Kuſterus ibi laudat, Artemidorum I, 58. Sed huic explicationi adverſatur βελῶν παράρτησις. Niſi forte amplectenda eſt Prud. Marani emendatio, παρατήρησιν, h. e. *contemplationem*, *obſervationem*, ut ſignificetur ſuperſtitioſa Romanorum cerimonia, qui pugnae auſpicia ab eiusmodi nugis ſumebant. Cfr. Liv. XXII, 1. Cic. N. D. II. 3. Divin. II, 36 ibique Hottingerus. Quae conſuetudo ſi iam obſoleta fuit Marci tempore, novo indicio νοθείαν epiſtolae agnoſcimus, cuius auctor morem illum tunc adhuc viguiſſe aut finxit aut credidit.

19) Explicationis cauſa addimus Grabii notam: „In Martyrio S. Ignatii To. I. Spicileg. Patrum ſec. II. p. 11. Traianus Imperator Ignatium interrogaſſe fertur: Σὺ οὖν ἐν ἑαυτῷ φέρεις τὸν σταυρωθέντα; Ignatius vero reſpondiſſe: Ναί· γέγραπται γάρ· ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς καὶ ἐμπεριπατήσω." Sumpta eſt loquendi formula ex N. T. Rom. VIII, 9. 1 Cor. III, 16.

20) Ὅτι. Hac vocula contextum ſupplevit Sylburgius; ſed Grabius putabat plura deſiderari.

21) παρήγοροι γενέσθαι, „i. e. ἐγενέθησαν. Itaque non opus eſt cum Scaligero ſcribere παρήγορον." *Fabricius.*

σης. Πεμπταῖοι γὰρ ὕδωρ οὐκ εἰλήφειμεν, διὰ τὸ μὴ παρεῖναι. Ἦμεν γὰρ ἐν τῷ μεσομφάλῳ τῆς Γερμανίας καὶ τοῖς ὄροις αὐτῶν [22]). Ἅμα δὲ τῷ τούτους ῥίψαι ἐπὶ τὴν γῆν ἑαυτοὺς, καὶ εὔχεσθαι θεῷ, ᾧ ἐγὼ ἠγνόουν, εὐθέως ὕδωρ ἠκολούθει οὐρανόθεν, ἐπὶ μὲν ἡμᾶς ψυχρότατον, ἐπὶ δὲ τοὺς Ῥωμαίων ἐπιβούλους [23]) χάλαζα πυρώδης. Ἀλλὰ καὶ εὐθὺ θεοῦ παρουσίαν ἐν εὐχῇ γινομένην παραυτίκα, ὡς ἀνυπερβλήτου καὶ ἀκαταλύτου [24]). Αὐτόθεν οὖν ἀρξάμενοι, συγχωρήσωμεν τοῖς τοιούτοις εἶναι Χριστιανοῖς, ἵνα μὴ καθ' ἡμῶν τι τοιοῦτον αἰτησάμενοι ὅπλον, ἐπιτύχωσι. Τὸν δὲ τοιοῦτον συμβουλεύω διὰ τὸ τοιοῦτον εἶναι Χριστιανὸν, μὴ ἐγκαλεῖσθαι. Εἰ δὲ εὑρεθείη τις

iecissent, non solum precati sunt pro me, sed etiam pro toto hoc exercitu, ut famis ac sitis, qua urgebamur, remedium aliquod afferretur. Quinque enim diebus aquam non sumpseramus, quod ea non suppeteret: eramus enim in media Germania montibus undique conclusi. Simul autem atque sese humi abiecerunt, ac deum illum precati sunt, quem ego ignorabam, statim e caelo pluvia delapsa est in nos quidem frigidissima, in Romanorum vero hostes grando ignis specie ac similitudine, ac fulmina: eorumque orationibus ac precibus statim praesto deus fuit, qui neque vinci neque expugnari potest. Quamobrem illinc

22) Etiam h. l. Graecum interpretem auctor Agapes p. 470 putat negligentia lapsum scripsisse ὄροις pro eo, quod ex archetypo reddendum esset, ὄρεσι. Itane Graeculo illo diligentior fuit Rocchae interpres, sua versione versionis Graecae vitium emendans? Vix credimus. Ergo aut ὄροις vitium est librarii, aut hoc servato scribendum: καὶ τοῖς ὄροις Κουάδων. Atque hoc nobis probabilius videtur. Nam quod Sylburgius legendum αὐτῶν, idque primae personae significatione, pro ἡμῶν αὐτῶν, *in finibus nostris*, dictum censebat, iure reprehendit Grabius. Nostram emendationem adiuvat Paullus Orosius Histor. adv. paganos VII, 15. p. 494. Haverc. tradens, *in Quadorum usque fines progressum exercitum, circumventumque ab hostibus, propter aquarum penuriam praesentius sitis quam hostis periculum sustinuisse.* Et Dio Cassius LXXI, 8. p. 1182 eadem in re τοὺς καλουμένους Κουάδους commemorat. De Quadorum sedibus vid. Cellarii Geogr. antiq. I. p. 389. Reimarus ad Dion. l. l. et praeter Mannertum *Barth Teutschlands Urgeschichte* II. p. 190. Add. Langi Annotationes in edit. Grabiana p. 56.

23) Hinc bene illustravit Salmasius subobscura Capitolini verba c. 24: *fulmen de caelo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit.* Id enim machinati fuerant barbari, ut interclusos siccis locis Romanos, aestu sitique confectos, sine praelio vincerent, locis opportunis omnibus a se occupatis, ne aquari possent.

24) Post ἀκαταλύτου deest συνείδομεν, vel simile verbum. Notavit Sylburgius.

ἐγκαλῶν τῷ Χριστιανῷ, ὅτι Χριστιανός ἐστι, τὸν μὲν προςαγόμενον Χριστιανὸν πρόδηλον εἶναι βούλομαι γίνεσθαι 25) ὁμολογήσαντα τοῦτο, ἄλλο ἕτερον μηδὲν ἐγκαλούμενον, ἢ ὅτι Χριστιανός ἐστι μόνον, τὸν προςάγοντα δὲ τοῦτον, ζῶντα καίεσθαι, τὸν δὲ Χριστιανὸν ὁμολογήσαντα, καὶ συνασφαλισάμενον περὶ τοῦ τοιούτου, τὸν πεπιστευμένον τὴν ἐπαρχίαν εἰς μετάνοιαν καὶ ἀνελευθερίαν τὸν τοιοῦτον μὴ μετάγειν. Ταῦτα δὲ καὶ τῆς συγκλήτου δόγματι κυρωθῆναι βούλομαι, καὶ κελεύω τοῦτο μου τὸ διάταγμα 26) ἐν τῷ Φόρῳ τοῦ Τραϊανοῦ 27) προτεθῆναι, πρὸς τὸ δύνασθαι ἀναγινώσκεσθαι.

exorsi, concedamus talibus, ut sint Christiani, ne qua arma eius generis contra nos petant et impetrent. Censeo autem neminem, quod Christianus sit, esse in crimen et iudicium vocandum. Quod si quis inventus fuerit crimini dare cuipiam, quod Christianus sit, ei quidem, qui in crimen vocatur, manifestum fieri volo, nihil aliud obiectum esse, quam quod Christianus tantum est, eum autem, qui Christianum accusavit, vivum exuri. Illum vero, qui Christianum se esse professus fuerit, periculo omni, quod ob eam rem ei creabatur, liberatum, is cui

25) Laborat oratio, non librariorum vitio, putamus, sed imperitia scribentis, qui εἶναι ad πρόδηλον, γίνεσθαι ad ὁμολογήσαντα retulisse videtur.

26) Constitutionis huius fragmentum, fuere, qui Alciato et Budaeo ducibus agnoscerent in Vlpiani lib. III de officio procons. §. 3. D. de decurionibus L, 2: *Eis qui Iudaicam superstitionem sequuntur, Divi Verus et Antoninus honores adipisci permiserunt: sed et necessitates eis imposuerunt, quae superstitionem eorum non laederent.* Sed si vel maxime adhaerescamus ad textus vulgati depravationem; si concedamus quoque, Iudaicam religionem interdum, et prioribus quidem saeculis, dictam esse pro Christiana, propterea quod haec ex illa promanaverit: primum tamen occasionem sanctioni isti milites dare non potuisse Christianos, quorum precibus pluviae beneficium tribueretur, Chr. Kortholtus (de persequutionibus ecclesiae primitivae sub Impp. p. 245) iam ex eo demonstravit, quod constitutionis auctor Lucius quoque Verus laudetur, Marci collega, qui iam ante bellum Marcomannicum apoplexia correptus repentinam mortem obiisset. Deinde vero alia sunt argumenta, quae in isto Vlpiani depravato loco non de Antonini et Veri constitutione, sed potius de edicto Septimii Severi et Caracallae, ideoque de Iudaeis, non de Christianis, cogitare nos iubeant. Itaque Vlpiani fragmentum prorsus nihil pertinet ad epistolam nostram. Quod alio loco demonstrabitur.

27) Locum solemnem fuisse promulgandis edictis, ex Brissonio de formulis p. R. III. p. 324. notavit Fabricius.

φροντίσει 28) ὁ πραίφεκτος Βιτράσιος 29) Πολλίων εἰς τὰς πέριξ ἐπαρχίας πεμφθῆναι, πάντα δὲ τὸν βουλόμενον χρῆσθαι καὶ ἔχειν, μὴ κωλύεσθαι λαμβάνειν ἐκ τῶν προτεθέντων παρ' ἡμῶν.

provincia commissa est, nequaquam ad poenitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Haec autem S. C. etiam sanciri volo, atque hoc meum edictum in foro Divi Traiani proponi, ut legi possit. Curae autam erit Vitrasio Pollioni, praefecto iam urbis, ut ad omnes provincias haec constitutio mittatur, neque quisquam, qui eam exscribere, vel ipsa uti voluerit, prohibeatur. Valete.

Haec ita praefati, novas vobis scholas indicimus, Cives, per proximam aestatem instituendas. Quas priusquam adeatis, tria paterno vos animo admonemus: primum, ut, quod maiores non multa legenda esse, sed multum, praeceperunt, idem dictum vobis putetis de auditione; alterum, ut, quae multum h. e. assidue ac diligenter audiatis, non temere, sed consilio, ex ipso disciplinarum ordine ac ratione deligatis, in eaque re monitoris prudentiam adhibeatis; tertium, idque potissimum, ut, quod Christophorus Cellarius academiae illius, quam nascentem ornabat, civibus olim exprobravit, in hac iam adulta litterarum schola procul a vobis abesse curetis. Qui quum in dissertatione, quam de fatis Latinae linguae scripsit, Pomponium Laetum, Vallae aequalem aut supparem, Professorem Romanum, laudasset, principem academiae suae, magno stipatum adolescentum numero, ex ore eius sic appetentium optimas litteras, ut ipse, quod Sabellicus narrat, docere inciperet antelucanis horis, descenderetque ex Esquiliis ad lumen laternae, nisi pernox luna esset, haec tandem mitissimi vir ingenii non sine indignatiuncula quadam subiecit: „Bone Deus, quantum mutata nostra iuventus ab illa decimi quinti saeculi Romana! Non noctu, sed claro die, et sub ipsum meridiem, docentur nunc eaedem litterae: quotusquisque accedit ex iis, qui rerum suarum fortuna ad summum possint haec studia perducere? Nam illi, qui velint proficere, apparatu et sumptu destituuntur. Sed is est genius saeculi, ut plures illotis manibus tan-

28) Particulas δὲ καὶ post verbum φροντίσει excidisse putabat Sylburgius.

29) Vulgo Βηράσιος. Nomen praefecti iam Brissonius l. c. restituit.

tum ea studia attingant, ex quibus plus lucelli sperant, neglectis iis, quae ceteris fundamentum praestant, et animum adducunt ad veram humanitatem." Haec Cellarius ante hos ipsos centum et viginti annos, quae, exculto scilicet saeculi ingenio, nimis antiqua multis et obsoleta videbuntur. Sed veritas non obsolescit. Vos igitur, CIVES, quae impediunt rectam studiorum rationem, nisi mature caveritis in academica umbra, numquam, credite, in pulverem solemque cum dignitate prodibitis. P. P. in Vniversitate litterarum Ienensi, die V Februarii, anno MDCCCXXI.

LECTIONES
PROFESSORUM ORDINARIORUM
THEOLOGIAE.

IO. PHILIPPUS GABLER, D. 1) h. VIII—IX fenis diebus et VI—VII vespert. quater per hebdomadem Evangelia Matth. Marc. et Lucae *συνοπτικῶς* interpretabitur; 2) h. III—IV Christologiam V. T. seu oracula V. T. ad Iesum Christum relata illustrabit. — Denique h. VI—VII vesp. d. Mercur. exercitia interpretandi et disputandi in *seminario theologico* moderari perget.

HENR. AUG. SCHOTT, D. *senis diebus* h. IX—X itemque *binis diebus* h. XI—XII partem maiorem *Theologiae Christianae dogmaticae* tradet secundum epitomen suam Theologiae dogmaticae, eiusque *editionem novam* (Lipsiae, apud Barthium, MDCCCXXI.), *reliquam* partem minorem *hieme* sequente lectionibus publicis pertractaturus; itemque *quaternis diebus* h. XI—XII *artem oratoriam sacram* docebit, sequuturus compendium suum: *Kurzer Entwurf einer Theorie der Beredsamkeit u. s. w. zweyte Ausgabe, Leipzig, bey Barth,* 1815. 8. Ceterum conventibus *seminarii homiletici* diebus *Iovis* hora quadam *pomeridiana* constituenda *gratis* praeesse perget.

IO. TRAUG. LEBR. DANZ, D. privatim docebit 1) h. X—XI. et h. VII—VIII matut. dieb Merc. et Sat. *historiae ecclesiasticae* partem posteriorem; 2) h. VII—VIII matut. dieb. Lun. Mart. Iov. et Ven. *Artis paedagogicae et didacticae* praecepta. *Seminarii catechetici* labores diriget h. I—II d. Lun.

LUD. FRID. OTTO BAUMGARTEN-CRUSIUS, D. VI. dd. h. VII matut., *theologiam moralem*, h. XI *dogmatum Christianorum historiam* ad seculum usque

XV, exponet. Deinde IV dd. h. V. vesp. *encyclopaediam theologicam* describet, et, conf. Ampliss. Ordine, h. IV, conspectum *historiae philosophicae*, semestri spatio complectendum. Nec deerit *examinatoriis scholis*.

IURISPRUDENTIAE.

ANDR. IOSEPH. SCHNAUBERT, D. *privatim* h. X. *jus ecclesiasticum Protestantium*, libello proprio usurus, *publice* specialia *juris ecclesiastici Catholicorum* principia docebit.

PAULLUS CHRISTOPHORUS GOTTLOB. ANDREAE, D. *publice* diebus horisque definiendis *Gaii Institutionum Commentarium secundum* interpretabitur; *privatim* sénis diebus h. X et diebus Martis, Iovis et Veneris h. III *Historiam Iuris Romani* Hugone duce (*Lehrbuch der Geschichte des Römischen Rechts*, *Berlin* 1820) enarrabit.

C. G. KONOPAK, D. 1) processum criminalem h. VIII, duce Martiniani compendii edit. secunda, 2) institutiones iuris Romani privati h. IX, duce libro a se scripto, tradet.

AUG. SIGISM. KORI, D. privatim: 1) Ius Saxonic. privatum et commune et particulare terrarum lineae Albertinae atque Ernestinae dieb. Mart. Mercur. et Ven. h. XI tradet. 2) Processus summarios legibus Saxonicis determinatos dieb. Lun. et Iov. h. XI nec non die Saturn. h. X exponet. 3) Artem, acta judicialia extrahendi et ex iis referendi, docebit.

CAR. GUIL. WALCH, D. privatim 1) principia *iuris Germanici privati* duce Rundio h. VII — VIII exponet; 2) elementa *artis diplomaticae* e schedis suis, adhibito Schoenemanni libro (*Lehrbuch der allgemeinen, besonders ältern Diplomatik, Neue Ausg. Leipz.* 1818) h. III — IV diebus Lun. Mart. Iov. et Vener. tradet. Lectiones publice habendas suo loco et tempore indicabit.

FRIDERICUS ORTLOFF, D. *publice* docebit doctrinam *de successione ab intestato* secundum Nov. CXVIII et CXXVII, duce libello suo: *Justinians neue Verordnungen über die Intestaterbfolge. Coburg* 1816. 8., die Saturni h. VII. *Privatim* tradet. 1) *principia praxeos iuris gentium* seu *Diplomatiae*, binis diebus, horis definiendis, 2) *ius Pandectarum* ex Schweppio libro: *das Römische Privatrecht. Zweite Ausgabe. Altona* 1819. 8., quinis diebus, h. VII. VIII. et XI.

CAROLUS ERNESTUS SCHMID, D. privatim h. X *Iuris publici Germanici* doctrinam ex schedis suis explicabit.

CHRISTOPH. MARTIN, D. non solum partem *specialem* theoriae *processus civilis* communis, a §. 132 inde, ad finem usque, compendii sui (edit. 6.) h. XI — XII enarrare perget, sed etiam ius *criminale*, per Germaniam commune, *exclusa* tamen theoria processus criminalis, tradet h. IX — X, libello suo, sub titulo: *Lehrbuch des deutschen gemeinen Criminal-Rechts* usurus.

CAR. EICHMANN, D. publice ter p. h. encyclopaediam et methodologiam iuridicam tradet.

MEDICINAE.

IO. FRID. FUCHS, D. *publice* Syndesmologiam c. h. iuxta LODERI compendium anatomicum demonstrabit diebus Merc. et Saturn. h. I. *privatim* Sceleti humani fabricam ad eumdem librum describet ac cum animalium ossibus e museo magniducali zootomico desumptis comparabit diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. h. I. Angiologiam et Neurologiam c. h. explicabit h. V.; *privatissime* A. C. Celsi libros de Medicina interpretabitur h. VI. vespertina.

IO. CHRIST. STARK, D. *privatim* 1) h. VII — VIII *Artem obstetriciam theoretico-practicam* una cum *morbis recens natorum* tradet. 2) *Operationes chirurgicas* in cadaveribus tum in Theatro anatomico tum in Nosocomio demonstrabit. 3) h. VIII — IX *Morbus oculorum* secundum propria dictata exponet. 4) h. X — XI *Scholas clinicas* cum Ill. SUCKOWIO moderabitur easque ita, ut auditores in praxi tum medico-chirurgica tum ophthalmologica exerceantur. 5) h. VI — VII vesp. *Praxin obstetriciam* in Nosocomio a Magno Duce Sax. condito cum Excell. WALCHIO dirigere perget.

GUIL. CAROLUS FRIDERICUS SUCKOW, D. tradet 1) *Pathologiae et Therapiae specialis* partem posteriorem h. III — IV et quater per hebdomadem I — II. 2) *Pharmacologiam* h. IX — X. 3) *Scholis clinicis* una cum Perill. STARKIO praeesse perget h. X — XI.

DITER. GEORG. KIESER, D. *privatim* tradet: 1) Quaternis diebus hora XI — XII Systematis medicinae *partem priorem*, nempe *Physiologiam morbi* et *Pathologiam ac Therapiam generalem*, ad librum suum: *System der Medicin*, 1. 2. *Bd. Halle, bey Hemmerde und Schwetschke.* 1817. 1819. 8. 2) Senis diebus, h. X — XI *Pathologiae et Therapiae specialis sectionem primam*, quae *Exanthemata* et *Inflammationes* comprehendit, ex schedis. — *Privatissime* offert: 1) *Doctrinam Magnetismi animalis*, tum theoriam tum praxin magneticam, quantum licet, respi-

ciens, ad filum compendii sui mox in lucem prodituri: *System des Tellurismus oder thierischen Magnetismus. Leipzig, bei F. L. Herbig, 1821. 2 Bde. 8.* 2) *Anatomiam et Physiologiam plantarum*, ad librum suum: *Grundzüge der Anatomie der Pflanzen, Jena bey Cröcker*, 1815 8., iunctis demonstrationibus in plantis vivis sub microscopio instituendis. — *Publice Examinatorium medicum theoretico-practicum* in usum candidatorum medicinae solito more ac tempore instituet.

FRID. SIGISM. VOIGT, D. *privatim* tradet 1) *Botanicen*, coniunctam cum excursionibus h. IX — X. 2) *Historiam naturalem*, hor. XI — XII.

PHILOSOPHIAE.

IO. HENR. VOIGT, D. *publice*, *Geographiam physico-mathematicam*, adductum compendii Mayeriani; *privatim*, h. II — III *Mathesin puram* et *Geodaesiam*; h. VIII — IX *Matheseos applicatae* partes *mechanicas et opticas* cum *Introductione* in *Mathesin sublimiorem* ex propriis praeceptis; h. X — XI *Physicam theoretico-experimentalem*, Mayero duce, docebit.

HENR. CAR. ABR. EICHSTAEDT, D. *publice*, statis quidem diebus, Seminarii philologici ceterisque exercitationibus aderit; *privatim* h. IX — X *Historiam litterarum Graecarum et Romanarum* enarrabit, addita scriptorum antiquorum censura, optimarum editionum notatione cet.; h. XI — XII *Taciti Annales* interpretabitur; *privatissime*, si copia erit, *linguam Graecam Latinamve* docebit.

HENRICUS LUDEN, D. *privatim* 1) *historiam medii*, quod vocant, *aevi* secundum librum suum: *Allgemeine Geschichte der Völker und Staaten des Mittel-Alters, Jena, bey Frommann*, 1821, quinis diebus h. IV. docebit; 2) *historiam novissimi temporis* inde a morte Friderici II. Borussorum regis usque ad ..... senis diebus h. X enarrabit. Lectiones *publicas* suo loco et tempore indicabit.

IO. GEORG. LENZ, D. Exercitationes Societatis Mineralogicae quolibet die dominico h. III — IV moderari perget. Publice hora commoda exponendis Germanorum antiquitatibus operabitur. Privatim *Mineralogiam* cum *Geognosia* coniunctam ex compendio suo: *Erkenntnisslehre der anorganischen Naturkörper zum selbsteigenen Unterricht, und mit vorzüglichster Hinsicht auf Cameralisten und Oekonomen*, sic tractabit, ut cum institutione, tum ipsa contemplatione et perpetua αὐτοψίᾳ corporum *Auditores* ad accuratam et veram huius disciplinae cognitionem perveniant: nec iis deerit, qui Musei Carolo-Augustei et *Societatis Mineralogicae thesauros* diligentius cognoscere voluerint.

CAR. FRID. BACHMANN, D. *privatim*, quinis diebus h. IV—V *Logicen* docebit; h. V—VI quinis diebus *Metaphysicen* explicabit; denique hora auditoribus commoda *Aestheticen*, ex suo compendio, exponet.

IO. GODOFR. LUD. KOSEGARTEN, D. 1) dieb. Lun. Mart. Iov. et Ven. h. VII—VIII mat. *librum Iobi* interpretabitur; 2) dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. II—III *Introductionem in Veteris Testamenti libros historico-criticam* tradet; 3) publice dieb. Merc. et Sat. h. I—II *linguae Arabicae elementa* tradet, ad institutiones ROSENMÜLLERI, Lips. 1818. Nec deerit iis, qui ipsius opera in perdiscenda lingua *Sanscritica Persicave privatissime* uti voluerint.

FERDINANDUS HANDIUS, D. binis diebus h. IX. *Seminarii philologici exercitationes* moderabitur; quaternis diebus h. IX. *Sophoclis Antigonam* explicabit, totidemque diebus h. III. *Ovidii libros Amorum* interpretabitur; binis diebus *exercitationibus latine scribendi et disserendi* praeerit.

GEORG. GOTTL. GÜLDENAPFEL, D. privatim, si per tempus in ordinanda Bibliotheca academica collocandum licuerit, h. VII—VIII *Encyclopaediam ac Methodologiam omnium disciplinarum* ex schedis suis tradet.

IO. WOLFG. DOEBEREINER, D. tradet 1) *privatim Chemiam generalem* una cum *Stoechiometria* duce libro suo (*Grundriss der Chemie und Stoechiometrie, 2te Auflage. Jena* 1819) h. VIII; 2) *privatissime Chemiam analyticam* una cum *Microchemia pneumatica* h. II.

IO. FRID. POSSELT, D. *publice* diebus Mercurii et Veneris *trigonometriam planam* et *sphaericam*; *privatim* h. VII—VIII *Mathesin puram* docebit; et h. III—IV elementa *Astronomiae theoreticae* tradet. Neque in lectionibus privatissimis commilitonibus deerit.

LECTIONES
PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM
THEOLOGIAE.

CHR. AUG. KESTNER, D. *privatim* 1) Historiae ecclesiasticae partem priorem, ad filum compendii SCHROECKHIANI, enarrabit, h. X. 2) Dogmatum christianorum historiam usque ad saeculum XVI ex schedis suis exponet, V dd. hora V. 3) Introductionem historico-criticam in Veteris Testamenti libros canonicos

et apocryphos docebit, quinis diebus h. II. Examinatoriis latinis de historicis theologicae disciplinis *privatissime* instituendis non deerit. Lectiones denique *publicas* suo loco et tempore indicabit.

IURISPRUDENTIAE.

IUL. THEOD. FRID. SCHNAUBERT, D. privatis lectionibus tradet: 1) encyclopaediam et methodologiam iuris universi h. XI — XII ex libro suo (*Lehrbuch der jurist. Wissenschaftslehre*); 2) institutiones iuris Romani tam publici quam privati h. IX — X.

C. I. A. BAUMBACH, D. publice *de pignoribus et hypothecis* doctrinam Pandectarum interpretabitur. Privatim tradet 1) h. IX — X et XI — XII *Pandectarum systema* duce WESTENBERGIO; 2) h. II — III *ius naturae*, una cum *politica* iuris privati philosophia. — *Examinatoria* consueto more instaurabit.

MEDICINAE.

CHR. AUG. FR. AB HELLFELD, D. *publice* dieb. Lun. et Iov. morbos infantium, hora auditoribus commoda, exponet. *Privatim* vero Diaeteticen docebit.

CAR. GUILIELM. STARK, D. *privatim* exponet 1) h. XI — XII *Pathologiam et Therapiam chirurgicam generalem*, praeparatis anatomico pathologicis tum Musei magniducalis tum collectionis a patre relictae illustrandam. 2) *Therapiam generalem* h. II — III ter per hebdomadem. 3) *Encyclopaediam medicam* h. II — III binis septimanae diebus secundum illustr. CONRADII librum (*Grundriss der medicinischen Encyclopädie und Methodologie u. s. w. Zweyte verbesserte Ausgabe. Marburg* 1815). 4) *Medicinam forensem* (HENKIO duce) hora IV — V. *Publice* autem Disputatorium latinum solito more et tempore moderari perget.

THEOBALD. RENNER, Med. D. *publice* exercitationes praxeos veterinariae more solito continuabit. *Privatim* 1) h. VI — VII mat. aut alia auditoribus commoda chirurgiam veterinariam e schedis tradet; 2) h. IX — X praecepta formam equi ad varios usus apti eiusque vitia recte diiudicandi nec non mangonum fraudes detegendi (*die Lehre vom Exterieur des Pferdes*) dabit; 3) h. XI — XII physiologiam corporis humani exponet; 4) hora II — III anatomen comparatam docebit; 5) hora adhuc definienda artem veterinariam forensem quater per hebd. explicabit.

FRID. AUG. WALCH, M. D. h. IX — X *Pharmacologiam* cum arte *formulas medicas conscribendi* docebit. H. IV — V aliave auditoribus commoda, *Medicinam*

forensem tradet. H. VI — VII vespert. *praxin obstetriciam* in nosocomio Magniducali cum Perillustr. STARKIO moderari perget.

PHILOSOPHIAE.

IOANNES SCHAD, D. privatim tradet 1) Logicam ad suum compendium mane h. VII — VIII; 2) Metaphysicam ad proprias ideas h. IX — X; 3) Anthropologiam psychicam ad compendium SCHULZII: *Psychische Anthropologie. Zweyte Ausgabe.* 1819 post prandium h. III — IV. 4) Philosophiam religionis tum naturalis, tum revelatae ad proprias ideas h. V — VI. Singulae scholae erunt diebus Lun., Mart., Iov. et Ven.

LECTIONES
DOCTORUM PRIVATIM DOCENTIUM

IURIDICAE.

IO. AUG. CHR. AB HELLFELD, D. privatim docebit h. II — III principia praxeos iudicialis duce OELZ: *Anleit. zur ger. Praxis.*

IUL. HENR. PAULSEN, D. *privatim* 1) institutiones iur. Rom. ad WALDECKII compendium h. mat. VIII — IX; 2) principia praxeos iudicialis duce OELZ: *Anl. zur gerichtlichen Praxis* h. II — III; *gratis* 1) ius cambiale, ex dictatis; 2) doctrinam de praescriptione docebit.

AUG. GUIL. DE SCHROETER, D. *privatim:* 1) *Historiam iuris Romani*, secundum *Hugonis* librum: *Lehrbuch des Römischen Rechts. 7te Aufl. Berlin* 1820. sexies hora X — XI, aliisque praeterea horis nonnullis per hebdomadem adhibendis; 2) *Hermeneuticam iuris*, sive *doctrinam de interpretatione legum*, quinis diebus h. II — III docebit. — Lectiones denique *gratis* habendas suo tempore et loco indicabit.

MEDICAE.

C. CHR. FRIEDEM. TRAUG. GOEBEL, D. privatim docebit Pharmaciam generalem una cum Stoechiometria experimentis idoneis illustratam, quinquies p. hebd. Horas commodas suo tempore ex valvis publicis indicabit.

AEM. HUSCHKE, D. privatim docebit *Biologiam.*

PHILOSOPHICAE.

IO. CHRIST. FRIDER. GRAUMÜLLER, D. 1) h. VI—VII f. IX—X *Botanicen theoreticam et practicam*, Systemata plantarum naturalia Cel Juss., Batsch, Oken et al. spectaturus, docebit, binasque quaque hebdomade excursiones cum auditoribus suis in viciniam, et in horto botanico academico demonstrationes adiunget, ad libros suos: *System. Verzeichniss der um Jena wildwachs. Pflanzen u. s. w. Gotha bei Hennings. Diagnose der bekanntesten Pflanzengatt. z. Analysiren. Tabellar. Uebersicht d. verschied. künstl. u. natürl. Pflanzensysteme u. s. w. Eisenb. b. Schöne.* 1811. 2) *Botanicen nemorum cum cultura et technologia* tradet. 3) *Botanicen oeconomicam et technicam explicabit.* 4) *Historiam naturalem forestalem de Quadrupedibus, Avibus etc.* enarrabit. 5) *Floram biblicam* exponet. In Instituto elementa prima scientiae forestalis docere perget.

FRID. AUG. KLEIN, D. Phil. et Baccal. Theol.; privatim explicabit 1) Logicen et isagogen in studium philosophiae h. V—VI. 2) Pauli epistolas ad Corinthios, h. XI—XII. 3) Artem oratoriam sacram, h. II—III. Privatissime scholas examinatorias ad Theologiam dogmaticam spectantes habere, et gratis *Societatem Theologicam* regere perget.

CAROL. GUILIELM. ERNEST. PUTSCHE, D. 1) Disciplinas camerales ad compendium Cl. Sturmii: *Grundlinien einer Encyclopädie der Kameralwissenschaften u. s. w. Jena bei Frommann.* 1807. h. VIII—IX. 2) Oeconomiam ruralem h. IV—V tradet.

IO. FRID. CHRISTIAN. WERNEBURG, D. privatim 1) h. VIII—IX quinquies p. h.: *Elementa Geometriae* ex libro: F. Schweins *System der Geometrie, Götting.* 1808), *Trigonometria plana et sphaerica adjuncta*, docebit. 2) h. X—XI *Elementa Analyseos et Geometriae sublimioris*, duce I. T. Mayero, 3) h. III—IV quinquies p. h. *Principia architecturae civilis*, duce L. I. D. Suckowio, tradet. 4) h. commoda quater p. h. *Theoriam musicae*, 5) h. c. quinquies *Mathesin applicatam*, duce I. H. M. Poppe, tradet. Praeterea scholas in mathematicis privatissimas Commilitonibus offert.

FRID. KOERNER, D. privatim theoriam, constructionem atque rectificationem instrumentorum in Geodaesia maxime usitatorum explicabit; simulque usum applicationemque eorum in Geodaesia accurate demonstrabit.

FERDINANDUS WACHTER, D. historiam Saxonicam h. XI quinquies per hebdomadem tradet.

FRIDER. G. SCHULZ, D. statis diebus et horis 1) oeconomiae politicae partem philosophicam (*Nationalökonomie*) exponet; 2) agriculturae universae principia explicabit et, qua ratione fundorum pretium statuendum sit, docebit.

LINGUARUM EUROPAE CULTIORUM SCHOLAE.

AUGUSTINUS DE' VALENTI publice *Petrarcae carmina* binis per hebd. horis interpretabitur. Privatim 1) *linguae Italicae elementa* ex libris suis (*Italiänisches Elementarbuch, Leipzig, b. Köhler; Anleitung zur wahren italiänisch-toskanischen Aussprache und Wortton u. s. w. Jena, b. Schmid,* 1819, et: *Uebungen zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Italiänische, Leipz. b. Hempel*) tradet, traditamque usu et exercitatione excolet. Neque 2) iis deerit, si qui huius linguae ingenium penitius cognoscere velint. 3) Poetas Italicos veteris et recentis aevi, cum selectis e libro suo (*Prosaisch-poetische italiänische Blumenlese, Leipzig, b. Gräffe*) capitibus, explicabit. 4) Exercitationes italice loquendi tum singulis offert, tum in conversatoriis moderabitur. Praeterea 5) Epistolas more mercatorum scribere docebit, adhibito libro suo (*kaufmännischer Briefsteller, Nürnberg, b. Schneider und Weigel*).

LUD. DAN. LAVES, Prof. Vim., privatim 1) *Linguae Francogallicae elementa* tradet, addita dissertatione de huius linguae discendae difficultatibus. 2) *Linguam Germanicam et Francogallicam inter se comparabit*, diversum utriusque ingenium monstraturus. 3) *Historiam Litteraturae Francogallicae*, duabus partibus comprehensam, inde ab huius litteraturae primordiis ad nostra usque tempora enarrabit. 4) *Racinii* Iphigeniam, *Voltairii* Zairen, et *Molierii* fabulam, quae inscribitur *le Tartuffe*, interpretabitur.

ARTIUM LIBERALIUM DISCENDARUM OPPORTUNITAS.

Artem equitandi discere cupientibus inserviet *Augustus Godofredus Ludovicus Seidler*, hippodromi magniducalis magister, horis matutinis et vespertinis.

Armorum tractandorum artem publica auctoritate docebit *Carolus Frid. Bauer.*

Artem saltandi discere cupientibus inserviet *Io. Christoph. Hess.*

Artem corpora vel graphide delineandi vel penicillo imitandi docebit *Christianus Gotthilf Immanuel Oehme*, picturae linearis magister publice constitutus.

Qui sonorum studiis nervorumque ac tibiarum cantu delectantur, hasque artes perdiscere cupiunt, iis operam suam spondent *Io. Henr. Sam. Domaratius*, Ser. Dom. Vimar. et Isenac. symphoniacorum praefectus, *Carol. Frid. Westphal*, academic. symphoniarum praefectus, item *Io. Christ. Guilielm. Richter.*

Ludovicus Hess, chalcographus, artem delineandi, picturasque lineares et litteras aeri incidendi, docebit.

Frider. Christ. Ludov. Schmidt operam suam iis dicabit, qui vel aedificia et molas typis imitari, vel in omnium generum machinis construendis, vel instrumentis oeconomicis et chirurgicis faciendis institui velint; item toreuticen, artem vitrum tornandi et electricum apparatum instruendi docebit.

III.

EXERCITATIO ANTONINIANA
TERTIA.

Orationem Augustanae Confessionis memoriae
ex lege beneficii Lynckeriani sacram
die XXX Maii hora X
in templo academico habendam
indicit
Henricus Carolus Abr. Eichstadius,
Theol. D. Eloqu. ac Poes. Prof. publ. ord. in Academia Ienensi.

Lubet iam persequi, quae prima Exercitatione instituimus: episodii enim loco habenda est secunda, quae epistolam M. Aurelii ad Senatum habet, scholarum academicarum caussa in lucem edita prius, quam primae illius abrumpere contextum typothetae imperavissemus. Atque animus tum erat longius deducere orsam disputationem: cui quum academici libelli angustiae citius, quam speraveramus, terminum posuerint, ita, ut in medio etiam curriculo subsistere cogeremur, quod reliquum est viae, paullatim conficiemus.

Satis nuper diximus de Frontone, adversario Christianorum, cui in Iustini caussa impugnanda Kestnerus aliquanto plus, quam debebat, tribuisse videtur: restat, ut dicamus de Christianorum patronis, si forte, quae de iis narravit [1]), maius habeant pondus argumentorum.

---

1) Agape p. 355 seqq.

Primum in his producit Diognetum. Qui quid potuerit apud Caesarem, ex eo ait patere, quod is τὸ ἀνέχεσθαι παῤῥησίας se didicisse ab hoc magistro profiteatur; quid voluerit, intelligi ex familiari litterarum commercio, quod, suasore et auctore Antonino, cum Iustino coluerit, et cuius illustre nobis documentum in epistola Iustini ad Diognetum servatum sit. Paucis in verbis multa sunt, quae dubitationem moveant. Diognetus enim, quem Marcus in praeceptoribus suis commemorat, dubitari vix potest, quin fuerit idem ille, quo magistro Iulius Capitolinus 2) Caesarem refert pingendo operam dedisse: qui sive munere suo, cuius gravitatem colorum fortasse et penicilli usu exhilarabat, seu mente solum et animo, seu utraque re fuerit philosophus, certe τὸ ἀνέχεσθαι παῤῥησίας non apologetae illius gratia docuit Imperatorem, quasi Iustini contumeliarum aculeos praevidisset, sed ut omnino puerum regium assuesceret moderationi et patientiae, qua cavillationes aequalium etiam Principibus ferendae sunt. Is vero Diognetus num idem fuit, ad quem Iustinus scripsit? Satis enim constat, Tillemontium studiose hoc egisse, ut epistolam illam a Iustino Martyre abiudicaret, et Apostolicae aetati propiorem ostenderet. Non prorsus quidem assensit Prudentius Maranus 3); sed idem tamen professus est, se non tam asseveranter Iustino epistolam tribuere, quam alia opera, quae et antiquis memorata sint, et sua sponte plurimas parentis sui notas referant. Cui Marani sententiae nos plane adstipulamur, qui epistolam non ab Iustino scriptam, sed secundo tamen, quo ille vixit, saeculo in lucem prodiisse existimemus. Denique etiamsi quis statuat, scriptam ab Iustino epistolam fuisse ad Diognetum amicum: quo tandem testimonio insignis ista constat benevolentia, qua tantae vir auctoritatis Christianos apud aulicos homines defendisse creditur? Nae parum noritis illius aetatis doctores, si tale caussae suae patrocinium dissimulasse eos aut silentio praetermisisse existimetis. Amplius interrogamus. Quo argumento constat, Diognetum a Caesare impulsum fuisse, ut Iustinum consuleret de rebus, quas in apologia vel brevius attigisset, vel tacitus praeteriisset 4)? Num forte Diognetus ipse professus est in epistola sua? At haec, si modo

2) Cap. 4. in Hist. Aug. scriptt. T. I. p. 306. Varias de Diogneto opiniones doctorum recensuit Bruckerus Hist. crit. philos. T. II. p. 542.

3) In praefatione edit. Operum Iustini p. LXXIV.

4) „*Diognet, der vertrauteste, freysinnigste Lehrer des jungen Cäsar, musste*

umquam ſcripta fuit, nobis interiit. Num aequales narrarunt? Narravit nemo. Num ex Iuſtini epiſtola colligitur? Non poteſt colligi, quandoquidem Iuſtinus (fingamus enim, ſcriptam ab eo epiſtolam fuiſſe), neque apologeticum ſuum in illa commemorat, neque eam tamquam appendicem vel commentarium apologetici proponit, ſed ita tractat Diognetum, ita religionis Chriſtianae elementis imbuit, ut rudem inſtituere, non inſtitutum perfecte pleneque edocere voluiſſe videatur. Ceterum quae contrariae ſententiae argumenta Keſtnerus protulit, eiusmodi ſunt, quae virum acutiſſimum ſerio protuliſſe vix credamus 5).

---

an den chriſtlichen Mann ſchreiben, und ihn um Privataufſchluſs über mehrere Gegenſtände bitten, welche ſeine öffentliche Petitionsſchrift zu kurz berührt oder ganz mit Stillſchweigen übergangen hatte." Agape p. 394.

5) Ipſa eius verba reddimus, ne verſione noſtra aut detraxiſſe quicquam, quod ad rem faciat, aut depravaſſe videamur. Haec igitur ſcripſit p. 395: „*Iuſtin beeilt ſich, wie aus ſeiner Antwort erhellt, dem Diognet ſogleich die nöthigen Aufklärungen darüber mitzutheilen, denen er, ahnend, für wen ſie beſtimmt waren, ſegensreiche Folgen wünſcht.*" Unde hoc? Nempe ſub finem epiſtolae (p. 240. ed. Marani) ſcriptor, Vos, inquit, Gentiles, haec ſi legeritis diligenter, et audieritis ſtudioſe, cognoſcetis (εἴσεσθε), quae deus praebeat iis, qui eum vere diligant, γενόμενοι παράδεισος τρυφῆς, πάγκαρπον ξύλον εὐθαλοῦν ἀνατείλαντες ἐν ἑαυτοῖς, ποικίλοις καρποῖς κεκοσμημένοι. Multa deinde pius doctor blaterat de ligno cognitionis et ligno vitae, quod deus medio in paradiſo plantaverit: addit etiam nonnulla, ut bellam ſcilicet allegoriam perſequatur, de ſerpente, de Eva etc., quae profecto non oſtendunt, ſcriptum Caeſari fuiſſe deſtinatum. Quod pluralem οἴεσθε de gentilibus explicavimus, cauſſa eſt tum in iis, quae proxime antecedunt, ὅσα θελήματι τοῦ κελεύοντος λόγου (non ergo iuſſu Caeſaris, non Diogneti hortatu) ἐκινήθημεν ἐξειπεῖν, μετὰ πόνου, ἐξ ἀγάπης τῶν ἀποκαλυφθέντων ἡμῖν γινόμεθα ὑμῖν κοινωνοί, tum in totius epiſtolae ratione et nexu. Ita enim facit Iuſtinus, ita fecerunt ſaepiſſime ceteri ſcriptores Chriſtiani, ut ab uno, quem alloquuntur, orationem ſuam transferrent ad omnes gentiles, quos refellere aut meliora docere volebant. Neque omnino haec ratio abhorret ab uſu optimorum ſcriptorum. Cfr. Burmannus ad Quintil. Inſtit. IX, 2. Declamatt. XIII, 13. Daviſius ad Cic. N. D. I, 38. Itaque ſatis mirari non poſſumus, quae Keſtnerus l. c. adiecit: „*Der Briefſteller vergiſst ſich einigemale, und redet den Leſer des Briefes, zu dem er in den meiſten Fällen in der zweyten Perſon Singularis ſpricht, in der zweyten Perſon Pluralis an, wodurch er verräth, daſs er ſeinen Brief nicht für Diognet allein beſtimmt glaubte, oder beſtimmen wollte.*" Dolemus, ſcriptorem duali abſtinuiſſe: pluralis quae ratio ſit, diſcere iam licebat ex capite ſecundo.

Neque, ut verum fateamur, feliciter allata nobis videntur loca ex epistola ad Zenam et Serenum et dialogo cum Tryphone Iudaeo, quibus demonstrare voluit, Iustinum, dum viveret, nihil prius et antiquius duxisse, quam ut sua ad Caesarem scripta mitteret, eaque re et ipsum et aulicos homines in suam atque Christianorum partes pertraheret 6). Namque epistolam illam, hodie notum est in vulgus, non a Iustino scriptam esse, sed ab homine, monachicorum institutorum bene gnaro, ad homines in monasterio degentes 7). Quid? etiamsi Iustinus eam scripsisset, tamen per rectam interpretationem non potest ex eius exordio id elici, quod Kestnerus extorsit. Duas auctor alias a se antea scriptas epistolas commemorat: unam ad Papiam (ita enim legendum videtur pro Papa), in qua reprehenderit pravas consuetudines, alteram πρὸς ἄρχοντας, diligentius elaboratam, in qua non totus fuerit in obiurgando, sed salutaribus simul praeceptis imbuerit eos, qui recte vivere velint 8). Quod idem propositum sibi esse in tertia epistola profitetur. Sed de anthologia quadam ethica, quam Imperatori auctor miserit, sententiose dictorum erudito amatori eorumque per commentarios suos largissimo dispensatori 9), toto in loco ne γρῦ quidem. Non irascetur itaque vir doctissimus, si hoc etiam in loco explicandi diligentiam desideremus, quam multo magis requirimus in illo altero, qui desumptus est ex genuino Iustini scripto, dialogo cum Tryphone. Ibi quum hucusque ignorarent docti, qui fuerit Marcus ille Pompeius, quem sub finem libri Iustinus compellavit 10), Kestnerus, ut hanc quoque scriptionem Antonino oblatam nobis persuaderet, Marci eiusque soceri

6) Agape p. 428 seq.

7) Cfr. imprimis Tillemont. II. p. 669 et Maranus p. 407.

8) p. 408 ed. Marani. Graeca haec sunt: Ἵνα μὴ πάνυ μεμπτικὸς εἶναι δόξαιμι, παρέχοιμι δὲ καὶ λαβὰς σωτηρίους τοῖς βουλομένοις εὖ πράττειν, ἐν τῇ γραφείσῃ (ἐπιστολῇ) πρὸς ἄρχοντάς μου, λίαν ἐπιμελῶς, ὡς ἐγὼ νομίζω, συντάξας, οὐκ ὤκνησα καὶ ὑμῖν ἐπιστεῖλαι κ. τ. λ.

9) Kestneri haec sunt verba (p. 429): *„Gewisser ist es, dass Iustin ihm eine Anthologie christlicher Lebensweisheit in Sittensprüchen zugeschickt hat. Man braucht nur einen von den Charakterzügen des Marc-Aurel näher zu kennen, um sogleich dieses Unternehmen des unermüdeten christlichen Schriftstellers als ein sehr zweckgemäßses zu schätzen. Der über seine Sittlichkeit so ängstlich wachende Regent konnte sich fast kein größeres Glück denken, als immer eine Summe moralischer Sentenzen, praktischer Erfahrungssprüche und eindringlicher Lebensregeln bey der Hand zu haben.“* —

10) Cap. 141. p. 232. ed. Marani.

Pompeiani nomina reſtitui iuſſit, legendo, Μάρκε καὶ Πομπηϊανέ. Sed non animadvertit vir doctiſſimus, adverſari additum nomini epitheton: ὦ φίλτατε Μάρκε Πομπηϊε, quod Marco ſoli tributum, ineptam et prope importunam reddit appellationem Pompeiani.

Progredimur ad Florinum, in patronis Chriſtianorum, quos Keſtnerus produxit, ſecundum. Hunc Irenaeus narrat [11]) vidiſſe ſe, quum adhuc puer eſſet, in Aſia inferiore apud Polycarpum, ſplendide agentem in palatio, et magnopere laborantem, ut illi probaretur. At Polycarpus ex Keſtneri ſententia tum temporis praefectus fuit clandeſtino Chriſtianorum ſodalitio, opibusque et dignitate floruit. Nihil itaque mirandum ait, ſi ſenex Florino iuveni tantum iniecerit ſodalitatis Chriſtianae amorem, ut poſthac laborantibus ſuccurreret, illatasque ſodalitio iniurias arceret. — Laudaremus hominem, ſi ita feciſſet: at mirum tamen eſt, memorari ab Euſebio Irenaei epiſtolam de monarchia contra Florinum ſcriptam, qua refelliſſe eum videtur, qui ex Marcionis doctrina duo principia invexiſſet, alterum boni, alterum mali auctorem; memorari etiam alium Irenaei librum de octonario, eiusdem Florini cauſſa, qui in errorem Valentini incidiſſet, poſtea compoſitum, itaque in iis eum ſcriptoribus poni, qui orthodoxae eccleſiae doctoribus adverſarentur, de eius autem in eosdem doctores ipſamque religionem Chriſtianam ſtudio ac propenſione nihil quicquam commemorari.

Prope maiorem nobis mirationem facit Galenus, Antoninorum illo tempore archiater, quem et ipſum Keſtnerus ſtetiſſe a cauſa Chriſtianorum exiſtimat. Scilicet ſummam illorum in profitenda et tenenda religione conſtantiam laudavit. Laudavit vero? Immo Chriſtianos appoſuit iis hominibus, quos, tamquam ligna tortuoſa, numquam corrigere liceat: qui, velut vetuſtae arbores, etiamſi alio transferantur, numquam fruticentur; denique aequiparavit medicis, ſectae cuidam addictis, qui obſtinato animo non patiantur ſibi veteres avias de pulmone revelli, ita ut qui disputare cum iis inſtituat, nil niſi magnas et importunas nugas lucretur [12]). Haeccine vero in laudem cedebant Chriſtianis? Haeccine ad com-

11) Apud Euſebium H. E. V, 20. p. 187 ed. Valeſ.

12) De pulſuum inflammat. III, 3. T. VIII p. 68 ed. Charter. Antea riſit inſcitiam medicorum, qui, quae ipſe praedixiſſet, eorum cauſſas capere non poſſent; tum ita pergit: Δεομένοις αὐτοῖς εἰπεῖν, ἐκ τίνος τὰς τοιαύτας θεωρίας προλέγετε καὶ πράττετε: διὰ παντὸς ἐσιωπῶμεν, ἐκείνοις

mendandos eos in aula Principis valebant? Et qui commendare poterat homines, quos ex vulgari errore 13) vel confunderet cum Iudaeis, vel ſaltem iis aequipararet? Nae parum facilem aurem apologetis Chriſtianis neceſſe eſt praebuerit, qui ex eorum vel ſcriptis vel ſermonibus ne illum quidem errorem deponere didiciſſet: praeſertim poſtquam Iuſtinus perlonga cum Tryphone disputatione hoc egiſſet ſedulo, ut Iudaeos, ſeminarium illud infamiae Chriſtianorum 14), erroris ſui falſarumque criminationum convinceret. Ac nonne totius contextus ratio oſtendit, Galenum ita comparaviſſe medicos cum Chriſtianis, ut horum obſtinationem non minus, quam illorum imperitiam, ſilentio confutandam putaret? Denique, ne quicquam hac in re dubii relinquatur, alius exſtat isque etiam luculentior locus 15), Keſtnero ignoratus, quo Galenus Chriſti ſcholam iterum non ſine contemptu ita comparat cum Moſaica diſciplina, utramque ut in iis, quae ſanxerit, ratione et argumentis carere pronunciet. Quamobrem ſi quando Galenus conſentire cum Chriſtianis videtur, fortuitam illam conſenſionem et aliunde repetendam eſſe apparet. Quo pacto ſponte concidit alterum argumentum Keſtneri, ductum ex eo, quod Galenus athletarum artem et ſtudia pariter atque Chriſtiani doctores improbaverit. Quodſi vir doctiſſimus librum Galeni, quem haud dubie in mente ha-

---

μὲν οὐδὲν ἀποκρινόμενοι, πρὸς δὲ ἡμᾶς αὐτοὺς λέγοντες τὸ τοῦ Κωμικοῦ·

Ὡς οὔτε στρεβλὸν ὀρθοῦται ξύλον,
οὔτε γεράνδριον μετατεθὲν μοσχεύεται.

Θᾶττον γὰρ ἄν τις τοὺς ἀπὸ Μωϋσοῦ καὶ Χριστοῦ μεταδιδάξειεν, ἢ τοὺς ταῖς αἱρέσεσι προστετηκότας ἰατρούς τε καὶ φιλοσόφους, ὥστ' ἐγὼ τελευτῶν ἔγνων κερδαίνειν μακρὰν ἀδολεσχίαν περὶ μηδενὸς αὐτοῖς ἄλως διαλεγόμενος· καί μοι τοῦτο πράττεται καὶ πραχθήσεται. Appoſui totum locum, ut mens Galeni non amplius ex breviata Schroeckhii relatione indicaretur: quamquam Schroeckhius ipſe iudicio non lapſus eſt, *Chriſtl. K. G.* III p. 88.

13) Cfr. Kortholti Paganus obtrectator p. 59 ſeq. et Weſtenberg. Praef. ad Div. Marcum p. antepaen.

14) Sic enim appellavit Tertullianus ad nationes I, 13. De Iudaeis, acerrimis Chriſtianorum adverſariis, et Iuſtiniani cum Tryphone dialogi conſilio etiam Bretſchneiderus nuper docte expoſuit in Probabilibus de evang. et epiſtolar. Ioannis indole et origine p. 110.

15) De differentiis pulſuum II, 4. T. VIII p. 43 ed. Charter. Per gradus progreditur oratio a βεβαίᾳ ἀποδείξει ad παραμυθίαν ἱκανήν· ne hanc quidem (adeo nihil perſuaſerant apologiarum auctores) doctrinae Chriſtianae concedit: quamquam ſane requirit eam ad diſciplinae ſeveritatem, ἵνα μήτις εὐθὺς κατ' ἀρχάς, ὡς εἰς Μωϋσοῦ καὶ Χριστοῦ διατριβὴν ἀφιγμένος, νόμων ἀναποδείκτων ἀκούῃ, καὶ ταῦτα ἐν οἷς ἥκιστα χρή.

buit [16]), inspicere voluisset, fugere eum non poterat, medicum ad Platonis et Hippocratis sui doctrinam sese applicavisse, non ad ethica praecepta Christianorum. Id enim testatur ipse Galenus, reiiciens τὴν κακοτεχνίαν γυμναστικὴν longe alias ob causas quam quae Christianorum indignationem et odium athletis concitavissent. Quocirca tantum abest, ut concordem sese amicumque sodalitati Christianae probaverit, ut animo, studiis, iudicio ab ea vehementer abhorruerit.

Postremo magnam vim in hac causa vir doctissimus tribuit Minucii Octaviano, quem scriptum iisdem temporibus autumat: in quo Hovenii sequitur sententiam [17]), cui Oelrichsius [18]) nuper adstipulatus est, sed solus, quod sciam. Nam, ut alios praetereamus, ipse etiam Saxius, in temporum rationibus ineundis longe diligentissimus, evulgatum existimat Octavium circa a. 230 [19]); id quod maxime probabile est. Hovenii enim commentum duobus maxime argumentis refellitur: primo, quod in Minucii dialogo aperta est apologetici Tertullianei imitatio [20]); altero, quod veri admodum simile est, sub Caecilii, quem loquentem induxit, persona latere Cyprianum [21]), Minucii aequalem, qui posthac ex hoc ipso dialogo in librum, quem de idolorum vanitate scripsit, multa, tamquam ex fonte, derivavit. Quae quidem argumenta neutiquam convelluntur rationibus, quas Kestnerus opposuit [22]), in quibus haec est primaria, quod unam ex Octavio sententiam

16) Universe laudavit p. 356 *commentationem ad Thrasybulum*: cui viro quum Galenus etiam librum περὶ ἀρίστης αἱρέσεως inscripserit, in quo nihil est de athletis, hoc loco intelligenda est scriptio, πότερον ἰατρικῆς ἢ γυμναστικῆς ἔστι τὸ ὑγιεινόν, quae est in editione Charterii To. VI. Ac respeximus potissimum cap. 36 et 37 p. 31 seqq. ubi iste quoque contra athletas versiculus: Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον, et haec novis quibusdam paedagogis commendanda sententia: Ἴσως οὖν ἡ κόνις ἔτι μόνη σοφίαν αὐτοῖς ἐδωρήσατο. Τὸν μὲν γὰρ πηλόν, ἐν ᾧ πολλάκις ἐκυλινδοῦντο, τίς ὑπολαμβάνοι σοφίας εἶναι δημιουργόν, ὁρῶν γε καὶ τοὺς σῦς ἐν αὐτῷ διατρίβοντας κ. τ. λ.

17) Eius epistola historica critica de vera aetate, dignitate et patria M. Minucii Felicis etc. inest in eiusdem Campensibus s. Spicilegiis critico-antiquariis (Camp. 1766. 4.) no. 1.

18) In Commentar. de scriptt. ecclesiae Latinae priorum VI saecul. p. 24.

19) Onomast. litter. I. p. 361.

20) Monuit etiam Schroeckhius *Christliche K. G.* III. p. 421. Tertulliani apologeticum anno 198 Moshemius vindicavit in egregia dissertatione, quae excusa est in ed. Havercampiana.

21) Acute id suspicatus est Fr. Th. Wilhoffius in Opusculis suis philol. histor. et theolog. (Ling. 1778. 8.) no. II.

22) Nam Frontonem Caecilius IX, 8

Antoninus, excerpendi scripta aliena studiosissimus, in suum librum ad verbum traduxerit. Nam si locum, quem V. D. spectavit, recte invenimus, in eo neque eadem utriusque scriptoris sententia est, et Marcus nil nisi vetus ac pervulgatum Stoicorum dictum repetiit, quod ipsi etiam religionis Christianae doctores ab iis transsumpserunt, et ad similia librorum divinorum loca revocaverunt 23).

Itaque ut, quae disputavimus, summatim comprehendamus, certum est et historiae fide exploratum, Frontonem non favisse Christianis, et adversus eos adeo libellum scripsisse; sed eumdem id egisse in aula, ut Caesaris atque procerum animos ab iis abalienaret, et Iustino maxime conflaret invidiam, non certum illud quidem est, nec tamen a verisimilitudine prorsus alienum: verum quod V. D. addit, Diognetum, Florinum, Galenum exortos esse eadem in aula defensores Christianorum et Iustini vindices, id adeo destituitur non modo testium auctoritate, sed omni etiam probabilitate, ut, nisi qui credulus sit et verba sibi dari facile sinat, nemini persuadeatur. Quid? quod multo probabilius est, Marci voluntatem et consilia et iudicia, etiam de Christianis, suspensa ab iis fuisse, qui-

---

appellat *Cirtensem nostrum*, non quod aequalis eius et familiaris fuerit, sed quod uterque, et Fronto et Cyprianus ex Africa erant oriundi, uterque tunc eidem et arti et religioni operam dabant. Hinc explicandum quoque, quod Octavius XXXI, 1 respondet, *Fronto tuus*. Neque gravius est alterum argumentum, ex mentione Aegyptiorum sacrorum XXI, 8 petitum. Non illo demum tempore Isidis sacra primum invecta in civitatem aut erant aut ibi dicuntur: sed dudum expulsa populus superstitiosus identidem reduxit. Denique quod XXXIII, 5 fortuna memoratur Iudaeorum, quam nequitia sua meruerint, in eo non historica sed dogmatica quaedam inest admonitio, opposita adversario, qui, ut veram religionem deprimeret, Iudaeos cum deo suo esse captos impie dixerat.

23) Minucii Felicis cap. 33 haec sunt verba: *Nos gentes nationesque distinguimus: Deo una domus est mundus hic totus.* Antonini III, 11 haec: *ἀεὶ — ὁρᾷν, τίνα μὲν ἔχει ἀξίαν ὡς πρὸς τὸ ὅλον, τίνα δὲ ὡς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, πολίτην ὄντα πόλεως τῆς ἀνωτάτης, ἧς αἱ λοιπαὶ πόλεις ὥσπερ οἰκίαι εἰσίν.* Sententiam quo iure communem Stoicis et pervulgatam dixerim, intelligetur ex Gatakeri notis ad Antoninum p. 56. 84. et 94 atque Uptoni ad Epictetum II, 5. To. II p. 387 Schweigh. — Duo praeterea V. D., ut Marco cognitum Octavium ostenderet, indicavit loca Minucii c. 5 et Antonini V, 32, in quibus plane nullam similitudinem reperimus. Omnino dolendum est, abundare Kestneri librum et vagis et falsis scriptorum citationibus, quae molestam quaerendi necessitatem imponant quidem, sed nullo fructu compensent.

bus omnia sese debere profitebatur, quibuscum res omnes, publicas, privatas, communicabat. In his praeter Frontonem commemoratur Iunius Rusticus, Stoicae disciplinae addictissimus, qui Iustinum eiusque amicos morte damnavit 24), constantissima ille Marci gratia florens, quippe cui etiam ante praefectos praetorio semper osculum dedit, quem et consulem iterum designavit, cui post obitum a senatu statuas postulavit: commemoratur etiam Apollonius, cuius in domum, adscitus iam ad imperatoriam dignitatem, discendi causa ventitabat 25), a quo Epiphanius Bardesanem de fide deserenda frustra sollicitatum refert: denique Marcus sese applicabat ad philolosophos, illa aetate clarissimos, qui quanta vel invidia in Christianos exarserint, vel contemptione et despicientia eos tractarint, historia docet.

Verum enimvero frustra dicetis de aulicis historiae fidem exquiri, si, quae Caesarum voluntas fuerit, satis constet. Nam ita fit saepenumero in civitatibus, ut, qui aulicam auram captant, praesertim si non ea sint in fortuna collocati, ut procul muneribus publicis in otio beate possint et cum dignitate vivere, in rebus etiam opinabilibus ad Principis se nutum et exemplum componant, suaque ad illius sententiam iudicia dirigant. Quam sententiam tanto etiam promptius lubentiusque sequuntur, quanto magis aequitati et benevolentiae consentaneam censent. Quid igitur, si Imperatores ipsi, in quos conversi erant aulicorum oculi, et quorum in gratia maximam felicitatis suae partem ponebant, benevoli Christianis horum caussam sua auctoritate tutati sint?

Id ut nobis persuaderet, magnam Kestnerus vim et copiam eloquentiae exprompsit. Narravit plura de Caesaribus, quam antehac sciremus: nova etiam et prope incredibilia tradidit. Illo enim auctore Antoninus Pius clandestinum Christianorum sodalitium, Agapes nomine insignitum, speculari ille quidem suos diligentissime iussit, sed cognita sodalium probitate, tamquam sincerissimos veri dei cultores patrocinio suo amplexus, apologias a doctoribus oblatas benigne suscepit, omninoque caussae Christianorum consilio, favore, edictis affuit. Marcus Aurelius etiam initiari se iussit mysteriis Christianis, sacros N. T. libros assidue legit suisque in scribendo usibus accommodavit, multis cum sodalibus et litterarum commerico et consuetudinis usu coniunctissime vixit, eximium se, dum re-

24) Capitolin. c. 3. p. 154. Cfr. dissertatio Haffneri p. 36, cui haec loca debemus.

25) Capitolin. c. 3. p. 153.

gnavit, protectorem [26]) geſſit Chriſtianorum, quorum doctrinam, religionis bonorumque morum ſtudio ductus, publice ſanciturus erat in imperio Romano, ni et ſaeculi ingenium, averſum a pietate Chriſtiana, obſtitiſſet, et ipſe, bellicis calamitatibus oppreſſus, medio in curſu corruiſſet.

Novae huic opinioni quae vir doctiſſimus adhibuit praeſidia et argumenta, ſingulatim percenſebimus, non eo quidem, quo protulit, ordine, ſed qui nobis ad rem examinandam aptiſſimus videtur.

Poſtulat enim disputandi ratio, ut, quum ſcripta, quae Antoninorum nomen ferant, ad nos pervenerint, num quid in iis hac de re inveniatur, et quid illud ſit, prius quaeramus, quam teſtes vel aequales, vel ſuppares quoque, excitemus. Sunt vero ſcripta duplicis generis: unum, de cuius αὐθεντίᾳ vix quisquam umquam dubitavit, alia, quorum valde ſuſpecta eſt auctoritas, et ab acutiſſimis criticis iam dudum impugnata. Nam commentarii quidem, quos Marcus de ſe ipſo ad ſe ipſum compoſuit, etſi diverſa doctorum iudicia ſubierunt, pro germano tamen et genuino Caeſaris fetu a plerisque omnibus [27]) habiti ſunt: edicti au-

---

26) Retinui verbum Tertulliani, qui hanc laudem Marco tribuit Apolog. V. p. 62 ed. Haverc.

27) Poteram ſcribere omnes, ni Io. Henr. Boeclerus (Hiſtor. univerſal. p. 78) dubitationem moviſſet. *Videntur*, ait, *mera excerpta, et fortaſſe ſub eius nomine edita: ego certe numquam crediderim eſſe ipſius Antonini.* Illud aſſentior Boeclero, plerosque de hoc ſcripto nimis magnifice ſenſiſſe. Quod etſi non maxime reprehendo eam ob cauſſam, quam unam Boeclerus attulit, quod ſcopae ſunt diſſolutae, calx ſine arena, quod nihil contexti ineſt, ſed magna ubique negligentia, ne in mediocri quidem ſcriptore toleranda, deprehenditur: par eſt enim, aliquid remittere conſilio ſcribentis et ad tempus reſpicere, quo librum exaravit: illud igitur ut non nimis urgeam, de argumento tamen veriſſime iudicaſſe mihi videtur Io. Winkelmannus (*Geſchichte der Kunſt des Alterthums* II. p. 416 ed Dresd. Opp. nuper editorum Vol. VI. P. I. p. 322), a nemine, quod ſciam, hac in cauſa commemoratus: *Bey den Werken, unter dem Marcus Aurelius gemacht, fällt mir mehrentheils dieſes Prinzen eigene Schrift ein, in welcher, auſser einer geſunden Moral, die Gedanken ſowohl, als die Schreibart gemein, und eines Prinzen, welcher ſich mit Schreiben abgiebt, nicht würdig genug ſind.* Ad hoc mitigandum iudicium quae in notis attulerunt editores Vimarienſes (Vol. VI. P. II. p. 374), non magis nobis placent, quam laudes libri, a Keſtnero effuſae p. 444. Ceterum, ut hoc addamus, quod multis fortaſſe audacius dictum videatur, in ipſis etiam Antoninorum laudibus modum exceſſiſſe plurimi videntur. Nos quidem in hos Principes pla-

tem ad Commune Asiae pro religione Christiana, item epistolae de rebus ad Granuam fl. gestis Senatui Romano missae, denique epistolae ad Euxenianum de Abercio prorsus alia ratio est [28]. Quapropter initio disputationis a commentariis facto, de ceteris deinceps videbimus. In commentariis vero si quid inveneri-

ne cadere arbitramur, quod est apud Ciceronem de Hirtio et Pansa: Consules duos, bonos quidem, *sed dumtaxat bonos*, amisimus. Sed hoc obiter. De M. Aurelio magna copia scriptorum laudata est in Fabricii B. Gr. Vol. V. p. 501 seqq. et Meuselii Bibl. hist. IV, 2. p. 44 seqq. quibus nuper accessit verbosus sed exigui iudicii scriptor Francogallus, qui librum emisit hac inscriptione: *Marc-Aurèle, ou Histoire philosophique de l'Empereur Marc-Antonin, ouvrage où l'on présente dans leur entier et selon un ordre nouveau les Maximes de ce Prince, qui on pour titre: Pensées de Marc-Antonin de lui-même à lui-même, en les rapportant aux actes de sa vie public et privée. To. I—IV. Paris* 1820.

28) Afferuntur praeterea ex Vulcatio Gallicano (Scriptt. Hist. Aug. I. p. 439 seqq.) Marci quattuor epistolae, Latine conscriptae eiusdemque oratiuncula ad Senatum Romanum: quae scripta, quamquam dubiae auctoritatis, Marci tamen libro de se ipso ad se ipsum adiungenda putavit editor Oxoniensis (1704. 8.), scilicet, ut ipse ait, ne quid Antonini a se praetermissum lectores quererentur. Praetermisit tamen quintam quamdam epistolam de Abercio Romam arcessendo ad Euxenianum, quae est in Simeonis metaphrastae Vita S. Abercii, episcopi Hieropolitani, in Surii Vitis Sanctorum Octob. T. V. p. 337. Inde translatae sunt quattuor illae epistolae cum oratione in editionem Lipsiensem, a Wollio curatam, p. 284 seqq. Non repugnabimus, si quis interna, quae Critici vocant, argumenta sequutus, in istis quattuor epistolis multo magis expressum esse Marci ingenium, eique res et tempora rectius convenire contendat, quam vel in epistola Graeca ad Senatum, vel in edicto ad Commune Asiae. Sed res Avidii Cassii in iis tractantur, non Christianorum. Itaque nihil ad nos pertinent, aut, si quid ad nos, nihil certe ad hanc scriptionem. De epistola vero ad Abercium dicetur in ipsa piae fabulae confutatione. Denique Antonini duae orationes proferuntur ex Herodiano et Dione Cassio, quas, utpote ab historicis confictas, ille ipse editor Oxoniensis, eiusque imitator, Wollius, Antoninianis excluserunt: quamquam antea receperat popularis in editionem Oxoniensem a. 1680. 12. Ceterum celebratas olim Marci epistolas fuisse, apparet ex Philostrato de charact. epistol. ad Aspasiam p. 884, qui inter imperatorias praecipuum eis locum tribuit (πρὸς γὰρ τῷ κεκριμένῳ τοῦ λόγου, καὶ τὸ ἑδραῖον τοῦ ἤθους ἐντετύπωται τοῖς γράμμασιν) et Photii epistola 20, recte explicata Fabricio B. Gr. I. p. 207. De anecdotis Antonini, quae Bandinius reperisse sibi videbatur, errorem detexit Lessingius *Sämmtl. Schriften* XIV. p. 216 seqq.

mus, quod ad Christianos eorumque religionem pertineat, non solum Marci sententiam tenere nos existimabimus, sed etiam patris, Antonini Pii, quandoquidem, ipso Kestnero fatente [29]), maxima utriusque convenientia fuit consensusque naturae, quae quasi cognatione continuata conspirare videretur. Nec sententiam illam putabimus adolescentis, praecipitantis iudicium inconsiderateque scribentis, sed viri iam senescentis, usuque, prudentia et exercitatione praediti, qui extremis vitae annis commentarios suos, tamquam tabulas testamentarias, confecerit [30]).

Iam vero nemini incognitum aut obscurum est, Imperatorem Stoicum de Christia-

---

29) P. 361 not. 74. Pertinent imprimis huc loca Dionis LXXI, 35. p. 1199. et Capitolini in vita Marci c. 7. p. 315.

30) Confectos hac aetate commentarios esse, quamquam antea inchoatos, nobis etiam nunc verisimillimum videtur. Quod ne quis miretur, diligenter excussimus loca, quibus Agapes auctor p. 384 scriptoris iuventutem voluit demonstrare, sed demonstrationi non visa sunt idonea. De libro XI dicetur separatim: iam cetera loca percensebimus. In primo (II, 2) Marcus sibimet ipse identidem inculcat: *ὥς ἤδη ἀποθνήσκων — γέρων εἶ*, in altero (II, 3) ne illud quidem inest, quod reperit Kestnerus (*Warnung vor muthwilliger Selbstentehrung*), sed inest rursus mortis commemoratio (*ἵνα μὴ γογγύζων ἀποθάνῃς*). Quodsi V. D. in mente habuit cap. 6, quandoquidem in laudandis locis passim desiderare nos passus est diligentiam, monetur quidem illo capite ψυχὴ, abstinere ad *ὕβρει, τιμῆσαι σεαυτήν*, sed additur simul: *βραχὺς γὰρ ὁ βίος ἑκάστῳ* (haec optima videtur lectio, a Salmasio proposita): *οὗτος δέ σοι σχεδὸν διήνυσται*. In tertio denique loco (III, 4) *φαντασίας* vix recte cepit vir doctissimus, explicans his verbis: *nachlässiges Hingeben an ein regelloses Spiel der Einbildungskraft*, quum, quid cogitaverit Marcus, non tantum adiuncta verba *περὶ ἑτέρων*, sed etiam sequentia satis declarent. Subiiciam locum, ut, quantae sint in eiusmodi interpretatione argumentandi fallaciae, novo exemplo intelligatur. *Μὴ κατατρίψῃς τὸ ὑπολιπόμενον τοῦ βίου μέρος* (num haec conveniunt in iuvenem?) *ἐν ταῖς περὶ ἑτέρων φαντασίαις, ὁπόταν μὴ τὴν ἀναφορὰν ἐπί τι κοινωφελὲς ποιῇ. Ἤτοι γὰρ ἄλλου ἔργου στέρῃ, τουτέστι φανταζόμενος τί ὁ δεῖνα πράσσει, καὶ τίνος ἕνεκεν, καὶ τί λέγει, καὶ τί ἐνθυμεῖται, καὶ τί τεχνάζεται, καὶ ὅσα τοιαῦτα, ποιεῖ ἀποῤῥέμβεσθαι τῆς τοῦ ἰδίου ἡγεμονικοῦ παρατηρήσεως.* Haec igitur loca non possunt avocare animum ab ea sententia, quam plerique adhuc tenuerunt. Nam Io. Dan. Koehlerus in dissert. de philosophia M. Aurelii Antonini in theoria et praxi (Altorf. 1717. 4.) p. 12 librum Marci scriptum docuit intra annos 170 — 176: quo tempore ad extremum aetatis suae lustrum processerat; extremis vitae annis (a. 171 — 180) tribuit etiam nuperus editor, Io. Matth. Schultzius in Prolegomenis p. LIV.

nis non aliter iudicavisse, quam solebant illo tempore contemptores novae sectae, philosophi 51). Etenim memorabili loco Stoicorum in deponenda vita fortitudinem et constantiam comparat cum amentia et obstinatione, qua Christiani et ipsi mortem appetant et aliis, idem ut faciant, persuadere conentur. Ipsa verba Imperatoris haec sunt 52): Οἵα ἐστὶν ἡ ψυχὴ ἡ ἕτοιμος, ἐὰν ἤδη ἀπολυθῆναι δέῃ τοῦ σώματος, καὶ ἤτοι σβεσθῆναι ἢ σκεδασθῆναι, ἢ συμμεῖναι; Τὸ δὲ ἕτοιμον τοῦτο, ἵνα ἀπὸ ἰδικῆς κρίσεως ἔρχηται, μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν, ὡς οἱ Χριστιανοί, ἀλλὰ λελογισμένως, καὶ σεμνῶς καὶ ὥστε καὶ ἄλλον πεῖσαι, ἀτραγῴδως. De his verbis primum liceat suspicionem criticam proferre, natam mihi tum, quum libellum de Luciano, num scriptis suis adiuvare religionem Christianam voluerit, novae editionis Lipsiensis caussa recognoscebam. Vere enim iudicavit Schroeckhius 53), inter gentiles, ingenio doctrinaque praestantes, fuisse illo tempore non paucos, qui religionem Christianam cum eius asseclis ipso silentio suo reprobrarent atque contemnerent. Ad quam veluti regulam componenda videntur loca quaedam, de quibus nondum satis recte iudicatum est. Credibile est enim, ipsos interdum librarios Christianos sic vindicavisse scriptorum silentium, ut quod hi omisissent nomen, contemptum gregem tecte notantes, illi adiicerent. Ex hoc genere locus est Arriani Epictet. Dissertat. VI, c. 7, quo verba οἱ Γαλιλαῖοι pro scholio ad oram a nonnemine fuisse adscripta, deinde contextui inserta, peracute vidit Schweighaeuserus 54). Itaque etiam

51) His quantum tribuerit Marcus, et quanta illorum caterva stipatus fuerit, satis constat. Nec solum graves et tanto nomine digni erant philosophi, qui studiis eius adessent: undique ad palatium appellebant Argonautae, quos Lucianus lepide vocat, h. e. ii, qui inani garrulitate vellus aureum repetere vellent. Erantque iam tum ostensionales philosophi, qui, quum nihil agerent, tamen sexcentos in annum aureos a Principe acciperent, scilicet ne barbam promissam gratis alerent. Narravit Tatianus Orat. ad Gr. c. 32 p. 10 ed. Worth.

52) Lib. XI. c. 3. p. 110 ed. Coray. Convenit prope iudicium Imperatoris cum Plinio (epist. X, 97), cuius verba ad declarandam ψιλὴν παράταξιν in textu posuimus. Quod addidimus de *aliis, quibus, idem ut faciant, persuadere conentur*, id ex Marci concisa scribendi ratione latet in verbis: ὥστε καὶ ἄλλον πεῖσαι. Idem vult facere Stoicos, sed recta ratione, λελογισμένως, σεμνῶς, ἀτραγῴδως, non ad morem Christianorum, quos negat tragoediis suis consequi, quod cupiant. Ad Lucianum, quod Kestnerus p. 388 statuit, quomodo verba illa pertineant, non video.

53) Histor. relig. et ecclesiae Christianae p. 71 et passim in maiore opere.

54) To. II. p. 915.

dubitamus, an M. Aurelius, in tanta libri sui et brevitate et moderatione, loco illo ipse addiderit ὡς Χριστιανοί. Quamquam sententia loci eadem manet, sive a scriptore posita sint verba, seu ab alio adiecta. Valde iniquum locus continet de Christianis iudicium: quod quomodo Kestnerus, ne scilicet caussae suae obesset, explicare studuerit, proxima Exercitatione exponemus.

Nunc tandem veniendum est ad id, cuius caussa hanc prolusionem emisimus. Indicenda est enim oratio, Augustanae Confessionis memoriae sacra, ex lege beneficii Lynckeriani in templo Paullino habenda: cui dictus est dies, Bernardi nomine insignis, qui est XXX Maii. Orator prodibit vir iuvenis humanissimus, IOANNES GODOFREDUS GABLERUS, Io. PHILIPPI, Theologi apud nos primarii, F. Altorfinus, cui beneficii illius fructus per Theologorum Ienensium commendationem a Protosynedrio Vimariensi datus est. Et quum ipsum orationis argumentum, a beneficii auctore praescriptum, eiusmodi sit, quod audiendi studia commovere debeat, praesertim hoc tempore, quo exstiterunt, qui Augustanam Confessionem Germanice verterent, sed usum illius malo consilio perverterent, tum virtutes oratoris, quales exspectari par est a talis Parentis filio, ad celebrandam hanc cerimoniam etiam magis impellent. Quapropter nos nostra quidem vel prece vel cohortatione supersederemus, nisi mos academicus ita ferret, ut Te, VIR SPLENDIDISSIME, cuius fidei commissae sunt ab Serenissimis Principibus res academicae, Te item, PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, Vosque, huius litterarum scholae PATRES VENERANDI, CELEBERRIMI DOCTORES, AMANTISSIMI CIVES, denique etiam ceteros huius civitatis PROCERES NOBILISSIMOS SPECTATISSIMOSQUE ad academica sollemnia sollemni programmate invitaremus. Scr. in Universitate litterarum Ienensi, die XXI Martii, anno MDCCCXXI.

IV.

EXERCITATIO ANTONINIANA
QUARTA
AVCTORE
HENRICO CAROLO ABR. EICHSTADIO
ACAD. PROGRAMMATAR.

Novi Prorectoratus auſpicia
die III Februarii a. MDCCCXXI
rite capta civibus indicuntur.

DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS
MAGNVS DVX SAXONIAE VIMARIENSIVM ATQVE ISENACENSIVM PRINCEPS LANDGRAVIVS THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE HENNEBERGAE COMES PRINCIPALIS DIGNITATIS DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII AC TAVTENBVRGI REL.
RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMVS
S. D.
CIVIBVS.

Per ſemeſtre, quod inſtat, hibernum Academiae faſces tenebit vir experientiſſimus,

IOANNES FRIDERICVS FVCHS,
Med. et Chir. Doctor, Anatomes Profeſſor P. O.
Ordinis Medicorum Senior,

cuius moderatricem prudentiam ita colite et obſervate, Cives, quemadmodum et merita eius exigunt, et tempora poſtulant. Ac merita quidem, qualia ſint, et quotiens hoc ipſo magiſtratu gerendo vel parta, vel adaucta, Veſtrum nemo ignorat: temporum vero ea ratio eſt, ut, qui nolint de fortunae ſuae ſtatu deturbari, iis iam expulſio a civitate non magis, quam nota et cir-

cumscriptio *) extimescenda sit. Quo diligentius, quae quidem consilio provideri possunt, caveri oportet. P. P. in Vniversitate litterarum Ienensi, die V Augusti, anno MDCCCXXI.

Quod nuper protulimus iniquum M. Aurelii de Christianis iudicium, repetitum ex commentariis, quos de se ipso ad se ipsum scripsit, id Kestnerus noster [1]), ne caussae suae obesset, primum contendit litteris proditum esse a Marco iuvene, qui vim et praestantiam religionis Christianae nondum perspexisset [2]), deinde, pertinere non ad universam Christianorum sectam, sed ad unum quoddam idque singulare factum, quo Peregrinus Proteus, qui vulgo Christianus ferebatur, ambiguam nominis celebritatem adeptus, Luciano et qui cum hoc sentirent, irridendi Christianos materiem dederit [3]). Has novas sententias, attendite, quomodo vir doctissimus comprobarit. Nempe totum librum undecimum, in quo iudicium illud inest, conscriptum ait a iuvene: id intelligi ex capite 18, ubi de imperii initiis, tamquam de re futura, agatur; intelligi etiam ex capite 29, quod iuvenilem scribendi timiditatem testetur. Neutrum concedimus. Nam verba, προστησόμενος αὐτῶν γέγονα, ὥς κριὸς ποίμνης ἢ ταῦρος ἀγέλης, de primordiis imperii non magis valent, quam de continuo illo temporis tractu, quo Princeps praeerat civibus, suoque eos exemplo

---

*) Vtimur verbis antiquo significatu, de quo conf. Abrami notam ad Cic. Philipp. II, 22, repetitam nuper in praeclara editione Wernsdorfii p. 368 sq.

1) Agape p. 384.

2) *Aus mehreren Anzeigen ergiebt sich, dass das 11te Buch mit zu den frühesten Tagebuchsbetrachtungen gehört. Nur vor dem Jahre 443 p. Chr. kann auch dieses Buch nicht geschrieben seyn, weil Marc-Aurel bis in sein 22stes Jahr immer in Versen, und ausser Briefen nichts in Prosa schrieb.* Agape p. 384. Quod extremo loco posuit vir doctissimus, coniecit ex Frontonis epistola ad Marcum Caes. II, 4. §. 9. (p. 53. ed. Niebuhr.), in qua certum se habere ait magister, Marcum aliquantum temporis etiam prosae orationi scribendae impendere: sed ex ea plus conieçit, quam tenor orationis patitur.

3) *Diess sollte kein Urtheil über den Geist der Christensecte seyn; vielmehr bezog es sich auf einen ganz besonderen Fall, wo sich ein angeblicher Christ aus eigensinniger Schwärmerey und unsinniger Prahlsucht selbst gemordet hatte. Marc-Aurel hatte sich diese Bemerkung wahrscheinlich nach der Lectüre des Lucianischen Dialogs Peregrin niedergeschrieben.* Agape p. 385.

regendi potestatem habebat. Ac si vel maxime de solis primordiis valerent, quadragenarius iam erat Marcus, quum mortuo M. Aurelio Pio imperium solus susciperet, quod deinde per novemdecim annos gessit 4). In altero autem loco, qui ita habet: ἐν τῷ γράφειν καὶ ἀναγινώσκειν, οὐ πρότερον ἄρξεις, πρὶν ἀρχθῆς, τοῦτο πολλῷ μᾶλλον ἐν τῷ βίῳ, timiditatis aut verecundiae indicium nemo reperiet, qui contextum consideraverit. Nam sententias ibi ex aliis libris congessit, uti solebat, bonus Imperator, excerpendi et excerpta in commentarios referendi studio iam inde ab adolescentia ex Frontonis disciplina assuetus 5). Itaque ad ipsius vitam, studia, mores non magis referenda sunt illa, quae attulimus, verba, quam quae mox sequuntur: Δοῦλος πέφυκας, οὐ μέτεστί σοι λόγου — Ἐμὸν δ' ἐγέλασσε φίλον κῆρ — Μέμψονται δ' ἀρετὴν χαλεποῖς βάζοντες ἔπεσσιν. Ducta haec ex poetis esse, primum ex scenico, Euripide fortassis, alterum ex Homero, tertium ex Hesiodo, nemo non videt; prioris dicti si pariter nossemus auctorem 6), nullam inde de Marci scriptoris aetate coniecturam periclitaremur. Denique, id quod primo fortasse loco monendum erat, res est nostro iudicio valde difficilis et tantum non ἐν ἀδυνάτοις, singulos commentariorum illorum libros et singula adeo librorum loca ad certam quamdam aetatem revocare: immo nobis etiam nunc persuasissimum est 7), farraginem istam monitorum, sententiatum locorumque communium, quae Marcus non aliis, sed suos in usus, diversis quidem temporibus, attamen extremis maxime vitae suae annis 8), in adversaria coniecisset, post eius demum obitum modico volumine ita congestam magis esse quam digestam, ut neque temporis ordo servaretur, neque additamentis et interpolationibus abstineretur. Interpolatricem manum, quamquam non deprehensam editoribus, passim agnoscere nihil impedit: sed obstat illa διασκευή, quo minus, quae uno iam libro comprehensa leguntur, ad unum etiam eumdemque annum referamus 9). Quod tum ex aliis commentariorum li-

---

4) Cfr. Reimarus ad Dion. Cass. p. 1197. 1198.

5) Testantur plures epistolae in Frontonianis: velut epist. ad Marcum II, 9. p. 81 ed. Mediol. *Feci mihi per hos dies excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis.*

6) Nisi is forte Solo fuit, cuius simile apophthegma ex Laertio I, 60 et Stobaeo II, 46 laudavit Gatakerus.

7) Diximus hac de re olim in ephemeridibus univ. Ienensibus 1802. IV, p. 373 sqq.

8) Cfr. Exercitat. III. p. 14.

9) Haec caussa est, quod non simpliciter amplectimur temporum putationem, a Moylio propositam (in Disceptat. de miraculo legionis fulminatricis, in Moshemii Dissertatt. ad sanctiores disciplinas pertinentium Syntagmate p. 843), qui *totum* illud

bris, tum ex illo ipſo undecimo apparet, qui haec differendi copiam fecit. Quicumque enim exordium eius attente perlegerit, Marcum intelliget loqui de ſe quadrageſimum aetatis annum agente, quo iam per diuturnum rerum uſum tantum profecerit, ut et praeterita et futura ex lege quadam aequalitatis videre poſſet et indicare [10]. Iſto autem aetatis anno (a Chr. 161), poſt mortem Antonini Pii, imperium capeſſiverat. Inde facile eſt explicatu, quod cap. 7 ſcripſit, liquido ſe compertum habere, nullum vitae inſtitutum ad philoſophandum magis eſſe idoneum, quam illud, in quo nunc verſetur [11]. Credebat enim, quemadmodum aliis ex locis patet, Platoni, qui ita docuerat, illud demum beatum et dignum hoc nomine imperium eſſe, cui philoſophi praeſint, aut in quo imperantes philoſophentur. His itaque ex locis coniicere licet, librum ſcriptum eſſe non a Marco iuvene, ſed ab Imperatore quadragenario. Verum enimvero eodem in libro alia reperiuntur loca, quae ad poſterius tempus nos trahant. Vix eſt enim dubitandum, quin, quae cap. 33, 34, 35 ſcripta ſunt, pertineant ad praematuram ſeptennis filii, Veri, mortem [12], qui, undecimo paterni imperii anno (a Chr. 172) intempeſtiva tuberis ſectione perierat. Adeo parum ſibi conſtant indicia hiſtorica, neque eisdem temporibus congruunt rerum argumenta, quae eodem in libro tractantur. Et hanc tamen, quam ultimo loco tetigimus, temporis notationem tenere Keſtnerus et urgere debebat, ſi vellet cauſſam ſuam tueri. Nam quum Peregrinus Proteus anno demum 166 ſeſe rogo immiſerit, non poterat Marcus, ſi librum illum iuvenis ſcripſiſſet, neque ad Protei mortem reſpicere, neque Luciani dialogo ad eiusmodi obiurgationem impelli. Ac de Luciani ſcripto ſatis diximus alio tempore. Sed nolebat fortaſſe Keſtnerus confectionem libri Antoniniani ponere in confinio temporis, quo Marcomanni et Quadi per Chriſtianorum preces fuſi fugatique dicuntur (a. 178),

---

Antonini volumen poſt expeditionem Quadicam (a. 178) ſcriptum eſſe contendit. Quamquam argumenta eius ſane valent ad librorum quorumdam aetatem definiendam.

10) Ἀλλὰ τρόπον τινὰ ὁ τεσσερακοντούτης, ἐὰν νοῦν ὁποσονοῦν ἔχῃ, πάντα τὰ γεγονότα, καὶ τὰ ἐσόμενα ἑώρακε κατὰ τὸ ὁμοειδές.

11) Τὸ μὴ εἶναι ἄλλην βίου ὑπόθεσιν εἰς τὸ φιλοσοφεῖν οὕτως ἐπιτήδειον, ὡς ταύτην ἐν ᾗ νῦν ὢν τυγχάνεις.

12) Σῦκον χειμῶνος ζητεῖν, μαινομένου· τοιοῦτος ὁ παιδίον ζητῶν, ὅτε οὐκ ἔτι δίδοται. Καταφιλοῦντα τὸ παιδίον, ἔλεγεν ὁ Ἐπίκτητος, ἔνδον ἐπιφθέγγεσθαι, αὔριον ἴσως ἀποθανῇ. — Ὄμφαξ, σταφυλὴ, σταφὶς, πάντα.

quo facilius tolleret mirationem de obiurgatione Christianorum, si eam aliquot decenniis ante effusam ab imperito adolescente statueret. Quid multa? Hanc omnem vel iudicandi vel excusandi rationem fluctuare quam maxime et incertam vagari, nemo non perspicit: neque in ipsis Marci verbis quicquam perducere nos potest in hanc opinionem, ut non de omnibus Christianis, sed de uno illo Peregrino Proteo eum sic pronunciasse existimemus. Immo ad hunc quo minus locum referamus, ipsa obstat linguae rectaeque interpretationis ratio. Nam si aut furor mentisque error, aut ostentatio et iactantia fuerat, quae hominem ad id insaniae adegisset: quo tandem pacto ψιλὴ παράταξις, *mera obstinatio* 15), exprobrari illi poterat? Aut quis argutetur in verbo ἀτραγῴδως, quod et ipsum tamen explicandum est ex usu et more veterum. At in tragoediis non spectabantur incendia vel caedes ex eo genere, quod Peregrinum nobilitavit, neque omnino mortes convocato populo (cuius locum chorus tenebat) tamquam spectacula proponebantur; sed aliud quiddam erat, quod mortes tragicas insigniret: idque profecto imitabantur Christiani, qui in ipso

15) Hanc enim Xylandri interpretationem retinendam putamus, tum etymo vocabuli tum Antoniniano loquendi usui maxime consentaneam. Sic enim ille VIII, 48.: μέμνησο, ὅτι ἀκαταμάχητον γίνεται τὸ ἡγεμονικόν, ὅταν εἰς ἑαυτὸ συστραφὲν ἀρκεσθῇ ἑαυτῷ, μὴ ποιοῦντι ὃ μὴ θέλει, κἂν ἀλόγως παρατάξηται, ubi Gatakerus iam laudavit similem Epicteti locum II, 1. §. 39: ἐν ᾗ καταταχθεὶς, ἐπιδείξεις τίνα δύναται λογικὸν ἡγεμονικόν, πρὸς τὰς ἀπροαιρέτους δυνάμεις ἀντιταξάμενον. Apparet sumptum esse vocabulum e re bellica, ubi acies aciei, miles militi *resistit*: quod si temere fit, mera est obstinatio et pervicacia. Monemus id propter Isaac. Haffnerum, qui novam loci interpretationem commentus est. „Verbum παράταξις (ait diss. laud. p. 38) multo plus mihi videtur significare, quam quod nobis uno *obstinationis* vocabulo per inopiam sermonis nostri licet efferre. Aciem denotat instructam et ad pugnam committendam paratam: ψιλὴν παράταξιν autem velites significare existimo, qui tumultuarie magis quam composite in hostem irruebant. Vult itaque dicere Antoninus, Christianos non fortitudine virili et ratione suffulta, sed *bruta quadam audacia et caeco impetu*, quo leviter armati milites et gladiatores solent, in supplicia praecipites sese dare, vitamque sine formidine et ulla circumspectione contemnere.“ Haec Haffnerus. Sed ea nulla potius, quam ψιλὴ παράταξις foret. Ceterum novam dixi illam explicationem, et Haffnero tribui, obsequutus mori aetatis, quo, qui postremi dicunt, prius dictorum memoriam fere obruunt. Haffnerus enim tacite in ipsis adeo verbis sequutus est interpretationem Huetii Demonstrat. Evangel. p. 41, repetitam a Moylio in Disceptat. de miraculo legionis fulminatricis p. 851.

vitae exitu declamitabant, spem suam, hilaritatem, fiduciam, vitae contemptum tumida saepe oratione iactabant, Christo carmina canebant spectatoresque ad eumdem martyrii appetendum triumphum exhortabantur [14]). Haec narrata Imperatori Stoico ab aequalibus, exaggerata philosophis obtrectatoribus, non poterant non tanto vehementius displicere, quanto plures Christiani inveniebantur, qui non laudanda animi obstinatione laudisque aviditate ad quaestiones sese et supplicia offerrent atque ingererent. Quod extremis maxime Marci annis accidisse, quum saevissimae recrudescerent Christianorum persequutiones, historia docet.

Praeter hunc, quem explicavimus, locum nullus unus invenitur in Antonini commentariis, qui ad Christianos spectet. Quod ne mirum accidat in tanto, quantum Kestnerus Imperatori tribuit, Christianae sectae et religionis studio, duos vir doctissimus excogitavit modos, quibus silentium illud probabiliter explicetur. Nam primum, antequam commentarii Caesaris in publicum emitterentur, loca, quae pro religione Christiana essent, magnamque eius cum Christianis necessitudinem proderent, inducta suspicatur omnia, vel ab ipso auctore, qui tueri se amplius illorum caussam posse senex desperavisset, vel ab iis, qui, illo mortuo, edendi libri curam suscepissent. Deinde occulta quaedam in hoc libro indicia agnoscit singularis atque eximii studii in rem Christianam: reperiri enim loca complura, in quibus sententiae auctoris ita concinant cum libris sacris Christianorum, hos ut non solum legisse, verum etiam imitando expressisse, suaque vel imitatione vel consensione commendare aequalibus, ad communem certe utilitatem adducere voluisse videatur. Sed priori coniecturae, veremur, ut Kestnerus ipse multum tribuerit. Nam et obiter eam indicavit in nota [15]), nec, quo tandem infortunio unus iste servatus sit contra Christianos locus, expunctis ceteris, quae pro iis scripta essent, ostendit, neque ullas omnino rationes attulit, quibus novae rei fidem conciliaret. De posteriore autem sententia tum universe iudicari potest, tum accommodate ad librum Antonini. In universum quidem verissimum est, quod Ruhnkenius, quum de Longini vita exponeret, scripsit [16]), plerosque illius aetatis philosophos operam

---

14) Cfr. Tertullian. Apologet. 35. Rem dudum expediit Moshemius in Comment. de rebus Christian. ante Constant. M. p. 245. sq. Add. Moylii Disceptat. supra laudatam p. 852. sqq.

15) P. 442.

16) Pag. 35. ed Toup. Neque aliter de Longino iudicavit Weiskius in notis p. 277.

posuisse in legendis Christianorum libris, sive ut eos refellerent, sive quod Christianismum pro Orientalis philosophiae secta haberent. Sed inde non sequitur, eos clanculum accessisse ad Christianorum doctrinam, vel, uti vulgo credebatur 17), Semichristianos fuisse. Ad Antonini autem commentarios quod attinet, Bruckerus 18) imprimis fuit, qui illorum cum sacris Novi Testamenti libris magnam consensionem atque convenientiam demonstrare conaretur. Quo in viro quum lectionis copiae et lecta in libros tamquam in horrea congerendi condendique studio minime par fuerit iudicandi facultas, philosophandi autem perexigua scientia: miramur nos quidem humanitatem Kestneri, qui Critici amplo et honorifico nomine eum ornarit 19). Quod tanto etiam mirabilius est, quum apertum sit, Bruckerum longe alio, quam quo Kestnerus instituit, consilio ac sensu illam demonstrationem suscepisse. Nam in ea quidem dissertatione, qua copiosissime hanc quaestionem tractavit 20), tantum abest, ut Antoninum, mentis persuasione ductum, ad Christianorum libros se applicavisse contendat, ut eam libri Antoniniani cum sacris libris consensionem — incredibile dictu! — tribuendam existimet colubro infernali, in omnes partes gyrosque convertenti sese ac torquenti, qui ea re gravissimis Christianae religionis decretis nocere, earumque incrementis obicem ponere voluerit. Quod quum persequutionibus, odiis, calumniis contemptuque efficere se posse desperavisset, et sanctitatem caelestis doctrinae omni superstitione superiorem evadere cerneret, nova quadam calliditate compulisse gentilis eruditionis antistites, ut sanctissimam to-

17) De philosophis Semi-Christianis singularis exstat exercitatio Io. Gottl. Heineccii in Eius Opuscul. variorum Sylloge p. 185 sqq.

18) Is postquam in Otio Vindelico (Aug. Vind. 1729. 8.) de comparatione philosophiae gentilis cum scriptura sacra et religionis Christianae dogmatibus caute instituenda scripserat, et Stoicos specie tantum, non re, accessisse ad Christianorum doctrinam contenderat (p. 38. 162. et pass.), paullo post Io. Iac. Zimmermanno, Canonico Tigurino, dissertationem dicavit de subdolo Stoicorum philosophorum post N. C. studio Christianos imitandi (Tempe Helvet. To. III. Sect. II. p. 262), quae imprimis ad caussam nostram pertinet; denique sententiam breviter et maiore quidem erga Imperatorem aequitate dixit in Historia crit. philosophiae To. II. p. 533. et 588. Aliquanto moderatius Casp. Barthius (Adversar. lib. LX. p. 2931) Antoninum *non sine Christianismi aliqua cognitione παραγγέλματα* sua scripsisse pronunciavit.

19) Agape p. 360.

20) Tempe Helvet. p. 264. 287. et 295. Ex hoc libro ipsa fere Bruckeri verba reddidimus.

tique fere orbi iam probatam Christianorum doctrinam imitarentur, et praecipue quae ad mores formandos et emendandos a vitiorum squalore animos faciunt, ad disciplinam Christianorum, tantopere hoc in genere eminentem, componerent. Ita enim sperasse hostem vaferrimum fore, ut et illi, qui doctrinas gentiles tamquam impias, vanas et animorum felicitati non pares despicerent, auremque Christianis doctoribus praebere inciperent, ad avitam religionem, saniori habitu exornandam, revocarentur, et doctoribus Christianis, propudiosam gentilis superstitionis faciem toties exprobrantibus, os obstrueretur.

Sed vix digna sunt oculis vestris, Cives, quae criticus iste praeterea scripsit. Itaque si hac una in re consumenda foret confutatio, ut Stoicos in iisque Antoninum ab ista fraudulenta ratione prorsus abhorruisse, neque incautis voluisse venenum propinare doceremus, eam totam confutationem omittere satius putaremus. Neque enim quisquam hodie tam stultus est, quin, quam absurda sententia sit, perspiciat. At potest eadem ita tractari, ut et in se probabilior exsistat, et ad Kestneri caussam quam maxime spectare videatur. Etenim si μυριοτέχνης ille, quem Bruckerus vocavit, ita instituit, ut *salva omni verborum et dogmatum Christianorum imitatione* pessimarum doctrinarum sanies conservaretur, quo pagani ad veritatem caelestem oculos aperire desinerent, et sub vana doctrinarum castiorem faciem prae se ferentium imagine ipsa caelestis doctrinae integritas corrumperetur: agnoscenda tamen est imitatio, nec quicquam impedit, quo minus ea ex alio, h. e. eo ex fonte derivetur, quem Kestnerus indicare nobis voluit. Hanc ipsam vero imitationem Bruckerus tum in singulis loquendi, tum in universis etiam dogmatis sibi visus est invenisse. De utrisque antequam dicere aggredimur, duo praemonenda sunt, Bruckero eiusque sectatoribus parum animadversa, quae scriptorum illorum comparationem moderentur. Nam et ipsi falluntur, et incautos secum in errorem rapiunt, qui dicta et sententias, contextu serieque orationis divulsas, inter se conferunt atque componunt: quarum quo fallacior saepenumero species est similitudinis, eo magis ipsae, ubi mentem scriptorum pensitamus, a se invicem discrepant. Quae discrepantia maxime ex eo oritur, quod alteram comparandi cautionem necessariam reddit. Aliae enim Stoicorum, aliae Christianorum fuerunt rationes monendi, praecipiendi, concludendi; diversa utrisque, sicut philosophi appellant, principia: quae si quis misceat comparando, temere pervertit sensum scriptorum, et dissociabiles notiones irrito conatu coniungit. Ad hanc igitur normam, multo-

rum ſcriptionibus [21]) iam commendatam, diligenter exigenda ſunt, quae Bruckerus de imitatione illa diſſeruit, et Keſtnerus aſſenſu ſuo probavit: hanc unam et certam habemus regulam, qua et ſpecies iſta coniunctionis ac ſimilitudinis, et prolata ab illis exempla indicentur. Sed quum amplior haec cenſura ſit, quam quae coartari in reliquam chartam queat, proximae eam ſcribendi opportunitati reſervamus.

---

21) Cfr. Io. Guſtavi Guil. Heſſii Diſſ. de religione Chriſtiana, philoſophiae Stoicae nec aemula nec patrona, Traiecti ad Viadr. 1775. 4. Erneſti Aug. Dankegott Hoppii (praeſ. Klotzſchio) Diſſ. in qua ineſt Principiorum doctrinae de moribus Stoicae et Chriſtianae collatio, Viteb. 1799. 4. Ac nuper Schwabius noſter patrio ſermone ſcripſit *Ueber das Verhältniſs der ſtoiſchen Moral zum Chriſtenthum* in *Zeitſchrift für Moral von C. F. Böhme uud G. Ch. Müller*, I, 3. p. 38. ſqq. Denique etiam multa, quae huc derivari poſſint, reperiuntur tum in Erneſti Platneri, praeceptoris quondam mei, cuius ego adhuc cinerem veneror, Aphorismis philoſophicis, tum in commentario bonae frugis pleniſſimo, quo Beierus nuperrime Ciceronis de Officiis libros illuſtravit.

V.

EXERCITATIO ANTONINIANA
QVINTA

AVCTORE

HENRICO CAROLO ABR. EICHSTADIO

ACAD. PROGRAMMATAR.

Lectiones publice privatimque
in Vniversitate litterarum Ienensi
per hiemem anni MDCCCXXI
inde a die XXII Oct.
instituendae indicuntur.

Commentariis, quos M. Aurelius Antoninus de se ipso ad se ipsum scripsit, apponi olim solebant alia scripta, quae et ipsa Imperatori philosopho tribuebantur [1]). Quorum etsi non tantum dubia, sed multis quoque et validis argumentis impugnata est auctoritas: nuper tamen exstitit praeclari vir ingenii, qui patrocinium illorum suscipere, et αὐθεντίαν nova quadam ratione defendere auderet [2]). Quamobrem quae nos caussa nuper impulit, ut M. Aurelii, quae fertur, epistolam ad Senatum Romanum typis recentaremus, eadem nunc edicti Antoniniani, quod ad Commune Asiae inscribitur, repetendi necessitatem imponit. Vtriusque enim scri-

1) Ea quae sint, diximus Exercitat. III. p. 272.

2) Agapes p. 399 sqq.

pti materies, forma et tota velut caussa recognoscenda est, ut, qualis sit nova illa, quam diximus, ratio, plane intelligatur: utriusque denuo examinanda est auctoritas, si, qui fuerit Antoninorum in Christianos animus, qui Christianorum sub Antoninis in orbe terrarum status, recte velimus iudicare.

Duos imprimis fontes esse constat, ex quibus decretum Antoninianum, ad civitates Asianas missum, repetitur, unum in Iustini Martyris operibus 3), alterum in Eusebii historia ecclesiastica 4). Neque tamen per veritatem dicere licet, scriptoribus illis edictum, quod afferunt, in manibus fuisse. Nam Iustinus ne ipse quidem inseruit scriptis suis 5), quibus postea per alienam sedulitatem accessit; Eusebius autem in tota re narranda Melitonis, episcopi Sardensis, qui apologiam ad Imperatorem Verum 6) scripserat, fidem sequutus est; si modo agnoscenda est fides in iis, quae ex illo sic attulit, ut ne concordet quidem secum narratio 7). Itaque quis tandem miretur, de edicti tempore et auctore scriptores illos dissentire, et in ipsis verbis, quae ex diversis uterque exemplis duxere, insignem reperiri discrepantiam? Atque etiamsi verba consentirent, Iustinusque et Eusebius vetusta edicti exempla oculis suis usurpavissent: tamen, quod Antoninus scripsit edictum, si modo scripsit, non habuerunt. Etenim quum, auctis Romanorum opibus, ita semper imperiosa civitas facere soleret, ut non solum iugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus imponeret 8), nec leges aut responsa dare

---

3) Ad finem Apologiae primae, quae olim male secunda numerabatur, p. 85 ed. Prud. Marani, p. 135 ed. Grabii.

4) IV, 15. p. 126 ed. Valesii.

5) Certe non illud inseruit, quod hodie in scriptis eius invenitur praefixo Antonini Pii nomine. Nam nec mentionem eius usquam fecit, neque illud omnino exstitit eo tempore, quo apologiam suam scribebat. Quodsi exstitisset, non est dubium, Iustinum potius hoc usurum fuisse ad defensionem sui, quia ad Antoninum ipsum dirigitur Apologeticus, quam illo Hadriani, ad quem Apologeticus non pertinet. Bene id monuit Scaliger Animadv. ad Eusebii Chronicon p. 203, qui alio tamen loco (num. MMCLVII) manifestam ait hallucinationem esse Eusebii, Pio tribuentis, quod esset M. Aurelii.

6) H. e. Marcum Antoninum. Cfr. Vales. ad Ammian. p. 539. Fallitur enim Kortholtus de persequutt. ecclesiae prim. sub Imperatt. p. 140.

7) Edicto enim, quod *M. Aurelii* nomen in fronte gerit, haec Eusebius verba testimonii loco adiecit: Τούτοις οὕτω χωρήσασιν ἐπιμαρτυρῶν Μελίτων τῆς ἐν Σάρδεσιν ἐκκλησίας Ἐπίσκοπος, κατ' αὐτὸ γνωριζόμενος τοῦ χρόνου, δῆλός ἐστιν ἐκ τῶν εἰρημένων αὐτῷ ἐν ᾗ πεποίηται πρὸς τὸν

consuesset nisi Latino sermone: si edictum Antonini ad Asianos olim exstitit, Latine exstiterit necesse est. At Graecum est edictum in Iustini operibus: Graece exstat et sine ulla lectoris admonitione apud Eusebium, qui Hadriani tamen epistolam Graeca lingua a se expressam fatetur: nec Latinum exemplum habuit Rufinus, qui, si habuisset, non Graeca verba, quae apud Eusebium sunt, ipse transtulisset in Latinum sermonem, sed Latinum exemplar repetivisset: id quod veri simile est ab eo factum esse in reddenda Hadriani epistola. Nam huius quidem epistolae dictio tantum convenit aevo Hadriani, quantum Antonini illud edictum ab eo recedit, plane referens stilum Rufini. Quae prima caussa est, etiam Haffnero animadversa 9), quare Rufino negemus edicti Latinum et genuinum exemplum in promptu fuisse. Alteram in eo agnoscimus, quod Latina illa, qualia Rufinus exhibuit, adeo discrepant a Graecis, ut non haec ex illis expressa, sed Rufini interpretationem ad Graeca, quae invenerat, Rufini fide h. e. licentius ac minus accurate compositam esse appareat.

Textus Graeci historiam si persequamur, Eusebium sequitur Nicephorus 10); sequitur etiam is, qui hanc partem Chronici paschalis s. Alexandrini composuit 11), quamquam adscita passim ex Iustini libro lectionis varietate. Et recentioribus plerisque, qui edictum libris suis inseruere 12), multo potior visa est Eusebii auctori-

αὐτοκράτορα Οὐῆρον ὑπὲρ τοῦ καθ' ἡμᾶς δόγματος χρησιμωτάτῃ ἀπολογίᾳ. H. E. IV, c. 13. Sed idem Melito in eadem apologia, ex qua Eusebius porro retulit, cap. 27, *Antonini Pii* edicta pro Christianis ad Larissaeos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, ad universos denique Graecos memoraverat, hortatusque fuerat M. Aurelium, ut illius exemplum imitaretur. Igitur Marci nullumdum eius generis edictum noverat: quod, si exstitisset et publice propositum fuisset Ephesi, Asianus episcopus non poterat ignorare.

8) Verbis utimur Augustini de Civ. Dei XIX, 7. Praevalido linguae auxilio quam facile perveniri possit ad populorum dominationem, nostra etiam tempora docuerunt, et historia duce nuper ostendit Car. Henr. Pudor in diss. de palma linguae Latinae, ab Europae civitatibus, de pace, foederibus etc. publice agentibus, optimo iure retribuenda, Vratislav. 1817. 4.

9) In dissertatione, quam laudavimus not. 15.

10) H. E. III, 28.

11) P. 259 ed. Du Fresne. Paris 1688. f.

12) Inseruerunt iidem, qui epistolam Imperatoris ad Senatum Rom. repetierunt: quos commemoravimus Exercitat. II. not. 4. Vnus ex iis Fabricius in Salutari Luce Evang. p. 225 se adscripsisse profitetur edictum, sicut Iustini Martyris apolo-

tas, tum in contextu verborum, tum in sententia de eius auctore. Nam in Iustini quidem libro medium occupat locum inter Hadriani et M. Aurelii edicta, ipsaque inscriptione sua refertur ad Antoninum Pium. Ad eumdem retulit Ioannes Zonaras 13). Atque hanc sententiam, secundum quam promulgatio edicti intra annos 148 et 158 ponenda est 14), imprimis Halloixius, Canterus, Baronius, Tillemontius, Maranus, Caveus, Balduinus, Lardnerus, Moshemius, Schroeckhius et Hegelmaierus amplexi sunt. Eusebius Antonino Pio tribuit quidem, sed inscriptione Marcum refert. Quem edicti auctorem Valesius, Pagius, Huetius, Kortholtus, Grabius, Walchius, Bruckerus aliique 15) sic agnoverunt, ut novam tamen de anno, quo Marcus tulerit, controversiam moverent. Nam alii, Valesio 16) duce, sub initia imperii M. Aurelii anno 161, alii secundum Pagium 17) anno 169, Pearsonius 18) aliquanto post, decimo quinto demum Imperatoris anno, datum fuisse pronunciant. Quid igitur? Num M. Aurelius edictum, a Pio datum, tamquam a se editum civibus venditavit, vel, quod idem est, suum alieno operi nomen imposuit? Cadit fortasse haec sive tarditas, sive impudentia, in ventosos scriptores, qui, dum latere possunt, ex aliorum doctrina lauream quaerunt: in Marci ingenium profecto non cadit, praesertim quum oratio edicti adeo non modo horrida, verum etiam inepta sit, ut pigere debuerit scriptorem philosophum istiusmodi plagii. Num Eusebius falsa edicti inscriptione in fraudem inductus est? Non est credibile in illa, quam contexuit, rerum serie et Melitonis, quem laudavit, auctoritate. Num subditiva inscriptio est et Eusebiano exemplo ad-

---

giae subiiciatur, sed nescio quo errore initium edicti ex Eusebio, reliquam partem ex Iustino petiit, ut textum utriusque scriptoris mirum in modum miscuerit.

13) Annal. XII. init. in Scriptt. Hist. Byzant. To. XII. p. 448.

14) Necesse est enim edictum praecesserint litterae Antonini, quas Melito ap. Eusebium IV, 26 memorat, pro Christianis ad Graeciae civitates datae eo tempore, quo Marcus una cum Pio τὰ σύμπαντα διοικῶν, h. e. tribuniciam potestatem et proconsulare imperium gerens, consors imperii factus erat. Quod anno 147 contigisse, quum Pius imperii proconsularis decennalia ageret, bene monuit Haffnerus p. 17.

15) Vtriusque sententiae et auctores et sectatores diligenter commemorati sunt in Hegelmaieri comment. in edictum Imperatoris Antonini Pii pro Christianis, quod Eusebius H. E. IV, 13 asservavit (Tubing. 1777. 4.), et in Haffneri comment. de edicto Antonini Pii pro Christianis ad Commune Asiae (Argentor. 1781. 4).

16) Annotatt. in Euseb. H. E. p. 66.

17) Critica Baroniana ad A. C. 154.

18) Vindic. epist. Ignatii P. II. p. 404 ed. Clerici.

dita ab aliena manu? Veri similius hoc quidem est; sed quocumque te verteris, remanent difficultates.

In hac diversarum partium contentione novam nuper viam ingressus est doctissimus Agapes auctor, audacter ille quidem neque imprudenter, sed ita, ut magnopere vereamur, ne, cumm neutram partem prorsus deserere voluerit, utrobique inimicos ac reprehensores inventurus sit. Etenim ab utroque Imperatore edita putat pro Christianis edicta, argumento similia et paene paria, sed diversae quodammodo formae, quandoquidem M. Aurelius, qua erat animi lenitate, prioris edicti verba sic temperaverit et molliverit, ut nihil iam reliquum esset, quo pagani homines offenderentur. Ab Eusebio integrum servatum esse censet edictum M. Aurelii, sed ad eum locum, quo res Antonini Pii traduntur, revocatum propterea, quod, cumm Pii edictum non in promptu esset, epistolam Aurelianam, qua illud simul contineretur, tamquam eius vicariam, lectoribus proponere satis haberet. In Iustini libro Antonini Pii inesse edictum, sed truncatum fine: clausulae substitutam esse extremam partem Aureliani, quo maior Caesaris in Christianos benevolentia, acrior adversariorum animadversio declararetur. Huic denique edicto suum locum redditum esse in Chronico paschali, in rebus M. Aurelii [19]; sed tempus accuratius designari commemoratione tribuniciae potestatis XV, consularis III; quo quidem anno 161 p. Chr. Antoninus Pius vita decesserit, M. Aurelius imperium capessiverit.

Apparet, hanc novam opinionem niti alia opinione, cuius non firmius fundamentum est, de edicti αὐθεντίᾳ. Itaque confutationi sufficere pauca verba videantur. Nam si principium opinionis obstruxerimus ita, ut edicti νοθείαν demonstremus, de auctore illius, fueritne Pius an M. Aurelius, nemo sanus amplius quaeret. Sed ne aut cupidius hac in caussa egisse, aut fines disputationis per ignaviam quamdam contraxisse existimemur, dabimus aliquantisper, genuina esse edicta; concedemus, servatum esse edictorum genuinum textum: num ea inter utrumque differentia intercedat, quam statuit vir doctissimus, ut diversos auctores agnoscat, facta diligenter comparatione dispiciemus. Ac poterit deinde de ipsa αὐθεντίᾳ facilius iudicari: quas quaestiones singulari libello pertractabimus. Nunc velut προτέλεια quaedam proponere iuvat utrumque edicti exemplum, primum ex Iustini opere, alterum ex Eusebio. Huic adiunximus interpretationem Rufini, satis idonea de

19) In eo refertur ad annum Imperatoris Marci decimum.

caussa, quae excusatione non eget: illi comitem dedimus Latinam translationem, quae est in editione Prudentii Marani, ut ingenio saeculi obsecundaremus. Annotatio, quam in imam paginam coniecimus, subitaria est, nec scripta nisi iis, quibus non suppetit copia meliorum librorum: ad quos hoc scriptionum nostrarum genus proprie pertinet. Quas si vel duo, ut poeta ait, vel nemo legat, scribendi tamen officio deesse non licet.

EXEMPLVM EDICTI IVSTINIANVM
p. 85. ed. Prud. Marani H. C. 1742. f.

'Αντωνίνου ἐπιστολὴ πρὸς τὸ κοινὸν τῆς 'Ασίας 20).

Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Τίτος Αἴλιος 'Αδριανὸς 'Αντωνῖνος σεβαστός, εὐσεβής, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ ιε, ὕπατος τὸ γ' 21), πατὴρ πατρίδος, τῷ κοι-

INTERPRETATIO LATINA
ex eadem editione.

Antonini Epistola ad Commune Asiae.

Imperator Caesar Titus Aelius Adrianus Antoninus Augustus Pius, Pontifex maximus, tribun. potestatis XV, consul III Pater patriae, Communi Asiae salu-

20) Non prorsus eodem sensu Cicero in Verrinis *Commune Milyadum* (1, 58) et *Commune Siciliae* (II, 63) dixit. Ad κοινὸν 'Ασίας supplendum est συνέδριον. Habuerunt enim Asiani (uti post Valesium ad Eusebii H. E. p. 66 bene monuit Haffnerus p. 4) commune concilium totius gentis, quo singulae civitates legatos seu synedros mittebant. Erant et in aliis provinciis huiusmodi concilia (cfr. Vales. ad Ammian. Marcell. p. 373), in quibus omnium ordinum et collegiorum homines conveniebant. Decreta condere, legatos eligere consueverant, qui desideria totius provinciae Imperatori renunciarent. Fuerunt haec concilia variarum in Christianos persequutionum seminarium. Cfr. Balduini Com. ad edicta vett. Princ. Rom. de Christianis p. 89. Spanhem. de V. et P. N. To. I. p. 643 ed. Lond.

21) Magna est scripturae in numeris annorum diversitas, pendens ex diversis de edicti auctore opinionibus. Grabius vulgatam retinuit, manifeste corruptam: δημαρχικῆς ἐξουσίας ὕπατος τὸ πδ', πατὴρ πατρίδος τὸ κά. Sylburgius, Antonino Pio rescriptum tribuens, post voc. ἐξουσίας inseruit ex Eusebio numerum ιέ, et pro πδ' posuit δ'. Nam secundum Onuphrii Fastos consulares p. 64 Antonini Pii tribunicia potestas XV et consularis IV eumdem in annum incidunt. Quapropter etiam Baronius in Annalibus Tom. II. pag. 141 rescriptum ad a. Chr. 154 revocavit. Sed qui Marcum edicti auctorem putant, numerum γ' et in Eusebii textu tuentur, et ex Eusebio in Iustinianum transferunt. Quod Grabius monuit, Maranus fecit. Etenim M. Antoninus Philosophus anno imperii sui primo et tertium consul erat, et annum tribun. potest. XV agebat. Aliam rationem

νῷ τῆς Ἀσίας χαίρειν. Ἐγὼ ᾤμην [22]) ὅτι καὶ τοὺς θεοὺς ἐπιμελεῖς ἔσεσθαι μὴ λανθάνειν τοὺς τοιούτους. Πολὺ γὰρ μᾶλλον ἐκείνους κολάσοιεν [23]), εἴπερ δύναιντο, τοὺς μὴ βουλομένους αὐτοῖς προσκυνεῖν εἰς ταραχὴν ὑμεῖς ἐμβάλλετε, καὶ τὴν γνώμην αὐτῶν, ἥνπερ ἔχουσιν, ὡς ἀθέων κατηγορεῖτε, καὶ ἕτερά τινα ἐμβάλλετε, ἅ τινα οὐ δυνάμεθα ἀποδεῖξαι. Εἴη δ' ἂν ἐκείνοις χρήσιμον, τὸ δοκεῖν ἐπὶ τῷ κατηγορουμένῳ τεθνάναι· καὶ νικῶσιν ὑμᾶς προϊέμενοι τὰς

tem. Putabam equidem curaturos deos, ne tales homines lateant. Nam si possent, multo magis quam vos ab eiusmodi hominibus, qui eos adorare nolunt, poenas repeterent. Quibus quidem vos molestiam facessitis, et eorum sententiam, tamquam si essent athei, accusatis, et alia nonnulla impingitis, quae probare non possumus. Vtile autem illis fuerit, ob id, cuius caussa accusantur, mortem videri oppetere, ac nos vincunt, dum animas

---

iniit Pagius in Critica Baroniana p. 150, collatis tribus edicti inscriptionibus, quae sunt in textu Iustiniano, Eusebiano et in Chronico Alexandrino, ad eam tandem sententiam delatus, ut pro anno tribun. potest. XV annum XXIII ponendum, et edictam a. 169, qui Baronio est 171, a Marco promulgatum censeret. Contra Pagium disputavit Hegelmaierus p. 31. Non possunt hae difficultates chronologicae movere eum, cui de νοθείᾳ edicti persuasum est: immo ipsa illa persuasio magis inde firmatur.

22) Hunc potissimum locum expendere nos iubet Kestnerus, ut insignem utriusque edicti differentiam et in priore quidem irrisionem gentilium agnoscamus, alienam a posteriore, quod M. Aurelium auctorem habuerit. Auget irrisionem versio Grabiana, *Equidem puturim*, quam vir doctissimus p. 403 sequutus est. In Graecis ἐγὼ ᾤμην vix magis ironicum est, quam ἐγὼ μὲν οἶδα, quod est in Eusebio. Immo si qua est gentilium cavillatio, tota inest in adiectis verbis, εἴπερ δύναιντο, quae sunt in Iustini textu, in Eusebiano non sunt. Maranus unice veram existimat lectionem ἐγὼ ᾤμην, quod perhonorifice Antoninus de Christianis loquatur. Eamdem praefert Haffnerus, sed alia de caussa. Quum enim Asiani litteris ab Imperatore petiissent, ut novas contra Christianos leges ferret, et sacrorum neglectorum strenuum sese praeberet vindicem, isque id facere recusaret, utpote patrocinans Christianae religioni, totius epistolae, tamquam responsi, consilio magis convenire haec: *putabam equidem diis ipsis curae esse, ne huiusmodi homines lateant*, quam illa, *scio diis ipsis curae esse* etc. Comparat idem Haffnerus illud Tiberii apud Tacitum (Annal. I, 73) de accusato Rubrio: *Deorum iniuriae diis curae*: quod iam antea comparaverat Balduinus l. l. p. 89. Adeo discrepant iudicia. Vtrumque textum commixtum esse, mox arguit particula ὅτι, ex Eusebiano temere illata in Iustinianum.

23) Similia loca ex Tertullian. ad Nat. I, 10. Apologet. 13. et Lactant. Instit. II, 4 attulit Kortholtus.

ἑαυτῶν ψυχάς, ἥπερ 24) πειθόμενοι οἷς ἀξιοῦτε πράσσειν αὐτούς. Περὶ δὲ τῶν σεισμῶν τῶν γεγονότων, καὶ τῶν γινομένων, οὐκ εἰκὸς ὑπομνῆσαι ὑμᾶς ἀθυμοῦντας, ὅταν περ ὦσι, παραβάλλοντας 25) τὰ ὑμέτερα πρὸς τὰ ἐκείνων, ὅτι εὐπαῤῥησιαστότεροι ὑμῶν γίνονται πρὸς τὸν Θεόν. Καὶ ὑμεῖς μὲν ἀγνοεῖν δοκεῖτε παρ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον τοὺς Θεούς, καὶ τῶν ἱερῶν ἀμελεῖτε 26), θρησκείαν δὲ τὴν περὶ τὸν Θεὸν οὐκ ἐπίστασθε. Ὅθεν καὶ τοὺς θρησκεύοντας ἐζηλώ-

fuas proiiciunt potius, quam illis pareant, quae ab eis fieri postulatis. De terrae autem motibus, qui vel evenerunt, vel eveniunt, non decet ut admoneatis, vos qui animum despondetis, quum fiunt, si cum illorum rebus vestras comparetis. Sunt enim illi fidentiores quam vos apud deum. Ac vos quidem per illud tempus deos nescire videmini, et templa negligitis, nec dei colendi rationem nostis. Vnde et illis, qui eum colunt, invi-

24) Ex Eusebio repositum ἥπερ a Perionio, Sylburgio, Marano. In Iustinianio textu erat εἴπερ.

25) Recte Maranus, Perionio obsequutus παραβάλλοντας pro παραβάλλοντες rescripsit; sed debebat idem monito Grabii obsecundare de falsa Langi, Gelenii aliorumque interpretatione. Grabius locum ita transtulit: *dum animos, quum fiunt* (terrae motus), *despondetis, ac vestra infortunia illis imputatis.* Non potest h. l., nisi prorsus insipienter scripserit edicti auctor, παραβάλλειν ea significatione intelligi, qua *comparationem* alicuius rei cum re alia exprimit (cfr. Sturzii Lex. Xenophont. III. p. 411). Nam quae tandem haec sententiarum cohaerentia est. *Was die Erdbeben betrifft, die bereits vorgefallen sind, und noch vorfallen dürften: so halte ich es für dienlich, euch, die ihr bey diesen Begebenheiten allen Muth verliert, und euren Zustand mit jener Leute ihrem vergleicht, eine Erinnerung zu geben.* Sic enim Schroeckhius quoque vertit, *Chr. KG.* III. p. 15. Itaque acquiescimus in Rufini interpretatione, quae sententiae contextui consentanea est. Nam historiae eam congruere non dixerim. Docuit quidem ad hunc ipsum locum multis exemplis Kortholtus, sua paganos infortunia fere ad Christianos tamquam auctores retulisse, nec nisi illorum sanguine expiari posse, sibi persuasum habuisse: sed exempla sunt posteriorum saeculorum: ut haec quoque temporum permixtio prodat edicti fictorem. Subtiliter de his disserit Haffnerus p. 60 sq.

26) Illustrationis caussa interpretes afferunt Lactantii locum D. I II, 1. *At vero, si qua necessitas gravis presserit, tunc deum recordantur. Si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si saeva tempestas, si grando ingruerit: ad Deum confugiunt; a Deo petitur auxilium . . . . Postquam metus deseruit et pericula recesserunt, tum vero alacres ad deorum templa concurrunt; his libant, his sacrificant, hos coronant. Deo autem, quem in ipsa necessitate imploraverunt, ne verbo quidem gratias agunt.*

κατε, καὶ διώκετε ἕως θανάτου. Ὑπὲρ τῶν τοιούτων καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν περὶ τὰς ἐπαρχίας ἡγεμόνων τῷ θειοτάτῳ μου πατρὶ ἔγραψαν· οἷς καὶ ἀντέγραψε μηδὲν ὀχλεῖν τοῖς τοιούτοις, εἰ μὴ φαίνοιντό τι ἐπὶ τὴν ἡγεμονίαν Ῥωμαίων ἐγχειροῦντες. Καὶ ἐμοὶ δὲ περὶ τῶν τοιούτων πολλοὶ ἐσήμαναν· οἷς δὴ καὶ ἀντέγραψα, τῇ τοῦ πατρός μου κατακολουθῶν γνώμῃ. Εἰ δέ τις ἔχει πρός τινα τῶν τοιούτων πρᾶγμα καταφέρειν ὡς τοιούτου, ἐκεῖνος ὁ καταφερόμενος ἀπολελύσθω τοῦ ἐγκλήματος, κἂν φαίνηται τοιοῦτος ὤν· ἐκεῖνος δὲ ὁ καταφέρων, ἔνοχος ἔσται τῇ δίκῃ.

detis, et ad mortem usque insectamini. De eiusmodi hominibus et alii quidam provinciarum rectores divinissimo meo patri scripserunt. Quibus ille rescripsit, nihil negotii exhibendum esse talibus hominibus, nisi quid adversus imperium Romanum moliri deprehendantur. Quin et ad me multi de illis retulerunt, quibus ego respondi patris mei sententiam sequutus. Si quis autem adversus aliquem illorum, ut talem, actionem instituat, delatus crimine absolvatur, etiamsi illum talem esse constet: delator vero poenas luet.

Reddidimus edicti Antoniniani, ad Commune Asiae scripti, textum eum, qui est in operibus Iustini: reliquum est, ut alterum ex Eusebio textum proferamus.

EXEMPLVM EVSEBIANVM

H. E. IV, 13. p. 126. ed. Vales.

Ἀντωνίνου πρὸς τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας ἐπιστολὴ περὶ τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου.

Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνῖνος Σεβαστός, Ἀρμένιος 27), ἀρχιε-

RVFINI INTERPRETATIO

p. 80. ed. Basil. 1549. f. 28)

Rescriptum Antonini ad universos Asiae populos.

Imperator Caesar Marcus Aurelius Antoninus Augustus, Armenicus, Ponti-

27) *Armeniaci* titulum auctor Chronici Alexandrini omisit. Prudenter fecit. Animadvertit enim, M. Aurelium, in quem anni consularis ac tribuniciae potestatis conveniunt, eo tempore, quo conveniunt, Armeniaci cognomento nondum fuisse usum. Sed de his numeris annorum dictum est supra p. 290 not. 21.

28) Huius editionis exemplo, quod ex bibliotheca nostra academica sumpsi, adscripta est lectionis quaedam varietas ex codice Norimbergensi, quem Io. Andr. Bossus, libri olim possessor., contulerat a. 1672. Quae praestare videbantur, inde recepi. Ceterum interpretatio Rufini etiam inest Hist. Miscellis a Paullo, Aquilegiensi Diacono, primum collectis etc. Basil. 1569. p. 295. Is textus fere consentit cum cod. Norimbergensi.

ρεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον καὶ δέκατον, ὕπατος τὸ τρίτον, τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας χαίρειν. Ἐγὼ μὲν οἶδα, ὅτι καὶ τοῖς θεοῖς ἐπιμελές ἐστι, μὴ λανθάνειν τοὺς τοιούτους. Πολὺ γὰρ μᾶλλον ἐκεῖνοι κολάσαιεν ἂν τοὺς μὴ βουλομένους αὐτοὺς προςκυνεῖν, ἢ ὑμεῖς· οὓς εἰς ταραχὴν ἐμβάλλετε, βεβαιοῦντες τὴν γνώμην αὐτῶν ἥνπερ ἔχουσιν 29), ὡς ἀθέων κατηγοροῦντες. Εἴη δ' ἂν ἐκείνοις 30) αἱρετόν, τὸ δοκεῖν κατηγορουμένοις 31) τεθνάναι μᾶλλον, ἢ ζῆν, ὑπὲρ τοῦ οἰκείου θεοῦ. Ὅθεν καὶ νικῶσι, προϊέμενοι τὰς ἑαυτῶν ψυχάς, ἤπερ πειθόμενοι οἷς ἀξιοῦτε πράττειν αὐτούς. Περὶ δὲ τῶν σεισμῶν τῶν γεγονότων καὶ γινομένων, οὐκ ἄτοπον 32) ὑμᾶς ὑπομνῆσαι,

fex maximus tribuniciae potestatis quindecies, consul tertio, universis simul plebibus Asiae salutem. Ego quidem non ambigo, etiam ipsis diis curae esse, ne quis noxius lateat. Multo enim magis ipsis convenit punire eos, qui sibi immolare nolunt, quam vobis. Sed vos confirmatis eorum quos persequimini sententiam, quam de vobis habent, dicentes, vos impios et sine deo esse. Vnde et optabilius habent animam ponere pro deo suo, et mortem libenter amplecti, quam vobis talibus acquiescere, et in vestrae religionis iura concedere. De motibus autem terrae, qui vel facti sunt, vel etiam nunc fiunt, absurdum non erit, maero-

29) Nicephorus post verba βεβαιοῦντες τὴν γνώμην αὐτῶν ἥνπερ ἔχουσιν, addit περὶ ἡμῶν. Quam scripturam ne quis Rufini interpretatione defendat, Rufinus ipse loci sensum pervertit. Neque enim Christiani Paganos dicuntur atheismi insimulare, quod profecto alienum fuisset a consilio Pseudo-Imperatoris, id agentis, ut animos Paganorum conciliaret Christianis, sed Pagani, dum Christianos tamquam atheos accusant, horum sententiam ac propositum magis confirmare dicuntur. Sensum bene perspexit Hegelmaierus p. 36, falsus in eo, quod omnino negat, solemne fuisse Christianis, atheismi reos facere gentiles. Vnum enim idemque crimen utrimque obiiciebatur, sed diversa ratione. Athei dicebantur Pagani, quod verum deum ignorabant: athei Christiani, quia, ut Minucius ait, nullas aras habebant, templa nulla, nulla nota simulacra deorum. Res nota ex apologiis Christianorum, monuitque Balduinus ad edicta Princip. Rom. de Christianis p. 89.

30) Vulgo κἀκείνοις. Nostram lectionem Valesius protulit ex tribus codd. et in annotationibus merito probavit.

31) Melior est codd. aliquot lectio: τῷ δοκεῖν κατηγορουμένοις, hoc est, Langó interprete: *quibus praestabilius etiam, dum accusari arguique videntur, pro deo suo mori potius, quam in vita manere.*

32) Particulam negantem omisit Chronici paschalis auctor, hoc etiam in loco textum Eusebianum ad Iustinianum refingens. Eam omissionem probat Haffnerus, qui sic interpretatus est: *de terrae motibus — non aequum est vos mentionem facere.* Vulgatam Rufinus περιφράσει sua tuetur.

ἀθυμοῦντας μὲν ὅταν πὲρ ὦσι, παραβάλλοντας δὲ τὰ ἡμέτερα 33) πρὸς τὰ ἐκείνων. Οἱ μὲν οὖν εὐπαῤῥησιαστότεροι γίνονται πρὸς τὸν Θεόν· ὑμεῖς δὲ παρὰ πάντα τὸν χρόνον καθ᾽ ὃν ἀγνοεῖν δοκεῖτε, τῶν δὲ Θεῶν καὶ τῶν ἄλλων 34) ἀμελεῖτε, καὶ τῆς Θρησκείας τῆς περὶ τὸν ἀθάνατον, ὃν δὴ τοὺς Χριστιανοὺς Θρησκεύοντας ἐλαύνετε καὶ διώκετε ἕως τοῦ Θανάτου. Ὑπὲρ δὲ τῶν τοιούτων, ἤδη καὶ πολλοὶ τῶν περὶ τὰς ἐπαρχίας ἡγεμόνων καὶ τῷ Θειοτάτῳ ἡμῶν ἔγραψαν πατρί. Οἷς καὶ ἀντέγραψε 35) μη-

rem veſtrum iuſta commonitione ſolari: quandoquidem comperi, quod in huiuscemodi rebus ad illorum invidiam communes caſus transfertis. In quo illi quidem maiorem fiduciam accipiunt apud deum: vos autem in omni tempore, quo de talibus ignoratis, ceteros quidem deos negligitis, cultum vero immortalis dei, quem Chriſtiani colunt, expellitis et deturbatis, usque ad mortem cultores illius obſervantiae perſequentes. Super quibus plurimi ex provinciis iu-

---

Nempe in exemplo Iuſtiniano verb. ὑπομνῆσαι referendum eſt ad Aſianos, qui admonere Imperatorem de calamitatibus, per Chriſtianos importatis, fuerint auſi, in Euſebiano, ſi οὐκ ἄτοπον ſervetur, ad Imperatorem, qui commonefecerit iniquos et imprudentes Chriſtianorum accuſatores.

33) Non multum intereſt, ἡμέτερα an ὑμέτερα legatur. Illud etiam mitius dictum videatur a vituperatore, eoque lenitati verborum, quae eſt in Euſebiano exemplo, accommodatius: hoc praetulit Valeſius, et in Iuſtiniano reperitur. Idem Valeſius Langum laudavit, qui ita verterit: *De terrae motibus autem, qui vel fuere, vel fiunt adhuc, non importunum fuerit vos, qui ea de cauſſa animum deſpondetis, admonere, ut ſcilicet res veſtras cum rebus illorum comparetis.* Igitur Langus οὐκ ἄτοπον ſervavit, et reliquae ſententiae fulcrum, quod grammaticae rationes non afferebant, in iſto malae notae interpretamento *Scilicet* male quaeſivit.

34) Peracuta eſt coniectura Haffneri, legentis καὶ τῶν ἱερῶν, quod per negligentiam librarii primum in ἑτέρων, deinde ex hoc in ſynonymum ἄλλων tranſiiſſe videatur. Confirmatur coniectura tum Iuſtini textu, tum errore Chronici paſchalis, in quo utraque lectio coniungitur: καὶ τῶν ἄλλων ἱερῶν.

35) „Huius epiſtolae Divi Pii meminit Melito infra cap. 26, qua vetitum eſſe dicit, μηδὲν νεωτερίζειν περὶ Χριστιανούς. Hic vero in epiſtola Divi Marci dicitur cautum eſſe a Divo Pio μηδὲν ὀχλεῖν, quod idem eſt.“ *Valeſius.* De verborum interpretatione adſtipulamur: nam qui aliam verbi νεωτερίζειν ſignificationem commendavit, Haffnerus p. 31 non attendit ad orationis Euſebianae contextum, in quo bis idem verbum poſitum eſt eodem ſignificatu: de auctoribus edicti alia quaeſtio eſt. Edictum ut Marco vindicaret, Valeſius ad Pium retulit verba ἀντέγραψε μηδὲν ἐνοχλεῖν, quae nihil vetat ad Hadrianum trahere.

δὲν ἐνοχλεῖν τοῖς τοιούτοις, εἰ μὴ φαίνοιντό τι περὶ τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν ἐγχειροῦντες. Καὶ ἐμοὶ δὲ περὶ τῶν τοιούτων πολλοὶ ἐσήμαναν· οἷς δὴ καὶ ἀντέγραψα, κατακολουθῶν τῇ τοῦ πατρὸς γνώμῃ. Εἰ δέ τις ἐπιμένοι τινὰ τῶν τοιούτων εἰς πράγματα φέρων ὡς δὴ τοιοῦτον, ἐκεῖνος ὁ καταφερόμενος ἀπολελύσθω τοῦ ἐγκλήματος, καὶ ἐὰν φαίνηται τοιοῦτος ὤν· ὁ δὲ καταφέρων ἔνοχος ἔσται δίκης. Προετέθη 36) ἐν Ἐφέσῳ ἐν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας 37).

dices etiam venerabili patri nostro scripserant. Quibus rescriptum est ab eo, ut nihil omnino molestiae huiuscemodi hominibus generarent, nisi forte arguerentur aliquid adversum Romani regni statum moliri. Sed et mihi ipsi de his quam plurimi retulerunt: quibus ego, paternam sequutus sententiam, pari moderatione rescripsi. Quodsi quis persistit huiuscemodi hominibus absque ullo crimine movere negotia: ille quidem, qui delatus pro hoc nomine fuerit, absolvatur, etiamsi probetur id esse, quod ei obiicitur, Christianus: is autem, qui crimen obtendit, reus poenae ipsius, quam obiecit, exsistat. Proposita Ephesi publice in conventu Asiae.

36) „Solebant Imperatores, quoties aliquam constitutionem ad omnium notitiam pervenire vellent, sua manu adscribere: *proponatur*.“ *Valesius*. A legibus et constitutionibus Imperatorum solemnis nota P. P. hodie transiit ad ipsa etiam programmata academica. Ita mutantur tempora. Cf. Brissonius de formulis P. R. III. p. 556.

37) Assentimur nos quidem Hegelmaiero, qui τὸ Κοινὸν τῆς Ἀσίας eodem, qui in titulo est, sensu intelligendum existimat: sed perdocta exstat ad h. l. annotatio Valesii, qua repetenda finem his notulis nostris imponere iuvat. Aliter (inquit) hic sumitur Commune Asiae, aliter in inscriptione huius Epistolae. Nam in inscriptione quidem ipsa, ubi legitur M. Aurelius Antoninus Communi Asiae, sumitur pro Concilio, seu pro legatis, qui ex tota Asia Ephesum convenerant ad sacra ludosque in honorem Imperatorum. In fine autem Epistolae sumitur pro loco ipso, in quo conveniebant. Potest etiam sumi pro templo, quod Commune Asiae construxerat in honorem Romae et Augusti. Exstat sane vetus numus Claudii Augusti editus a Ioanne Tristano Sanctamantio, in quo templum expressum est hoc titulo R. *et Aug.* cum hac inscriptione ad utrumque latus templi: *Com. Asiae*. Hoc templum Ephesi fuisse existimo, quo conveniebant omnes Asiae civitates ad sacra pro salute Imp. et populi Romani celebranda. Eratque hoc templum publici iuris totius Asiae, utpote communi sumptu exstructum. Ludi quoque eodem nomine dicebantur κοινὸν Ἀσίας, vel in plurali nu-

Satis propoſuimus novis ſcholis, per hiemem, quae instat, in hac Academia habendis. Vos grato eas animo accipite, Cives, in iisque et deligendis prudentiam, et adeundis alacritatem atque conſtantiam probate. P. P. in Vniverſitate litterarum Ienenſi, die V Auguſti, anno MDCCCXXI.

---

mero *κοινά*: quorum mentio fit in inſcriptione Farneſiana et in marmoribus Arundelianis. Et hos quidem ludos Smyrnae actos fuiſſe docent ſupra dictae inſcriptiones, et numus Imperatoris Severi apud Triſtanum hoc titulo: ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑСΙΑС СΜΥΡΝΑΙΩΝ. Tamen nihil vetat, quo minus hos ludos etiam Epheſi actos fuiſſe credamus, praeſertim quum haec epiſtola Divi Marci id omnino ſuadere videatur.

LECTIONES
PROFESSORUM ORDINARIORUM
THEOLOGIAE.

IO. PHILIPPUS GABLER, D. *publice* hiſtoriam paſſionis et reſurrectionis J. C. ſecundum quatuor Evangelia illuſtrabit hora quidem commoda bis per hebdomadem; *privatim* hora IX — X ſenis diebus et h. vespert. VI — VII quaternis diebus theologiam *dogmaticam* duce Ven. Ammonio tradet, atque hora III — IV ſenis diebus theologiam *moralem* ad filum *compendii* Ven. Vogelii exponet. Denique in Seminario *theologico* ſtudia ac labores Sodalium disputando et commentando moderari perget, hora VI — VII die Mercurii.

HENR. AUG. SCHOTT, D. *publice* diebus *Lunae*, *Martis*, *Mercurii*, *Iovis*, *Veneris* hora IX — X *Theologiam dogmaticam* continuabit et abſolvet, epitomen ſuam ſecundum novam eius editionem ſequuturus. *Privatim* iisdem diebus hora III — IV *iſagogen hiſtorico - criticam* in libros *novi foederis* docebit ex theſibus ſuis. Ceterum *conventus ſeminarii homiletici* diebus *Iovis* hora veſpertina VII — VIII gratis moderari perget.

IO. TRAUG. LEBR. DANZ, D. *privatim:* 1) hora X — XI enarrabit *Hiſtoriae eccleſiaſticae partem priorem* ſec. Compendium ſuum: *Lehrbuch d. chriſtl. Kirchengeſch.* Ien. ap. Croeker. 2) hora XI — XII tradet Diſciplinas theol. practicas, *Homileticen*, *Catecheticen* etc. ex dictatis. *Publice* de *ſtatu literarum theologicarum* noſtris temporibus differet. Exercitationibus *Seminarii catechetici* moderator aderit d. Merc. h. I — II.

LUDOV. FRID. OTTO BAUMGARTEN - CRUSIUS, D. VI d. hora VII *ency-*

clopaediam theologicam tradet; h. VIII et III d. (Mart., Jov., Ven.) h. VI vesp., *Joanneum evangelium* et *epistolas catholicas* interpretabitur. Deinde V dd. h. IV *dogmatum historiam*, theologiae ſymbolicae iunctam, deſcribere perget. *Univerſam religionis hiſtoriam*, quam *mythologiam* dicunt, h. V docebit. *Scholas* denique *examinatorias* inſtaurabit, et *disputationes theologicas gratis* habebit.

IURISPRUDENTIAE.

ANDR. IOSEPH. SCHNAUBERT, D. *publice* ſpecialia *juris ecclеſ. Catholicorum* principia, hora X die Mercur.; *privatim ius feudale* ſec. G. L. BOEHMERI principia edit. BAUERIANAE hora II. docebit.

PAULLUS CHRISTOPHORUS GOTTLOB ANDREAE, D. *publice*, dieb. Martis, Iovis et Veneris hora III, GAII *Inſtitutionum Commentarios* interpretabitur; *privatim*, ſenis diebus horis VIII et X et quinis diebus hora XI ius Pandectarum, ſecundum GÜNTHERI *principia iuris Romani privati noviſſimi*, docebit.

C. G. KONOPAK, D. *privatim* inſtitutiones iuris Romani privati ad filum libri a ſe ſcripti, h. IX, et ius criminale duce FEUERBACHIANI compendii editione noviſſima h. X; *publice* doctrinam iuridico-mathematicam de interuſurio horis indic. tradet.

AUG. SIGISM. KORI, D. *privatim:* 1) dieb. Lun. et Iov. h. XI. commilitones in applicanda proceſſus doctrina ad lites aliaque negotia iudicialia, tam conficiendis ſcriptis et decretis, quam iudicandis litigiis, exercebit, nec non in negotiis extraiudicialibus, quae cauſſarum patronis mandari ſolent, caute peragendis et in ſcripturam redigendis inſtituet; 2) dieb. Mart. et Vener. hora XI exercitiis de applicandis Digeſtorum principiis ad ſpecies obvenientes praeerit.

CAROL. GUIL. WALCH, D. *publice* iuris Romani per medium aevum hiſtoriam hora III — IV dieb. Mart. et Iov. enarrabit. *Privatim hiſtoriam iuris Romani* a primordio civitatis usque ad Iuſtinianum h. X — XI tradet, uſurus HUGONIS libro: *Lehrb. d. Geſch. d. Röm. Rechts. Berl.* 1820.

FRIDERICUS ORTLOFF, D. *publice: ius mercatorum et cambiorum*, duce libro: *Grundriſs des Handelsrechts von* G. F. VON MARTENS, *dritte Aufl. Göttingen* 1820. 8., binis diebus hora I, tradet, *Privatim:* 1) *inſtitutiones Iuſtiniani*, GAII *inſtitutionum commentarios* et THEOPHILI *paraphraſin* adhibiturus, quinis diebus h. XI, interpretabitur, 2) *us germanicum privatum*, duce RUNDII libro: *Grundſätze des gemeinen deutſchen Privatrechts, fünfte Aufl. Göttingen* 1817. 8., quinis diebus h. VIII, docebit.

CAROLUS ERNESTUS SCHMID, D. *privatim* hora IX Institutiones iuris universi (*Encyclopädie der Rechtswissenschaft*) ex schedis suis explicabit.

CHRISTOPH. MARTIN, D. theoriam processus civilis, per Germaniam communis, e libelli sui edit. VII, *privatim* exponet hora IX—X et XII—I die Mercurii excepta.

CAROLUS EICHMANN, D. bis p. h. introductionem in ius Saxonicum (*Einleitung in das Particularecht der Sächsischen Staaten*) tradet.

MEDICINAE.

IO. FRID. FUCHS, D. *privatim* 1) Anatomiam c. h. theoreticam universam ad cadavera et praeparata musei magniducalis anatomici explicabit horis IX et XI, 2) Osteologiam iuxta Loderi compendium anatomicum illustrabit hora I, 3) Anatomiam practicam solito more moderabitur consuetis horis.

IO. CHRIST. STARK, D. *privatim* 1) hora VIII—IX *Chirurgiam universam* exponet; 2) h. III—IV *Artem fascias et machinas chirurgicas applicandi* e libro suo docebit; 3) h. X—XI *scholas clinicas* cum Ill. Suckowio moderabitur easque ita, ut auditores in *praxi* tum *medico-chirurgica* tum *ophthalmologica* exerceantur; 4) h. VI—VII vesp. *praxin obstetriciam* in Nosocomio a Magno Duce condito cum Excell. Walchio dirigere perget.

GUILIELM. CAROLUS FRIDERICUS SUCKOW, D. *privatim* tradet: 1) *Pathologiae* et *Therapiae specialis* partem priorem hora IV—V et quater per hebdomadem h. I—II; 2) *Pharmacologiam* hora commoda; 3) *Scholis clinicis* una cum Perill. Starkio praeesse perget h. X—XI.

DITER. GEORG. KIESER, D. *privatim* tradet decies per hebdomadem hora II—III et V—VI *Pathologiae et Therapiae specialis sectionem alteram*, quae morbos systematis vegetativi et systematis sensitivi comprehendit, ex schedis. *Publice Examinatorium* medicum theoretico-practicum in usum candidatorum medicinae solito more ac tempore instituet.

FRID. SIGISM. VOIGT, D. *privatim*, *Historiam naturalem* enarrabit, h. III—IV.

PHILOSOPHIAE.

IO. HENR. VOIGT, D. *publice Cosmographiam* exponet. *Privatim*, hora II—III. *Mathesin puram* cum *Geodaesia*, et hora VIII—IX *Matheseos applicatae partes mechanicas et opticas* cum *Introductione* in *Mathesin sublimiorem*, ex propriis praeceptis, docebit. Hora X—XI *Physicam theoretico-experimentalem*, ex Elem. ill. Mayeri, enucleabit.

HENR. CAR. ABR. EICHSTAEDT, D. *publice* statis diebus et horis Exercitationes tum Seminarii philologici, tum Civium, praefecturae suae traditorum, moderabitur; *privatim* h. IV — V *Encyclopaediam* et *Methodologiam philologicam* tradet. Ac si qui scholis Graecis Latinisve expetendis iucundam praeteriti temporis memoriam renovare voluerint, promptam iis operam pollicetur.

HENRICUS LUDEN, D. *privatim* 1) *historiam antiquam*, secundum librum suum: *Allgemeine Geschichte der Völker und Staaten des Alterthums*, docebit, hora V — VI, quinquies per hebdom.; 2) *historiae medii aevi partem secundam*, duce libro suo: *Allgemeine Geschichte der Völker und Staaten des Mittel-Alters*, senis diebus hora I — II tradet; 3) *historiam novi temporis*, inde a fine saeculi XV usque ad finem saeculi XVIII, sen. dieb. h. II — III enarrabit.

IO. GEORG. LENZ, D. *publice* Perillustris LEONHARDI libellum f. t. *die Form, Verhältnisse und die Gruppirung der Gebirge, als erklärende Beylage zu den plastischen Darstellungen der Gebirge*, interpretando illustrabit. *Privatim* hora XI — XII aut alia *Auditoribus Aestumatissimis* hora commoda, *Zoologiam*, sequuturus compendium suum: *Anfangsgründe der Thiergeschichte zum Gebrauch academischer Vorlesungen*, docebit, et hora I — II *Mineralogiam* ad filum compendii sui: *Erkenntnisslehre der anorganischen Naturkörper zum selbsteigenen Unterricht und mit Hinsicht auf Cameralisten und Oeconomen*, adiunctis exercitationibus practicis, more consueto tradet. Nec iis deerit, qui Musei-Carolo-Augustei et Societatis Mineralogicae Ducalis thesauros diligentius cognoscere voluerint.

CAROL. FRIDER. BACHMANN, D. *publice* binis diebus *philosophiam* ita delineabit, ut efficiatur orbis ille doctrinae, quem Graeci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant; *privatim* hora IV — V *Logicen* tradet, h. V — VI *Psychologiam* explicabit.

IO. GODOFR. LUD. KOSEGARTEN, D. 1) diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. hora II — III *librum duodecim Prophetarum minorum* interpretabitur; 2) iisdem dieb. hora V — VI *Grammaticam linguae hebraicae* explicabit, secundum dictata; 3) *publice*, dieb. Merc. et Sat. h. I — II *Elementa linguae arabicae* tradet, ad *institutiones* ROSENMÜLLERI. Lips. 1818; 4) *privatissime linguam Persicam* docebit.

FERDINANDUS HANDIUS, D. quaternis diebus Lun. Mart. Merc. et Ven. hora III — IV docebit *Aestheticen*, et iisdem diebus hora X — XI explicabit *Taciti Annales*. *Publice Euripidis Cyclopem* interpretabitur, et Exercitationes sociorum seminarii philologici moderari perget.

GEORG. GOTTL. GÜLDENAPFEL, D. *privatim*, si per tempus in ordinanda

Bibliotheca academica colloquendum licuerit, hora IV — V Encyclopaediam omnium disciplinarum tradet.

IO. WOLFG. DOEBEREINER, D. *privatim* tradet: 1) hora VIII — IX quinquies per hebdomadem *Chemiam generalem* una cum *Stoechiometria* idoneis experimentis illustratam, ad compendium suum: *Grundriss der Chemie und Stoechiometrie, 2te Aufl. Jena, in der Crökerschen Buchhandlung* 1819; 2) hora II — III ter per hebdomadem *Chemiam analyticam* una cum *Microchemia pneumatica*, ad librum suum: *Pneumatische Chemie. Jena* 1821.

IO. FRID. POSSELT, D. *publice* diebus Mercurii et Veneris hora II — III *doctrinam solidorum* explicabit secundum Euclidis Elem. lib. XI, XII et XIII; *privatim* h. III — IV *Mathesin puram*; et h. XI — XII Elementa *Algebrae et Geometriae sublimioris* docebit.

LECTIONES

PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM

THEOLOGIAE.

CHRIST. AUG. KESTNER, D. *privatim* 1) Historiam religionis et ecclesiae Christianae ab initiis inde usque ad saeculum XVIII, duce Schroeckhio, enarrabit, VI dd. hora X et V dd h. III. 2) Quatuor evangelia, acta apostolorum et apocalypsin interpretatione historica imprimis et antiquaria *cursim* exponet, hora VIII. *Publice* Historiam ecclesiasticam saeculi decimi octavi et recentt. tempp. adumbrabit, die Saturni h. III. *Privatissime* denique scholis examinatoriis non deerit.

IURISPRUDENTIAE.

IUL. THEOD. FRID. SCHNAUBERT, D. privatis lectionibus tradet 1) encyclopaediam et methodologiam iuris universi hora XI — XII ex libro suo (*Lehrbuch der iurist. Wissenschaftslehre*); 2) Institutiones iuris Romani tam publici quam privati h. IX — X.

CONR. IO. ALEX. BAUMBACH, D. *publice* hora I — II *de pignoribus et hypothecis* doctrinam iuris Romani iterata vice interpretabitur. *Privatim* 1) h. X — XI *ius naturae*, una cum civili iuris privati prudentia, duce proprio systemate doce-

bit; 2) h. XI — XII *historiam iuris Romani* secundum Hugonis librum enarrabit. Privatissime, constituendis cum civibus horis, *examinatoria in Pandectas* instaurabit.

MEDICINAE.

CHR. AUG. FR. AB HELLFELD, D. *publice* Pathologiam et Therapiam morborum venereorum bis per hebdomadem hora auditoribus commoda exponet. *Privatim* vero iis, qui Materiae medicae institutiones desiderant, studia sua offert.

CAR. GUILIELM. STARK, D. lectionibus *privatis* tractabit 1) *Pathologiam generalem* hora X — XI. 2) *Morbos oculorum et aurium* h. adhuc definienda. *Publice* Disputatorium latinum solito more ac tempore continuabit.

THEOBALD RENNER, M. D. *publice* diebus Lunae et Iovis hora III — IV artem equorum ungulas soleis ferreis clavorum ope impingendis calceandi una cum anatome pedis equini eiusque morbis tradet; *privatim* 1) anatomen animalium domesticorum senis diebus hora IX — X et die Mercurii hora III — IV explicabit; 2) medicinam veterinariam praemittenda eius historia duce Veithio (*Handbuch der Veterinärkunde. Wien.* 1817 — 18) nec non ad propria dictata horis quinis postmeridianis IV — V aut V — VI, diebus Martis et Iovis h. III — IV et die Saturni h. X — XII docebit; 3) artem obstetriciam ad librum Cel. Iörgii (*Anleitung zu einer rationellen Geburtshülfe der landwirthschaftlichen Thiere. Leipzig* 1818) hora una adhuc definienda per hebdomadem exponet; 4) exercitationes animalia domestica dissecandi solito more moderabitur. Nec deerit iis qui praxi veterinariae operam navare cupiant.

FRID. AUG. WALCH, D. *privatim* IV — V *Pharmacologiam* cum arte *formulas medicas conscribendi* tradet. Hor V — VI *artem obstetriciam theoretico practicam* cum morbis *recens natorum* docebit. Hora VI — VII *praxin obstetriciam* in nosocomio a Magno Duce condito cum *perillustri* Starkio moderari continuabit.

C. F. HEUSINGER, D. *publice* hora II — III d. Lunae et Vener. *Histologiam vel sic dictam anatomiam generalem; privatim* h. IV — V *Physiologiam corporis humani* tradet.

PHILOSOPHIAE.

IOANNES SCHAD, D. tradet *privatim* 1) Psychologiam ad compendium Schulzii: *Psychische Anthropologie von G. E. Schulze. Göttingen* 1819. 2) Philosophiam religionis tum naturalis, tum revelatae ad proprias ideas.

FRID. GOTTL. SCHULZ, D. 1) oeconomiam politicam theoreticam et pra-

cticam in eorum praecipue usum, qui in studium politices, juris et disciplinarum cameralium incumbunt; 2) technologiae eam partem, quae maxime ad agricolas pertinet, *privatim* docebit; 3) privatissime exercitationes in fundorum pretio statuendo moderari perget; 4) *publicas* lectiones de argumento, utilitate et studio doctrinarum cameralium seu oeconomicarum habebit. Reliqua suo tempore indicabit.

FRID. OSANN, D. *publice* Aristophanis Nubes binis per hebd. diebus interpretabitur. *Privatim* 1) Historiam litteraturae Romanae ter p. h. diebus Lunae, Martis et Iovis hora X — XI tradet. 2) Plauti Captivos, praemissa isagoge in metra Plautina, binis p. h. horis suo tempore indicandis explicabit.

CHRIST. IMMAN. HOGEL, D. binis per septimanam horis determinandis introductionem in studium historiae generalem atque historiae universalis conspectum proponet; *privatim* ad Psychologiam historicam s. empiricam ex libello suo: (*Empirische Psychologie und allg. Logik u. s. w. Gera bey Heinsius* 1810.) tradendam paratus est.

LECTIONES

DOCTORUM PRIVATIM DOCENTIUM

IURIDICAE.

IO. AUG. CHR. AB HELLFELD, D. has offert praelectiones *privatim* habendas: 1) principia praxeos iuridicae, duce OELZ: *Anleitung zur gerichtlichen Praxis. Jenae* 1800. 2) Examinatoria in pandectas secundum compendium b. patris.

IUL. HENR. PAULSEN, D. 1) institutiones iur. Rom. ad WALDECKII compendium hora mat. VIII — IX. 2) Principia praxeos iudicialis duce OELZ: *Anleit. zur gerichtlichen Praxis* h. II — III; gratis 1) ius cambiale, ex dictatis; 2) doctrinam de praescriptione docebit.

AUG. GUIL. DE SCHROETER, D. *privatim* tradet 1) *ius pandectarum* sexies per hebd. hora VIII — IX et X — XII secundum libellum: *Grundriss eines Systems des gemeinen Civilrechts von* ARNOLD HEISE, *3te Ausg. Heidelberg* 1819, adhibendo quoque libro: *System des Pandectenrechts von* THIBAUT, *5te Ausg. Jena* 1818; 2) *historiam iuris Romani;* sexies per hebdomadem hora III — IV secundum HUGONIS librum: *Lehrbuch der Geschichte des Römischen Rechts*, *7te Aufl. Ber-*

lim 1820. Denique lectionibus *gratis* habendis doctrinam *de iure pignoris* bis per hebdomad. docebit.

MEDICAE.

C. CHR. FRIEDEM. TRAUG. GOEBEL, D. *privatim* docebit 1) *Pharmaciam* generalem una cum *Stoechiometria* experimentis idoneis illustratam, ad librum suum: *Grundlinien der pharmaceutischen Chemie und Stoechiometrie. Jena bey Schmid* 1821, quaternis diebus h. III—IV; 2) Materiam pharmaceuticam theoretico-experimentalem ternis diebus.

ARM. HUSCHKE, D. exponet *privatim* 1) Physiologiam corporis humani quinquies per hebd.; 2) Historiam evolutionis corporis humani ter p. h. horis adhuc definiendis.

PHILOSOPHICAE.

IO. CHRIST. FRIDER. GRAUMÜLLER, D. 1) *Botanicen nemorum cum cultura et technologia* exponet. 2) *Historiam naturalem forestalem de quadrupedibus, avibus* etc. explicabit. 3) *Botanicen oeconomicam et technicam* tradet. 4) *Historiam naturae* de singulis corporibus, quae officinalia dici consueverunt, et tribus naturae regnis comprehenduntur, enarrabit. 5) *Historiam Botanices*, adnexa notitia libraria, leget. In Instituto elementa prima scientiae forestalis docere perget. Horas his lectionibus commodas suo loco et tempore indicabit.

FRID. AUG. KLEIN, D. Phil. et Baccal. Theol., *privatim* tradet 1) *Ethicen*, hora III—IV. 2) *Logicen* et introductionem in studium philosophiae, h. IV—V. 3) *Practicam interpretationem pericoparum* evangel. et epistol. in usum futurorum ecclesiastarum, h. V—VI. Privatissime (duce libro suo: *Darstellung des dogmatischen Systems der evangelisch-protestantischen Kirche. Jena, bey Mauke* 1821) scholas examinatorias ad Theologiam dogmaticam spectantes habere, et gratis *Societati Theologicae* praeesse perget.

CAR. GUIL. ERNEST. PUTSCHE, D. docebit *privatim* agronomiae et agriculturae principia hora X—XI, gratis autem die Mercurii h. I—II de emendandis pratis disseret.

IO. FRIDER. CHRISTIAN WERNEBURG, D. *privatim*: 1) *Mathesin puram*, duce F. Schweins (*Mathematik für den ersten wissenschaftlichen Unterricht u. s. w. Giesen* 1810) hora III—IV quinquies p. h. 2) *Arithmeticam cum Algebra*, ad

compendium suum! *Lehrbuch der Arithmetik in Ziffern und Buchstaben zugleich. Jena* 1819) h. II — III. 3) *Mathesin applicatam* duce J. H. M. Poppe. 4) *Elementa architecturae civilis* horis commodis tradet. Lectiones privatissimas in princ. matheseos sublimioris offert.

FRID. KOERNER, D. theoriam, confectionem et usum instrumentorum meteorologicorum docebit.

FERDINANDUS WACHTER, D. historiam Danicam, Norvegicam et Suecicam quinquies per hebdomadem h. XI tradet.

FRID. GUIL. LUDOV. WAHL, D. *privatim*: 1) *Mathesin puram* duce Thibaut *Grundr. der reinen Mathematik* sexies p. h. 2) *Scientias mechanicas*, sequuturus librum Lorenz *Lehrbuch der angewandten Mathematik*. Curs. I. et II. quinquies p. h. docebit. Horas commodas suo tempore in tabulis publicis indicabit. Iis denique non deerit, qui lectiones mathematicas privatissimas cupiunt.

CAR. HERM. SCHEIDLER, D. *gratis* exponet Britannorum status formam s. constitutionem uti vocatur, horis adhuc definiendis; *privatim* tradet 1) philosophiam iuris publici et privati (quam et ius naturae vocant) ex schedis suis quinis p. h. diebus hora III — IV; 2) encyclopaediam et methodologiam philosophiae quaternis p. h. diebus hora adhuc definienda.

GODOFREDUS GUIL. OSANN, D. *privatim* Physicen et Chemiam theoreticam experimentis quinquies per hebdomadem illustrabit.

LINGUARUM EUROPAE CULTIORUM SCHOLAE.

AUGUSTINUS de' VALENTI publice *Petrarcae carmina* binis per hebd. horis interpretabitur. Privatim 1) *linguae Italicae elementa* ex libris suis (*Italiänisches Elementarbuch, Leipzig, b. Köhler; Anleitung zur wahren italiänisch-toskanischen Aussprache und Wortton u. s. w. Jena, b. Schmid*, 1819, et: *Uebungen zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Italiänische, Leipz. b. Hempel*) tradet, traditamque usu et exercitatione excolet. Neque 2) iis deerit, si qui huius linguae ingenium penitius cognoscere velint. 3) Poetas Italicos veteris et recentis aevi, cum selectis e libro suo (*Prosaisch-poetische italiänische Blumenlese, Leipzig, b. Gräffe*) capitibus, explicabit. 4) Exercitationes italice loquendi tum singulis offert, tum in conversatoriis moderabitur. Praeterea 5) Epistolas more mercatorum scribere docebit, adhibito libro suo (*kaufmännischer Briefsteller, Nürnberg, b. Schneider und Weigel*).

LUD. DAN. LAVES, Prof. Vim., privatim 1) *Linguae Francogallicae elementa* tradet, addita dissertatione de huius linguae discendae difficultatibus. 2) *Linguam Germanicam et Francogallicam inter se comparabit*, diversum utriusque ingenium monstraturus. 3) *Historiam Litteraturae Francogallicae*, duabus partibus comprehensam, inde ab huius

litteraturae primordiis ad nostra usque tempora enarrabit. 4) *Racinii* Iphigeniam, *Voltairii* Zairen, et *Molierii* fabulam, quae inscribitur *le Tartuffe*, interpretabitur.

ARTIUM LIBERALIUM DISCENDARUM OPPORTUNITAS.

Artem equitandi discere cupientibus inserviet *Augustus Godofredus Ludovicus Seidler*, hippodromi magniducalis magister, horis matutinis et vespertinis.

Armorum tractandorum artem publica auctoritate docebit *Carolus Frid. Bauer.*

Artem saltandi discere cupientibus inserviet *Io. Christoph. Hess.*

Artem corpora vel graphide delineandi vel penicillo imitandi docebit *Christianus Gotthilf Immanuel Oehme*, picturae linearis magister publice constitutus.

Qui sonorum studiis nervorumque ac tibiarum cantu delectantur, hasque artes perdiscere cupiunt, iis operam suam spondent *Io. Henr. Sam. Domaratius*, Ser. Dom. Vimar. et Isenac. symphoniacorum praefectus, *Carol. Frid. Westphal*, academic. symphoniarum praefectus, item *Io. Christ. Guilielm. Richter.*

Ludovicus Hess, chalcographus, artem delineandi, picturasque lineares et litteras aeri incidendi, docebit.

Frider. Christ. Ludov. Schmidt operam suam iis dicabit, qui vel aedificia et molas typis imitari, vel in omnium generum machinis construendis, vel instrumentis oeconomicis et chirurgicis faciendis instituí velint; item toreuticen, artem vitrum tornandi et electricum apparatum instruendi docebit.

VI.

COMMISSIONES LITTERARIAS

NOVVM IN ACADEMIA IENENSI INSTITVTVM
PRINCIPVM MVNIFICENTIA CONDITVM
INDICIT
SIMVLQVE
CERTATIONVM
QVARVM PRAEMIA VICTORIBVS PVBLICE DECERNENTVR
DIE VII SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXII
MATERIEM
AB ORDINIBVS ACADEMICIS PROPOSITAM
VNA CVM INSTITVTI CONSILIIS AC LEGIBVS
ACADEMIAE AVCTORITATE
PROMVLGAT

HENR. CAROLVS ABR. EICHSTADIVS
ELOQVENTIAE PROFESSOR.

Suam cuique operae, praesertim quae publice imponitur, mercedem tribuere, iustitiae est, non liberalitatis: at praemiis excitare ad operam, privatae illorum magis, qui suscipiunt, quam publicae utilitatis caussa praestandam, id vero non modo liberale, sed munificum, sed regali animo dignum censemus. Ac talem quidem munificentiam serenissimi huius Academiae Nutritores, Principes indulgentissimi, vobis denuo navarunt, Commilitones, condito in hac litterarum schola novo instituto, quod, nisi bona spes per temporum iniquitatem augurio suo fallitur, ad incitamentum studiorum, ad doctrinarum auctus et incrementa, ad

ipsam denique Vniversitatis litterarum Ienensis dignationem et gloriam quam plurimum valebit. Quo fit, ut commemoratio tanti beneficii non solum ad nos pertinere, nec privatis tantum sermonibus usurpanda, sed publico celebranda praeconio et cum omni posteritate adaequanda esse videatur.

Quod dum conamur facere, iuvat memoriam renovare illius temporis, quo prima in Germanicis Academiis Georgia Augusta cum multis aliis studiorum decoribus ac praesidiis etiam hoc profecto non postremum consequuta est, ut proponendis quaestionibus de capite aliquo, ex disciplinis academicis petito, excitare cives suos posset ad honesta certamina, in quibus qui victores discessissent, et laudarentur publice, et regiis praemiis condecorarentur. Quanto tum studio, quanto etiam collegarum consensu, interpres et orator Academiae, Heynius *), praedicavit munificentiam regiam, quae rem discentibus utilissimam, docentibus honorificentissimam instituisset; quam prolixe idem, se vix umquam aliquid, quod ad rempublicam academicam pertineret, tanta cum voluptate animi, quam novum illud institutum, edixisse civibus professus est; quam graviter denique aliarum moderatores Academiarum admonuit dicti illius, quod est apud Tacitum, *sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura!*

Nec sane defuerunt Academiae, quae Gottingensis exemplum imitarentur, imprimis eae, quarum nostra aetas primordia vidit, strenue illae quidem ac recte, pleraeque etiam cum laude. Quamquam hac laudis significatione nos quidem nolumus detrahere de ceteris, quibus iam dudum alio modo provisum est, ne aut magistris aut discipulis studiorum pretia desint. Nam et in exemplis, quemadmodum Cicero ait, auctoritatem habet antiquitas, et, ut sunt diversa etiam intelligentissimorum hominum iudicia, de hoc quoque novarum Academiarum instituto diverse iudicatum fuit. In eo tamen consentiunt omnes, qui existimare

---

*) Editum ab eo programma *ad indicendam munificentiam regiam in praemiis academicae Iuventuti constituendis et ad argumenta certaminis proponenda* (Cal. Nov. a. 1784) inest in eius *Opusculis. acad.* Vol. III. p. 216. Add. Pütter *Versuch einer academ. Gelehrtengeschichte* II. p. 510. Brandes *über den gegenwärtigen Zustand der Universität Göttingen* p. 258. Saalfeld *Gesch. der Universität Göttingen* p. 543. sqq. Ex programmate ille fere derivata sunt, quae paullo post pro hoc genere commissionum scripsimus, repetitis passim, quantum scribendi ratio pateretur, ipsis Heynii verbis, quandoquidem disertior uberiorque novi instituti commendatio non reperiebatur.

de his rebus possunt, academica studia, si illorum recta sit ratio, et vera utilitas spectetur, non una vel auditione vel lectione absolvi, addendas esse crebras exercitationes dicendi, scribendi, agendi, quibus ea, quae audita et lecta fuerant, propria meditatione subacta et in sanguinem ac succum conversa, nostris quasi fibris humoribusque assimilantur, ut tandem nostra dici possint, quae aliunde acceperamus, et ut in promptu nobis sit, de iis rebus, in quibus studia collocavimus, dicto ac scripto agere commode, quae universe didiceramus, adducere ad praesentem caussam, videre quid in quaque re sit, quid ad eam expediendam pertineat, omninoque exercitatione et usu agendi tum celeritatem tum alacritatem et confidentiam parare. Id qui omnino concedunt, sunt tamen in iis qui negent, commissionibus litterariis, quibus de praemio certatur, facilius feliciusque, quam aliis exercitationibus, quae in Academiis celebrantur, consilium illud obtineri. Immo exercitationes ceteras, quae practicarum scholarum nomine notae satis ac frequentes sint, tanto etiam praestabiliores esse, quanto magis et gratam adolescentibus varietatem sectentur, et tardioribus quoque ingeniis succurrant, denique, quanto sint cum academicis rationibus coniunctiores. Nam commissiones illas relinquendas esse veteranis in civitate litteraria, qui, quod operae pretium sit, navare possint; commendandas certe viris, aetate et eruditione gravibus, qui dudum tirocinia in litteris posuerint, imprimis Academiis litterarum, quae proprie dicuntur, in quibus publico sumptu aluntur homines doctrinae copia et laude florentissimi, non quo muneribus in republica suscipiendis praeparentur, discendisque demum litteris fortunarum suarum domicilium quaerant, sed qui in illis iam habitent, beatoque otio fruentes, totam vitam suam unice consacrent doctrinis et artibus, ipsorum sollertia proferendis, illustrandis, amplificandis. Has inter Academias et litterarum Universitates si qua utiliter interiecta sint instituta, velut intermedia, vicina amborum et quae utriusque bona participent, ea potius quaerenda esse in Seminariis recte constitutis, in quibus iuvenes ab universa litterarum tractatione revocentur ad singularia quaedam studia, apta uniuscuiusque ingenio, suoque Marte sic colenda, ut discipuli, sed magistrorum ope, auxilio, monitis adiuti, ipsi iam quodammodo suscipiant partes doctorum, et suopte studio proferre aliquid, quod litteris prosit, et tamquam ex sese procreare assuescant*). At hoc ipsum est, quod, qui contrariae parti favent, commissioni-

*) Memorabile est, SCHLEIERMACHERUM, quo loco dixit de iis, quae ad con-

bus litterariis tribuendum existimant, et quod in summa illorum laude ponunt, praesertim quum iuvenilia studia, ne torpescant, quam maxime indigeant certamine plurium, quo acuantur vires et ingenia excitentur. Etenim vim, robur, virtutem augeri conatu, spe, audentia, inflammandam esse gloriae cupiditatem, curandumque, ut locum habeat illud, quod imprimis commoveat animos hominum, quodque vulgo dicatur, *digito monstrari et dicier: hic est!* Haec contra quid isti? Nempe primum monent, aemulationis stimulos etiam practicis scholis, disputatoriis, examinatoriis, conversatoriis (haec enim nomina recepta sunt more Academiarum) satis exacui; deinde, nihil magis cavendum esse, quam ne aut in perniciem studiorum inflentur adolescentes, quibus publicae laudes nescio quos spiritus afferre soleant, aut ne, qui ingenui sint ac verecundi, erubescant significationibus acclamationibusque multitudinis, assentatione immodica pudorem onerantis. Itaque satius esse, certationes eiusmodi privatis doctorum parietibus contineri, quam foras proferri et in luce collocari; consultius, calamo consignari certantium scripta, quam typis multiplicari. Et alia plura sunt, quibus derogare cupiant de utilitate ac pretio instituti: ex quibus unum adhuc, quod momentum facere videatur, hoc loco attingere lubet. Illud enim omnium maxime conqueruntur, quod, qui contendere de palma velint adolescentes, ex angustiis illis triennii, in quod nostra aetate coartari academica studia solent, tertiam quartamve partem necesse habeant impendere in unam aliquam ex disciplinis academicis particulam, utilem sine dubio ac fortasse etiam necessariam, sed particulam tamen, eamque fere perexiguam, cui tractandae et cum pulvisculo excutiendae quo maiore cum studio et librorum paratu inhaereant, eo magis ceteras negligere, levius saltem, quam par erat, attingere cogantur. In quo sane est aliquid, quod scrupulum iniiciat iis, qui brevitatem academici spatii cum disciplinarum in Academiis discendarum varietate et copia comparent: sed non est tantum, quantum illi opinantur. Quemadmodum enim diligenter curandum est doctoribus, ut quae ad disceptationem proponantur quaestiones nexae iugataeque sint cum

---

stitutionem Vniversitatum saeculi ingenio aptam requirantur, et Seminariorum potissimum virtutes commendavit, de commissionibus litterariis nihil dixisse (*Gedanken über Universitäten in deutschem Sinn* p. 87. sqq.) Et facundus ille Georgiae Augustae laudator, CAR. VILLERS, nota in libro certationes civium Gottingensium oblitus est commemorare: nec supplementum rei scribendum censuit libri Germanicus interpres, FRANC. HENR. HAGENA.

scholarum argumentis, et aptae viribus atque aetati adolescentum, quo facilius, adhibita lectione et meditatione, privatis omnino studiis necessaria, expediri ab iis explicarique possint: ita non modo postulatur, sed ne exspectatur quidem, ut ad certamen depproperent rudes ac tirones, qui dimicare nondum didicerunt, h. e. qui et haerent adhuc in litterarum elementis, et vix millesima disciplinae suae parte libata, complexum illius ambitumque prorsus ignorent, sed ut ad pugnam sese accingant ii, quibus et arma et consilia in promptu sunt, et qui, prospecta artis suae universa velut regione, ad singula illius loca curiosius visenda, ipsis hortantibus probantibusque magistris, se conferunt. Denique moderandum est hoc totum institutum ratione, quae et incommoda, si qua sint et quantacumque sint, maioribus bonis compenset, et fortuita detrimenta avertat, et omnium consultrix atque provida sit utilitatum.

Quorsum igitur haec disputamus? Scilicet duabus potissimum de caussis: primum, ut, in quo Principum serenissimorum munificentiam laudavimus, in eodem summam illorum sapientiam venerabundi agnoscatis: deinde, ut caussas et consilia legum perspiciatis, quae ita sunt scriptae, ut vestris unice utilitatibus consulatur. Sapienti enim consilio factum est, ut in hac Academia commissiones litterariae non instituerentur prius, quam experientia magistra, quae affert omnibus in rebus longinqua observatione scientiam, satis docuisset rationem, qua optime ac saluberrime institui possent. Adeo etiam de Academiis interdum valet, quod proverbio dicitur, *cunctando restitui rem.*

Ne quis autem damnosam rebus nostris eiusmodi moram fuisse censeat, Academia Ienensis, antequam hoc institutum exsisteret, omnino non caruit opportunitatibus, audita in scholis ad usum vel praxin conferendi: quamquam illae exercitationes, si anatomicas, clinicas et obstetricias Medicorum excipiamus, publicis iam dudum sumptibus sustentatas, adhuc privatae magis illorum, qui praeerant, operae, quam auctoritati publicae debebantur. Privatim enim a Theologis, privatim ab Iureconsultis institutae sunt scholae practicae, quibus res vel in acroateriis traditae, vel lectione cognitae, disputando, examinando, scribendo in usum convertebantur, ita ut si qui patrum memoria vel ex Doederlinii disciplina oratores sacri, vel ex Hellfeldi institutione caussarum patroni prodiissent, hoc uno nomine, tamquam praerogativa publici favoris, popularibus pariter atque exteris satis commendarentur. Privata item opera et impensa per integrum prope saeculum floruit Societas Latina, et quid in studiis antiquitatis possit recta in-

stitutio, crebris idoneisque exercitationibus adiuta et velut roborata, inde ab Hallbaueri et Walchii moderatione multis et praeclaris sociorum scriptis demonstravit. Mittimis cetera, quae ad physicae, mineralogicae, oeconomicae aliarumque disciplinarum, usu et exercitatione discendarum, praesidia instrumentaque pertinent: quae omnia sic parata huic Academiae erant, ut ea illarum quoque opportunitatum caussa numquam non et ab indigenis, et, dum fata sinebant, ab exteris imprimis frequentaretur. In tot tantisque copiis unum iam illud reliquum erat, ut, quae privatim cum laude agerentur, iis accederet publica auctoritas, quae maiorem etiam famam atque diuturnitatem afferret. Quod nostrae demum aetati contigisse, ut spectaremus ipsi ac testari Principum munificentiam possemus, quis est inter nos adeo vecors, quin maximopere laetetur? Nam ante hoc ipsum quadriennium, quum emendatorum a Martino Luthero sacrorum solemnia saecularia tertia celebrarentur, tum alia praeclare instituta sunt, quae ad instaurationem emendationemque Academiae valerent, tum Principum iussu Seminaria condita, theologicum, homileticum, catecheticum, philologicum, quae ut fausta, felicia et fortunata sint reipublicae nostrae, litterarum caussa vehementer optamus. Eodemque tempore agitari consilia coeperunt de certaminibus litterariis, in eadem Academia instituendis, quae quum nunc ad maturitatem et fructum pervenerint, placuit Senatui academico, de ratione novi instituti sic ad vos referri, Commilitones, ut ipsae illius leges, Principum edictis sancitae, hoc primo programmate promulgentur. Quibus cognitis, facile intelligetis, quanto maior diligentia, integritas, religio adhibenda sit certaminum iudicibus, eo maiorem industriam, fidem atque contentionem a certantibus requiri, utrique ut Principum optimorum voluntati et consiliis respondeant.

Regulativ

die auf der Universität Jena alljährlich aufzustellenden Preisfragen betreffend.

§. 1.

Es werden alljährlich den in Jena Studirenden fünf Preisfragen zur Beantwortung aufgegeben: eine von der theologischen, eine von der juristischen, eine von der medicinischen und zwey von der philosophischen Facultät.

§. 2.

Diejenige Schrift, in welcher die aufgegebene Preisfrage, sofern nur eine Be-

antwortung eingegangen, überhaupt genügend, oder unter mehreren am genügendsten beantwortet wurde, ist die Preisschrift, und wird mit Vierzig Thalern Conv. honorirt; diejenige Schrift aber, welche der Preisschrift zunächst kommt, ist die Accessitschrift, und wird mit Zwanzig Thlr. Conv. honorirt.

§. 3.

Die aufzustellenden Preisfragen müssen im Allgemeinen der hier zu erlangenden wissenschaftlichen Bildung, so wie dem jedesmaligen Zustande der Wissenschaften selbst, angemessen und von solcher Art seyn, daſs dabey die Studirenden auch mit den ihnen hier zu Gebote stehenden Hülfsmitteln und mit der ohne Nachtheil für ihre eigentlichen Berufsarbeiten darauf zu verwendenden Zeit ausreichen können. Rücksichtlich des Inhalts der Preisfragen haben sich die Facultäten in dem ihnen nach den Statuten zugewiesenen Kreis der Wissenschaften zu halten.

§. 4.

Von den zwey Preisfragen der philosophischen Facultät ist jedesmal die eine philologischen, die andere aber abwechselnd entweder historischen oder philosophischen oder physischen oder mathematischen Inhalts.

§. 5.

Die vorzulegenden Preisfragen werden zuerst in einem deſshalb besonders zu haltenden Facultäts-Consefs besprochen und berathen, und nach geschehener Vereinigung der Facultäts-Mitglieder über dieselbe in der geeigneten Form an den akademischen Senat gebracht. Von diesem gelangen sie an den, welcher die Bekanntmachung derselben zu besorgen hat.

§. 6.

Diese Bekanntmachung gehört zu den Obliegenheiten des Professors der Beredsamkeit, und geschieht das erstemal mittelst eines Progamms, welches den Anfang der neuen Einrichtung ankündigt und die bestimmten Preisfragen namhaft macht; nachher aber mittelst eines Programms, welches zugleich von dem Erfolge der vorjährigen Preisfragen Nachricht ertheilt, und die Namen derer enthält, denen die Preise zuerkannt worden sind.

§. 7.

Was den Termin der Preisvertheilung und Preisfragen-Ausstellung, sowie den Termin zur Einreichung der Ausarbeitungen betrifft: so ist der erste auf den ersten Sonnabend im Monat September, und der letzte auf den letzten May festgesetzt.

§. 8.

Nur diejenigen haben ein Recht, sich um den Preis zu bewerben, und Hoffnung, denselben zu erhalten, welche sich während der Zeit, in welcher sie die Preisschrift ausarbeiteten, als Studirende in Jena aufhielten, und die es nöthigenfalls mit ihrem Ehrenworte bekräftigen können, dass keine fremde Hülfe ihnen bey der Ausarbeitung zu Theil geworden. Von den gesetzlichen Bestimmungen über die Vernachlässigung des Collegienbesuchs bewirkt übrigens auch das gegründete Vorgeben, dass man an einer Preisschrift arbeite, keine Ausnahme.

§. 9.

Die einzureichenden Aufsätze der Preisbewerber müssen, wenn nicht darüber etwas anders ausdrücklich bestimmt ist, in lateinischer Sprache abgefasst und von fremder Hand reinlich und leserlich geschrieben seyn, und vor Ablauf des zur Eingabe derselben festgesetzten Termins dem Decan der bezüglichen Facultät zugestellt werden. Statt des Titels wird das erste Blatt des Aufsatzes mit einem Motto beschrieben: der Vor- und Zunahme des Verfassers aber, nebst Angabe des Vaterlands, wird auf einem besondern Blatte bemerkt, und dieses Blatt in einem, mit dem Motto der Preisschrift bezeichneten und mit einem Petschaft, woraus der Verfasser nicht zu errathen, versiegelten Umschlage der Ausarbeitung beygelegt. Wer diese Vorschriften nicht pünktlich befolgt, macht sich der Ansprüche auf den Preis verlustig.

§. 10.

Die Entscheidung über die Preiswürdigkeit der eingegangenen Arbeiten steht ganz allein der Facultät zu, von welcher die Preisaufgabe ausgegangen ist. Um aber diese Entscheidung mit möglichster Unbefangenheit und Gewissheit zu erwirken, hat die Facultät folgendes Verfahren zu beobachten:

1) Der Decan hat sogleich nach dem Verlauf des zum Einbringen der Preisschriften gesetzten Termins die eingegangenen Arbeiten den Mitgliedern der Facultät mittelst einer Missive vorzulegen, und sie um ihr ausführliches Urtheil darüber zu ersuchen.

2) Jedes Facultäts-Mitglied schreibt sein Urtheil auf einen besondern Bogen, und legt es in einem versiegelten Umschlage mit dem Namen des Urtheilenden der weitergehenden Missive bey.

3) Nach beendigtem Umlaufe der Missive veranstaltet der Decan einen Facultäts-Consess, und bringt zu demselben sein, ebenfalls schriftlich abgefasstes, Urtheil mit.

4) In diesem Consess werden die Siegel von den eingegangenen Urtheilen genom-

men, und die Urtheile der Reihe nach der Facultät vorgetragen. Das Urtheil des Decans wird zuletzt vorgelesen.

5) Hierauf werden Lob und Tadel, wie sie in den schriftlichen Urtheilen vorliegen, durch mündliche Besprechung gegen einander abgewogen und ausgeglichen, und so das Facultäts-Urtheil gebildet.

6) Dieses Facultäts-Urtheil bringt der Decan mit den dafür angeführten und angenommenen Gründen zu Papier, und läſst es von den Mitgliedern der Facultät signiren. Das signirte Original kommt zu den Facultäts-Acten; dem Professor der Beredsamkeit aber wird eine Abschrift davon zugefertigt.

§. 11.

Die Urtheile der sämmtlichen Facultäten über die eingegangenen Preis-Aufsätze, so wie die von denselben neu aufgestellten Preis-Aufgaben, publicirt am ersten Sonnabend im Monat September in der Collegienkirche der Professor Eloquentiae in einer lateinischen Rede.

§. 12.

Auch eröffnet derselbe die den Preisschriften beygelegten Blätter mit den Namen der Verfasser und spricht dieselben aus; jedoch nur diejenigen, welche des ersten Preises für würdig erkannt worden sind. Der Name dessen, dem das Accessit zu Theil geworden, wird bey dem Act der Preisvertheilung selbst nicht mit genannt; es hängt vielmehr ganz allein von dem Willen des Verfassers der Accessitschrift ab, ob er öffentlich genannt und honorirt seyn, oder mit den übrigen Preisbewerbern gleiches Schicksal theilen will. Die Namens-Bezeichnungen der andern Preisbewerber werden unentsiegelt und mit den Schriften selbst im Facultäts-Archive niedergelegt, jedoch die zu den letzteren gehörigen Zeichnungen und sonstigen Original-Beylagen auf Verlangen zurückgegeben.

§. 13.

Die ausgesetzten Honorarien werden von den Berechtigten beym Decan gegen Quittung in Empfang genommen. Arrest-Anlegung an diese Honorarien findet unter keinem Verhältniſs statt.

§. 14.

Die Schriften derjenigen, welche den ersten Preis erhalten haben, werden auf Kosten der Universität gedruckt, und den Verfassern eine Anzahl von Exemplaren zugestellt; den Druck der Accessitschriften aber haben die Verfasser derselben aus ihren Mitteln zu besorgen.

Ex his certationum legibus quinae ſunt in proximum annum a quaternis Academiae noſtrae Ordinibus quaeſtiones propoſitae, quas reliquum eſt ut hoc libello ita, quomodo perlatae ad nos ſunt, ad publicam notitiam proferamus.

I. Ab Ordine Theologorum.

Exponatur doctrina biblica de praedeſtinatione hominis, ita quidem, ut historia huius doctrinae enarretur, quod ad Vet. Teſtam. tabulas attinet, ſecundum varias religionum ebraearum periodos, ipſisque libris apocryphis haud neglectis, in Nov. Teſt. tabulis autem ſententiae Chriſti eiusque Apoſtolorum ſingulatim recenſeantur, adhibita iuſta ſingulorum locorum huc ſpectantium interpretatione.

Univerſa dogmatis tractatio ita eſt inſtituenda, ut clare et accurate doceatur, quomodo una ſententia ex altera enata fuerit, quibusque praeſidiis ſenſim magis magisque definita aut amplificata; deinde quonam ambitu doctrina de praedeſtinatione hominis in quaque gentis ebraeae periodo et apud quemque auctorem ſacrum deſcripta reperiatur, quibusque denique S. S. locis notio praedeſtinationis latius vel anguſtius pateat.

II. Ab Ordine Iure consultorum.

Exponatur de uſucapione pro herede ita, ut origo et fata illius, quae apud Romanos fuerint, quidque discriminis varia inter eiusdem genera intercedat, ex ipſis iuris Romani fontibus, imprimis ex Gaii *Commentariis Inſtitutionum, et ſingulis capitibus ad hanc rem pertinentibus, maxime iis, quae in Digeſtis et Codice, ſub titulis de uſucapione pro herede, leguntur, explicatis, doceatur, uſusque univerſae illius materiei hodiernus definiatur.*

III. A Medicorum Ordine.

Exponautur medullaris oſſium, ut vocant, *ſyſtematis rationes anatomicae, chemicae, phyſiologicae et pathologicae,*

ita quidem, ut ſingulatim et prae primis explicetur: quae ſit conformatio huius ſyſtematis — quippe e fabrica medullam ſecernente et e medulla ipſa conſtantis — in univerſum; quae fabricae ſecretoriae qua talis; quibus differat ea, quae in canali corporum oſſium cylindraceorum diſpoſita eſt, ab ea in extremitatibus eorum et in reliquarum claſſium oſſibus; an huic tela medullaris plane deneganda ſit; an illa, perinde ac de hac conſtat, nervis

omnino destituatur; quid de vasis absorbentibus huius systematis statuendum; quae de conformatione medullaris substantiae per se spectatae, praecipue oculo armato edoceamur; quae sint rationes chemicae substantiae medullaris, eius haud minus, quam canalis medullaris ossium cylindriformium continet, quam quae in eorum epiphysium et in reliquorum ossium substantia spongiosa hospitatur; quae respectu physiologico de hoc systemate praedicanda sint; quae de eius evolutione comperta habeamus; quae de mutationibus, quas in vitae progressu subit, aeque ac in diversis corporis morbis; quae de relationibus eius ad reliquum organismum et quae ad ossa, in quibus exsistit, speciatim; an, praeter alios usus, etiam ad vitam ossium spectet; an inter nutritionem ossium et secretionem medullae intercedat polaris ratio; quae sint rationes physiologicae et anatomicae systematis medullaris in reliquis animalium vertebratorum classibus, quique progressus ex anatomia et physiologia comparata in physiologia systematis medullaris sperandi; denique an et quibus morbis hoc systema obnoxium sit, an spina ventosa, an necrosis ossium ex eius affectione proficiscantur.

IV. Ab Ordine Philosophorum.

1) *Quaestio mathematica:*

Non tantum antiquioribus, sed et nostris temporibus factum est, ut positiones quaedam fundamentales geometriae aut sine demonstratione, quasi per se evidentes, admissae, aut tales quae demonstratione supersedere non possint, consideratae sint. Nec minus a severioribus arbitris demonstrationes Theorematum huius generis non pro sufficientibus habebantur e. g. pro inclyto illo axiomate XI Euclidis. Simili modo etiam problemata exsistunt e. g. de Trisectione anguli, quae ex Elementis Geometriae tanquam insolubilia considerata sunt. Itaque operae pretium est quaerere, qui sint characteres essentiales, ex quibus possit diiudicari, num positiones illae demonstratione egeant, an ea supersedere possint. Porro, quid requiratur ad sufficientiam istius demonstrationis, si omni exceptione maior considerari, et omnibus numeris absoluta evadere velit. His praemissis desideramus non solum responsionem supra propositarum quaestionum, rigore geometrico redditam, sed simul in optatis habemus, ut vitium, quo accuratae solutiones problematum supra memoratorum speciatim laborant, acu quasi tactum, detegatur.

2) *Quaestio philologica:*

Parmenidis, dialogi Platonici, argumentum sic explicetur, ut et consilium philosophi appareat, et artificium dialecticum aperiatur, et quae ratio ac velut necessitudo huic scripto intercedat cum aliis Platonis dialogis, Theaeteto imprimis, Sophista et Politico, et quantum hi valeant ad illum illustrandum, facilius iudicari possit.

Quo magis enim haec tempora nostra favent mysticae rationi, non tantum in disceptatione rerum metaphysicarum, sed in ipsis quoque religionis decretis: eo magis consentaneum est revocare animos, qui quidem expurgari se patiantur, ad veterum scripta, etiam ea, quae Platonicis recentioribus ceterisque medii aevi Mysticis summo in honore habita, proxime accedere ad illam rationem existimantur. Qua re, quid distent aera lupinis, facillime intelligitur. Atque his quidem scriptis Parmenidem Platonis imprimis accenseri, satis constat: in quo, quum veteres doctrinam de Ideis subtiliter expositam invenissent, inde a Procli aetate exstiterunt, qui omnis theologiae mysteria velut in semine inclusa agnoscerent. Obscurum illud quidem, sed θεῖον, uti Aristides appellavit, σύγγραμμα est, in quo explánando linguarum veterum non magis, quam philosophiae eiusque historiae scientiam demonstrare licet. Quo exoptatior nostris Civibus erit certaminis materies, qua tractanda, quid profecerint, tum in litteris, tum in philosophia, expromant. Ac ne quis forte obscuritate rei deterreatur, quamquam haec acuit magis quam hebetat studium intelligendi, praeclara dialogi facilius explicandi adiumenta attulerunt viri egregii, Tiedemannus, Schleiermacherus, Astius, ac nuperrime Theod. Car. Schmidtius. Quorum scripta post iteratam dialogi lectionem sic conferant in ususque convertant palmae nobilis cupidi, ut duumvirorum, quos postremos laudavimus, non solum doctrina, verum etiam exemplo, si quidem populares illi, uterque Gothanus, ex eadem nuper Ienensi disciplina prodierunt, ad eiusdem virtutis laudisque aemulationem inflammentur.

Ampla industriae vestrae aperta sunt curricula, Cives, quibus decurrendis expromere ingenii vires, palam declarare progressus in litteris factos, et publicam ex doctrina laudem consequi liceat. Indictum est certamen in diem septimum Septembris anni proximi: quo die, solemni Patrum ac Procerum in templo Paullino con-

ventu, exponetur de certaminis fortuna, pronunciabitur de ſcriptionum ratione, victricibusque conſtituta per munificentiam Principum praemia decernentur. Quae admitti ad certamen ſcriptiones volent, ante Calendas Iunias redduntor Decano eius Ordinis, ex cuius diſciplina quaeſtionis argumentum petitum eſt. Ac ſperamus fore, ut committantur quam plurimae. Turpe eſt enim, dum genua virent, defugere glorioſum laborem, aut ſuſcepto eam perſeverantiam non adhibere, quam vel luſus ac voluptas elicere ſolet. Quid? tempus, quo tanta inclareſcendi oblata vobis eſt opportunitas, quale eſt? Nempe illud eſt, quo benevolorum pariter atque malevolorum oculi in Academiam Ienenſem converſi ſunt. Laetabuntur illi, hi erubeſcent, ſi contentionem veſtram in praeclaris ſtudiis, ſi aemulationem, ſi victoriam viderint: utrique intelligent, cavere adhuc propitios Academiae deos, ne quid respublica detrimenti capiat: vos autem recte et conſtanter agendo non modo invidiam levari, ſed decus augeri ſentiëtis. Proinde quotquot ſunt inter vos, optimi et humaniſſimi Commilitones, quibus

cor ſalit, et patrum redit in praecordia virtus,

hoc agant ſedulo, et quantum effici prompto ſtudio et enixa voluntate poteſt, ut primum rei utiliſſimae in hac Academia experimentum boni omnis cauſſa bene proſpereque eveniat. P. P. in Vniverſitate litterarum Ienenſi, ipſis Calendis Septembribus, anno MDCCCXXI.

VII.

DE VERO SCHOLASTICORVM REALIVM ET NOMINALIVM DISCRIMINE ET SENTENTIA THEOLOGICA.

Sacris Pentecostes
indicendis
scripsit
LUDOV. FRID. OTTO BAUMGARTEN-CRUSIUS,
THEOLOG. D. ET PROF. PUBL. ORD.

Scholasticorum familiam in duas partes mature divisam esse, novimus, quae varia fortuna, sed magno utrinque conamine, inter se pugnarent, donec externa vis unam fere exstingueret, et novae res in ecclesia agerentur: *Realium* nempe sententias et *Nominalium*. Nec sine eventu istud opinionum discrimen fuit: nexae certe inde plerarumque academiarum fuere, sive origines sive fortuna. Denique ad rem theologicam non uno modo controversia attinuit.

Quae cum obscuritate adhuc aliqua premi videatur, et in ambiguis fere formulis et confusa, nec fideliter reddita, materia subsistant, qui vel philosophiae vel theologiae scholasticae historiam composuerint; depromere nobis placuit eorum particulam, quae de litium istarum natura et principio apud nos disposuerimus, ita, ut nostras tantum has istorum studiorum primitias haberi velimus, nec nobis nisi universam de causa sententiam tribuamus. 1) Neque alie-

1) Paucis de ista causa olim egimus, *Einl. in das Stud. d. Dogm.* S. 164. — Qui peculiaribus scriptis hanc causam illustraverint, hi potissimum enumerandi sunt. *Jac. Tho-*

num arbitrabamur argumentum a loco et tempore, quo profitendum esset. Aguntur enim festi dies, quibus, quid sacer spiritus in re christiana valeat, cum maxime meditandum erit: nempe, qui adversantes scholas subigere queat atque componere invicem, nunquam difficilis et adversus verae scientiae: et hac praecipue nostra aetate demonstrandum quovis modo videtur adolescentibus, altius repetendum esse theologiae studium; quae in minutos se fere libellos et populares sermones contraxerit, quibus utrinque declament, de principio disputandi securi et ingenui studii expertes, magno sine dubio et scientiae et causae christianae detrimento. Sed haec hactenus, querelarum enim nullus hic locus est et exiguus certe fructus.

Parum autem clara rei definitio est, quam universam fere constituant, e *Realium* sententia vere et in se exstare universalia, *Nominalibus* ea pro meris nominibus habita. Nam dubia est ipsa universalium notio, apud Scholasticos praecipue; et, quale illud dixerint, universalia utrum exstarent nec ne, difficilius sentitur.

Ac scholae quidem usu universalia dicebantur πέντε illae φωναί, praedicabilia vulgo appellata, quae post Porphyrium Aristotelicis praemitti solerent categoriis (ipso, quemadmodum opinarentur, magistro auctore, Top. 1, 7.) γένος nempe, εἶδος, διαφορά, ἴδιον, συμβεβηκός. Quae si hic intelligendae essent, totum pro parte dictum fuisset; neque enim vel potuit istic sermo esse vel exstitit, nisi de duabus φωναῖς solis, *genere et specie*. Sic *Vincentius Bellovacensis* opinatur (Spec. doctrin. IV, 7); sed utique ineptius. Imo vero, licet ad vulgarem illum scholae usum interdum respicerent in definienda universalium notione (ut *Guil.* etiam *Occam*, *reliqua* praeter genus et speciem universalia hac in causa commemorat, in Sentt. 1. dist. 35, qu. 5.); magis tamen tenuisse eos censebimus notionem eam, qua Graeco τὰ καθόλου vocabulum responderet, et genus ac speciem significaret. Unde cum *communi et univoco* saepius permutatur apud Scholasticos, et *particulari* opponitur. Disputatio certe de universalibus ad haec sola pertinuit.

---

masius, Or. de secta Nominalium. Oratt. L. 686. p. 241. ff. *Cramerus*, Bossuetiani Operis, ab ipso instaurati, Vol. 5. P. 2. 392. ff. *Meiners*, de Nominalium ac Realium initiis atque progressu, Comm. Soc. Gott., T. XII, cl. hist. et ph., p. 24. ff. *Eberstein*, *üb. d. Beschaff. d. Logik u. Metaph. d. reinen Perip.* (*Hal.* 800.) *Anhang* 91. ff. — Sed plurimis hic iisque gravissimis auctoribus, ut *Salaberto*, aegre destituebamur.

De illa autem iuvabit primum *universam* nostram *sententiam* exponere. Monent scilicet ipsi harum scholarum philosophi aliqui, has disciplinae *Platonicae* atque *Aristotelicae* lites principio fuisse. Et Porphyrius sane, quem, nec unum tamen, (vulgaris enim sermo fuit dialecticorum) quaestionis opportunitatem fecisse scimus, ad hoc scholarum clarissimarum discrimen respexit in isagoges exordio: περὶ γενῶν τε καὶ εἰδῶν, τὸ μὲν, εἴτε ὑφέστηκεν, εἴτε καὶ ἐν μόναις ψιλαῖς ἐπινοίαις κεῖται, εἴτε καὶ ὑφεστηκότα σώματα ἐστιν ἢ ἀσώματα καὶ πότερον χωριστὰ ἢ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς καὶ περὶ ταῦτα (h. e. partes rerum aut virtutes) ὑφεστῶτα, παραιτήσομαι λέγειν· βαθυτάτης οὔσης τῆς τοιαύτης πραγματείας, καὶ ἄλλης μείζονος δεομένης ἐξετάσεως. De cuius loci sententia Vincentius praecipue Bellovacensis minime absurdam egit quaestionem. 2) Sed placuit Porphyrio nihil de dubia causa definire, quoniam ipsius interesset, Platonismi et peripateticae scholae discrimen obvelare magis quam attingere et disputare. Et, quamvis Aristotelis formula summa seculo iam IX. regnare in scholis occidentalibus coepisset 3) quae dudum e vulgaribus libris dialecticis innotuisset; mansit tamen controversiae forma, habita plurimis pro dialectices Aristotelicae discrimine, quemadmodum Aventinus veteres et novos Peripateticos istic tradit certavisse: non mirando fato, in tanta, quae tum quidem teneret, historiae obscuritate, et dum nec planius in rei sensum invicem penetrarent, nec in eadem causa, dum disputarent, omnes subsisterent.

Sed nec *idearum* Platonis veram naturam perspexerant, qui illam de discrimine Platonismi et Aristotelicae doctrinae quaestionem moverent; licet pervertendi exemplum ipse Aristoteles praeivisset, in his nonnisi cavillatus Platonicam doctrinam. Hoc agebatur inter Platonem et Aristotelem; nam praemittere ista decet, quae ad rem faciant, et etiamnum controversa habeantur: utrum aeterna Dei *ipsius* efficientia (Plato autem cogitationi hanc comparaverat, ut Pythagorei modulantem Deum descripserant, et harmoniam, ipsam eius vim, quam mundus referret)

2) L. c. Sed in verbis: an in solis nudis ac puris intellectibus posita; argutatur. „In hac clausula, ait, quidam inculcationem verborum (h. e. *emphasin*) esse dicunt.“ Scilicet, ψιλὰς dici posse, vel mere subiectivas, *vel*, quae essent sine phantasmate *vel* sine forma. Nimirum Graecum loquendi usum ignorabat.

3) Alia est de *libris* Aristotelis quaestio, quando et quo ordine in latinis scholis innotuerint; quae multum profecit egregio libro, Parisiis edito a. 1819.: *Recherches critiques sur l'âge et l'origine des traductions latines d'Aristote* etc. *par M. Jourdain*.

ea, quam mens humana ita participaret, ut veluti conſcientia eſſet, quam ſui agentis Deus haberet, Dei igitur illa vis ageret cuncta et fingeret in rerum univerſitate; an vero impulſa tantum divinitus univerſitas ſemet ipſam ſuamque inſitam vim explicaret. Quae Ariſtotelis fuit ſententia, quam primario ἐντελεχείας vocabulo reddere ſoleret, admodum male intellecto, primum a Cicerone, deinde fere in eccleſia ſcholisque philoſophicis dum continuam aut ſpontaneam actionem interpretarentur. Explicitum rerum ſtatum ſignificat, et ex innato quidem principio (τὸ ἐντελὲς ἔχειν); ſed ideis Ariſtoteles opponebat εἴδη, quo nomine ipſa haec inſita principia deſcribebat, quae explicare ſe in rebus deberent, id nempe quod rerum naturam vere conſtitueret. 4)

Sunt igitur ideae Platonis, quatenus a Deo eae diſcernantur, natura rerum ipſa, condens cuncta et ex ſe invicem nectens; quam Plato non modo brutam non cenſuit aut fatuam, ſed ipſam adeo Dei efficientiam. Ut deinde, quod *ſingulae* res exiſterent et exſtarent, id cosmico principio, eique privativo, ab ipſo tribueretur; quam ſingularum rerum, ſic ſpectatarum, exiſtentiam, fluxam dixit et praeteritaram, γένεσιν, non οὐσίαν. Et ſi de eo quaeratur, an in ſe ſint et ſubſiſtant ideae e mente Platonis (ſubſtantiae habendae ſint) quae communis olim fuit in eccleſia et inter philoſophos opinio; poteſt hoc vel ad divinam intelligentiam, vel ad res mundi referri, nec tamen concedi unquam ex ipſius mente, niſi, vere (realiter) eas eſſe et in his et illic, non, eſſe ſubſtantias. 5) Ambiguae certe fuerunt Ariſtotelis formulae, quando Platonem impugnaret: haberi nempe huic ideas οὐσίαν αὐτὴν καθ' αὑτὴν et χωριστὰ τῆς ὕλης (Metaph. VIII. 14.) e quibus quomodo haberi voluerit Philoſophi ſententiam, aegre concipias.

Quam vero formulam Scholaſtici primi Nominales arripuere, non eſſe πράγματα τὰ καθόλου, ſed nomina aut ſermones (ὀνόματα, λόγους); ea Ariſtotelis

4) Cf. v. c. Magna Mor. I, 1. Haec εἴδη dicit ἓν κατὰ πολλά, ſed Platonica, ἓν παρὰ τὰ πολλά, Anal. Poſt. I, 11. loco, a Scholaſticis etiam multum adhibito. Apte autem elegerat nomen εἰδῶν, in quo nullus ineſſet ad mentem aliquam, quae conciperet, reſpectus, (ſed ἰδέαι ſunt φαινόμενα ſive νοούμενα εἴδη) et cuius ſignificatus eſſet definitior, neque enim niſi ad *res* relata concipi poterant.

5) Confutari iuſſit etiam Plotinus Porphyrium, qui νοήματα extra rerum univerſitatem poſuiſſet. Porphyr. Vit. Plotini, c. 18. Et vaniſſimus cetera ſcriptor, Tzetzes, Chil. VII, 605. ſſ. recte: τὸν Πλάτωνα — λέγουσι δοξάζειν τὰς ἰδέας ὑφεστηκότα πράγματα etc. ἐγὼ δὲ μᾶλλον εὗρον — λέγοντα ταύτας νόημα δημιουργοῦ etc.

fuit, licet his ipsis verbis non reddita. 6) Sed cf. Metaph. I, 7. Anal. post. I, 19. At illi quoque pro ideis Platonis concipiebant, res in se exstantes, in quibus, quod universum omnibusque eiusdem generis commune deprehenderetur, vere exstaret. Fuit igitur haec prima in hac causa Nominalium et Realium quaestio: utrum Platonicae ideae tenendae essent an Aristotelis formae.

Secunda posthac inde emersit, in quam dialectica scholarum studia necessario deferrent. 7) Nempe notiones rerum universae utrum ipsa re niterentur, recteque adeo conciperentur, sive abstractionis sive inductionis ope; an merum essent figmentum, cui assuefactus esset homo, vitae aut scholae usu? Lis ista dudum fuerat *Aristotelicis*, non cum Stoicis 8), ut inter Scholasticos iam credebatur, sed cum Cynicis et singulis quibusdam dialecticarum scholarum alumnis. De Cynicis illud Diog. Laert. VI. 103. repetendum est, λογικὸν τόπον integrum eos sustulisse. Antisthenem ipsum, Aristoteles refert Metaph. V, 29, posuisse: μηδὲν λέγεσθαι, πλὴν τῷ οἰκείῳ λόγῳ, ἓν ἐφ' ἑνός. 9) Deinde eminet inter reliquos Stilpo, Megaricus philosophus, quem Diog. Laert. II, 119. eius postulat, quod τὰ εἴδη ἀνῄρει, καὶ ἔλεγε, τὸν λέγοντα ἄνθρωπον εἶναι, μηδένα, οὔτε γὰρ τόνδε λέγειν ἢ τόνδε. Τί γὰρ μᾶλλον τόνδε ἢ τόνδε rell.

Et *tertia* denique quaestio hac in causa obtinuit, de scholarum scilicet notionibus in universum. Utrum rebus eae responderent, an vero solo mentis conceptu continerentur, quando e consuetudine aut e scholae formulis suspensus esset? Ut vanitas sic scholarum reprehenderetur, inanes voces aemulantium; cum essent ad-

---

6) Idem tamen, universas notiones recte duci e rebus singulis, et ad has scientiam pertinere, censuit. De interpr. 7.: λέγω καθόλου, ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι. Alibi. Sed δεύτεραι οὐσίαι hae ipsi appellabantur, quo nomine Scholastici etiam uterentur. Categg. c. 5.: δευτ. ουσίαι λέγονται, ἐν οἷς εἴδεσιν αἱ πρώτως οὐσίαι λεγόμεναι (ipsae res) ὑπάρχουσι· ταῦτα δὲ τὰ εἴδη καὶ τούτων γένη etc. Et sic Metaph. XI, 12. Duval. sibi non *omnino* ideas displicere, profitetur, sed: τὸ χωρίζειν τὰς ἰδέας, ait, αἴτιόν ἐστι τῶν συμβαινόντων δυσχερῶν περὶ τὰς ἰδέας.

7) *Leibnitius*, praef. ad Nizolium (Opp. IV. 59.) unam hanc observavit. „Nominales, ait, fuere, qui abstractorum realitatem prorsus tollerent etc."

8) Stoicis enim ἔννοιαι, quibus opponebant et προλήψεις et νοήματα, notiones dicebantur universae, *recte* conceptae. Sed Vincentius iam Bellov. l. c.: *Stoici* dicebant species nihil aliud quam individua. Ut alios mittamus.

9) Cf. Aristot. de an. 2, 3.: Γελοῖον ζητεῖν τὸν κοινὸν λόγον, ὃς οὐδενὸς τῶν ὄντων ἴδιος λόγος, οὐδὲ κατὰ τὸ οἰκεῖον καὶ ἄτομον εἶδος. —

ducendi homines ad ingenuum cognoscendi et fontem et modum, qui in spectanda ipsarum rerum indole versaretur et sermonis ac mentis natura scrutanda, ut, quale et quo iure quidque cogitaretur, pateret.[10] Lis igitur haec postrema, scholae fuit et communis sensus.

Exstiterunt autem tres illae opiniones [11]) promiscue, non certis periodis singulae comprehensae; sic tamen, ut sensim se controversia expediret propiusque ad communem intelligentiam accederet: *postremo* autem in alienam fere, nempe externam scholarum et partium causam deducta fuit. Donec vero dialectica solum lis esset, plurimum haerebat in formulis, omninoque, singuli si vel maxime, quid ipsi sibi vellent, cognovissent, neuter neutrum intelligebat, atque diversus adeo erat nominum usus, Nominalium atque Realium, ut litium ferret opportunitas.

Ex hac autem quaestione nexa fuit altera de *principio individuationis*, quanquam ea suum ipsa modum habebat, in qua Leibnitius iuvenis primam operam collocavit.[12]) Deinde respondet utrique quaestioni, quaestio de *esse essentiae et existentiae*, multum agitata a Scholasticis. Illic duo fere confundebantur, quid in naturae efficientia faceret individua, et, quale nobis compareret, quod singulis eiusdem generis rebus peculiare diceremus. Et, quoniam nobis apertior facile ipsa res videri queat, et de qua aegre certari possit, observandum est, etiam hic e solo formularum discrimine litem fere prodiisse, dum quaereretur, utrum materia (cum Thoma) an forma (ut Scotus censebat), deinde substantia an accidens, denique positivum an negativum, habendum esset illud principium. Et huc rationes etiam seminales (σπερματικοὶ λόγοι) e Stoicis ab Augustino dudum sumtae (aliter iis Platonici ecclesiae patres post Philonem Alexandrinum usi fuerant, qui προφορικῷ λόγῳ opposuissent) non inepte a Scholasticis revocabantur. Ad res autem theologicas (locos praecipue de anima et angelis) ista quaestio multum referebatur.

Sed, quemadmodum illa de universalibus controversia *in singulis principum*

10) Universalia dum de quibusvis notionibus dicerentur, factum est, ut logica disciplina, quae secundum receptum Aristotelicorum librorum ordinem, de universalibus primum, deinde de categoriis, tum analytica disputaret, in tres partes redigeretur, de notionibus, enunciatis et conclusionibus; quibus adhuc aegre concluditur.

11) Poterimus his formulis complecti: *Streit über die Substantialität der Idee'n — über die Realität der Gattungsbegriffe — über die Realität der Schulbegriffe.*

12) Cf. *Jac. Thomasii* praefatt. 247. sq.

hac in causa virorum sententiis habuerit; paucis disquirendum, sic, ut his etiam, quo iure ista hucusque constituerimus, intelligatur. Censemus autem nos quidem de integra lite, qualiscunque eam notionum confusio obscuraverit, nec stultum id esse in se, ut plurimum opinantur, quod non sit vulgaris quaestionis et intelligentiae, nec minimi certe esse faciendum in Scholasticis, quod attinere ad se senserint et agitaverint, quae vel ipsis ad solas intellectus notiones spectare visa fuerint, nec ullius externi usus atque praesentis.

Ac primum quidem quod constituimus causae genus, in *Roscelino* eiusque adversariis prodiit. Fuisse tum videtur certamen recens et acre philosophiae mere Aristotelicae atque Platonicae: eo certe et quae de Roscelino narrantur, et adversariorum effata de sua ipsorum sententia nos deducunt. Unde merito haec lis praecipua in re dialectica habebatur Abaelardi aetate. An primus ille fuerit e Nominalium mente philosophatus? nobilis, nec facile definienda, est quaestio. De qua tamen sic censemus, causam de universalibus iam dudum fuisse controversam, nimirum quam vulgares de dialectica libelli, certe inde a seculo IX. ubique commoverint, et sunt eius rei clara vestigia.[13]) Deinde, num e certa aliqua *schola* prodierit Roscelinus, adhuc ignorari; sed, iis, quae a Bulaeo potissimum hic e monumentis antiquis allata sint, credi posse, et sane paratam iam illius aetate videri litem et dispositam. Roscelini denique hoc fuisse consilium, ut Aristotelicam dialecticam plane introduceret, contra eos, qui Augustinismo eam Platonismo miscerent. Unde, si quis cum eodem Bulaeo ad Berengarium, aut alium quem illius aetatis philosophum Aristotelicum, Nominalismi initia referre malit, non multum reluctabimur: idem enim Berengarii fuit studium, et dialectices Aristotelicae princeps ille habendus est instaurator.[14])

Sed, dum Platonis ideas Roscelinus reiiceret, *voces* tantum esse dixit univer-

---

13) Io. Sarisb. Policr. 7, 12. veterem dicit quaestionem, in qua laborans mundus iam senuerit. — Partem quaestionis *Joannes Erigena* etiam attigit, div. nat. V. 14. „Magnam dicit quaestionem; an rerum substantiae e causis primordialibus procedant, an, ultra omnem generationem ac solutionem, semper in suis causis permaneant?“ Et respondet, mundum e qualitatibus substantiarum factum. Mittimus, qui aliis iam, ut e seculo X., notati fuerint. (Cf. *Chladenii* diss. de vita et haeresi Roscelini, in G. E. Waldau thes. bio- et bibliogr., p. 40.)

14) Bulaei Hist. Un. Par. I, 443. 511. 512. Licet ipse Bulaeus quaestionem plurimum confundat; ut *Nominales* adeo *Platoni* magis quam Aristoteli adhaesisse, scripserit.

falia [15]: in quo nihil mirandum, praecipue, si adversariae tantum scholae *ideas* ipsum significavisse, teneamus. Sed potuit etiam abstractas notiones, licet reales, quas suo tamen cogitandi studio homo deberet, hoc nomine describere; nescimus enim propriam Roscelino de universalibus sententiam, et iniurii certe fuerunt adversus hominem, erecti, quantum indicare possimus, ingenii, qui inde deducerent opinionum ipsius originem, quod nesciverit a singulis rebus sensibus obviis mentem abducere ad notiones universas, (ratio eius fuerit obvoluta in imaginationibus corporalibus, sicut Anselmus loquitur). Deinde vehementer dubitandum videtur, an ille non confuderit cum quaestione de universalibus, argumentum de nexu substantiae cum partibus atque accidentibus [16], ut horum quoque omnium discrimen negaverit, quemadmodum idem Anselmus criminatur; nisi forte adiunxerit hoc suae opinioni, multa omnino in scholis describi praeter claram rerum naturam, aut locum de universalibus etiam integrum (nempe ut πάντα φωνάς dixerit universalia) posthac disputandum sumserit. Ceterum scientiam s. philosophiam vocum, quam se instituere, professus est, opposuisse videtur rerum divinarum humanarumque scientiae.

At qui Roscelino adversarentur, Platonicam illam de ideis, non dicam, sententiam, sed formulam, quam diximus, suam fecerant, ut *Anselmus*. [17]) Esse igitur ideas menti divinae obiectas, deinde vi divina ipsis immitti rebus; quae rerum esset, et origo et natura. Et *Abaelardus*, quem omnis historia (si vel maxime S. Bernardi hic auctoritatem reiicias) clamat Platonem, licet obiter tantum cognitum, aemulatum, ipse nobis ad hos referendus censetur. Nam, quod Realem philosophum, Guilielmum *de Campellis* impugnaverit (*Abael.* hist. calam.), nullius est negotii, neque est etiam, quod mere dialectice egisse hoc credamus Abaelardum. Ea

15) *Flatum vocis* Anselm. dicit, de incarn. 2. Et miserabile carmen, a cunctis repetitum, apud *Aventinum*, Annal. Boior. VI. 3.: Non argumentis multoque sophismate sentis, Res existentes in vocibus esse manentes. (Ib. v. 5. legendum: *rugas ducendo* — imo vero, *ducitque* — *seniles*, pro: nugas docenti, Jac. Thomasius iam sensit).

16) Utramque distinxerat iam *Gerbertus*, *de rationali et ratione uti* (Pez. Thes. I. II. 156.): „Aliud est, ait, generalia de specialibus praedicare, itemque specialia de individuis, longeque aliud, naturam accidentium ad substantiae referre proprietatem.“

17) Cf. praecipue Monolog. 8. ss. Sequebatur et hic Augustinum, cuius aliquot de ideis locos coniunctos exhibet praecipue Petav. dogm. th. I, IV, 12.

ipſa enim Platonicae ſcholae diverſitas fuit, quam lis attingeret Guilielmi et Abaelardi; praeterea poterat hic ad rude quaerendi et disputandi genus offendere, quod Guilielmus ſecutus videtur.

Nimirum Guilielmus primum defendiſſe legitur, *eandem eſſentialiter rem totam ſimul ſingulis ineſſe individuis*, deinde (nec patet, quod Meinerſius ſuſpicatur, ab Abaelardo ita correctam fuiſſe Guilielmi ſententiam) *rem eandem, non eſſentialiter, ſed individualiter*. Igitur ideae ſubſtantiam prius dixerat diſcerpi in individua, deinde adeſſe in his, ullo quo modo. [18]) Quae diverſitas Nominalibus poſthac frequenter commemorabatur, dum Realium arguerent et discordiam et vanitatem; ſed ipſe Plato iam, quando dialectice de ideis diſſereret, ſic, ut videatur ad certa aliqua rei ludibria reſpexiſſe, quae tum iam exſtitiſſent, aut exiſtere poſſent; eandem moverat. Conferendi ſunt, quos, in hac disputatione graviſſimos, neglectos mireris in Scholaſticorum hiſtoria, loci, Phileb. c. 5., et Parmen. p. 131. ſ. Steph. Illic, poſtquam duas quaeſtiones alias [19]) moverat, ideae num eſſent, et num eaedem, ſingula dum praeterirent, tertiam addit: ἐν τοῖς γιγνομένοις καὶ ἀπείροις εἴτε διεσπασμένην καὶ πολλὰ γεγονυῖαν, θετέον, εἴθ' ὅλην αὐτὴν αὑτῆς χωρὶς etc. Graviſſimus ad omnem hunc de ideis diſſenſum eſt locus in Parmenide, e quo ſingula non decerpemus, et poterit, ſi qui Platonici ingenii expertes ſint, probe adhiberi *Schmidii*, civis olim noſtri, de Parmenide Platonico liber, nuper editus, p. 69 ſſ. Adiungimus *Sext. Empir.* Pyrrh. hyp. II, 20.: εἰ ἓν εἶναι λέγοιτο τὸ γένος, ἤτοι ὅλου αὐτοῦ ἕκαστον εἶδος αὐτοῦ μετέχει, ἢ μετέχει, ἢ μέρους.

Talia igitur licet inter Platonicos agitarentur; integra tamen ipſorum ſententia manſit, et idem fuit omnium animus, expeditus adverſus Ariſtotelicos, quorum vero cauſa ſeculi XIII initio iam vicerat. *Secundae* litis, quam oſtendimus, ea ratio poſthac fuit, ut, quo loco habendae eſſent abſtractae notiones, disputaretur.

---

18) Legitur etiam, notante Amboeſio *indifferenter* pro, individualiter. Et praeplacet illud. Senſus certe expeditior: non numero eadem, ſed natura tamen. Μία, οὐκ οὐσίᾳ, ἀλλὰ τῷ μὴ διαφέρειν.

19) Tres enim ſunt quaeſtiones, non duae, quas tamen ſolas egregius agnoſcit Schleiermacherus. Recentiſſimum dialogi interpretem, *Stallbaumium*, ſubtilem et doctum virum, laetati ſumus, aſſenſiſſe iis, quae de loco olim ſcripſimus, Diſſ. de Philebo Plat. p. 31. ſ. Poeticam deſcriptionem, iſtae tales ideae ut ſe rebus inſerant, v. in Oraculis Chaldaicis, v. 105. ſſ. Stanl.: ἐμερίσθησαν. (ideae), εἰς ἄλλας νοερὰς, νοερῷ πυρὶ μοιρηθεῖσαι etc.

Num fuerint inter Scholasticos, quos vere hoc sensu Nominales adversarii dixerint, et quinam isti; parum liquet. Sed ipsi sibi hic Reales graves fuere et eiusdem familiae alumni se insectabantur, Aristotelici nimirum, cum utramque eorum, qui certarent, sententiam magister una concepisset; neque de re certabatur (poterat autem de abstracti natura aliisque disputari) sed de nominum usu. *Thomas* scilicet, Albertum secutus (ut multos hic taceam) universalia pro notionibus ipsis abstractis habuit, Joannes *Duns Scotus* formas nativas dixit (inde Formalizantes appellati sunt ipsius amici), rerum igitur ipsam naturam. Has autem nec Thomas neglexerat, et utrumque, ut dixi, Aristoteles eodem *εἰδῶν* nomine insigniverat. Proinde ad rerum principium Scotus, ad notionum principium, Thomas magis respexerat, simulabant tamen Scotistae, videri sibi realitate exuta a Thomistis universalia. Contra iusto minus abstractis notionibus illi tribuebant; entia deminuta Scotus dicebat.

Sed Scotum ita sensisse de universalibus, Meinersius iam clare significavit; minus clara et firma ab aliis redditur sententia. Perspicitur autem e formulis, quibus Doctor subtilis in nobili loco, in Mag. sentt. II. dist. 3. per aliquot quaestiones usus est. Unitatem (quae Scoto subsistentiam significat, ab entitate h. e. natura qualis mente concipitur, distincta) realem et propriam s. numeralem distinguit; ab his denique formalem. Haec postrema notionem significat universam, abstractam; illarum posterior individui subsistentiam, prior rei naturam significat. Individuum ita fit, si Scotum audias, ut res per haecceitatem se contrahat ad singularitatem, ipsa tamen res hac contrahente ratione prior naturaliter fuerit (utor enim ipsius verbis). At specifica natura s. prima rei ratio, facit ut obiectum sit et reale, prius igitur illud in re habendum est. Communis denique haec natura omnibus est eiusdem generis; metrum, ait, et mensura omnibus illius generis.

Non potest clarius describi *εἶδος*, rebus inditum et res formans, Aristotelicum, quam factum sit a Scoto. [20]) Et Thomam sentire, quemadmodum notavimus, etiam plerisque concessum est. Sequebatur hic *Boethianum* illud: universale, dum intelligitur, singulare, dum sentitur. Varie autem describebat abstractas notiones, etiam sic, ut phantasmata diceret, sine dubio dum ad usum vocis *φαντασια* cogna-

20) Intellectum deinde activum, cum Arabibus, praecipue Averroe, divinam habuit efficientiam, formas istas commoventem. Thomas Aquinas *homini* illum indiderat, et passivo et possibili oppositum, ut activam vim mentis significaret; nempe, ut notionis illius abusum arceret.

tarumque, apud Aristotelem praecipue, attenderet, diversum plane ab eo, qui hodie tenet. *Res* autem eas dicebat, et, quoniam vere exstarent in mente humana (species existentes in anima appellat), et, quod hac minus sane attineret, quod ductae essent a rebus externis. Thomistae igitur Reales habiti sunt, in eadem sententia, quae Nominalismi postularetur in Roscelino. Utramque, quam Thomas propugnaret, et quam Scotus posthac, Vincentius Bellovacensis recte et sicut Aristoteles, coniunxit

Scoto cum alia etiam sui aevi schola res fuit, *Henrico* scilicet *Gandavensi*, cui ideas Platonicas revocare, animus esset: et rectius quidem, quam olim Roscelini tempore factum esset. Haec tamen sententia de aeternis, quos Henricus diceret, typis ac veritatibus eo tempore omnino displicuit, et Scoti auctoritate, et, quoniam insolens eius in ecclesia forma videbatur.

Narrant Reales, his potissimum principiis nisos Nominales istius aetatis: rem de re non posse praedicari, ut fieret tamen in universalibus a Realibus; et, entia non esse multiplicanda praeter necessitatem. In quo dubites, utram mireris magis imbecillitatem disputandi, quae uni *rei* vocabulo inhaereret, et, quam adversariorum sententia plane lateret. Reales vero eo maxime utebantur, quod *rerum* tantum esset scientia; unde *veritas* etiam, convenientia cum re, definita est, quae definitio nostra aetate plurimos, v. c. Reinholdum, aliis e causis offendit.

Hoc ipsum autem, quod Reales maxime tenuere, *postrema* controversiae istius aetate potissimum impugnabatur a Nominalibus; quorum antesignanus esset Guil. Ocham, acris ingenii homo magnarumque animi virium. Hunc *inceptorem* dixere, quod exigua nec studiis coniuncta aut suae etiam causae sibi conscia fuisset Nominalium post Roscelinum familia. Accessit, quod latius post Occamum litis causa pateret, id quod supra iam commemoratum; deinde, quod ad vitam et ipsum hominum sensum — antea scholarum tantum fuit — propius attinere coepisset.

Ille autem in Scoti sententia omnino se dubitare professus est, quid ea sibi vellet, tenuitque hoc solum, nihil esse universale, quod extra animam ullo quo modo exstaret. Intelligentiam humanam non credidit ad res unice tendere, aut omnino spectare, sed *cogitationum* esse tantum et propositionum: in quo manifesta inest logomachia. [21]) Sed, dum et Thomistarum abstractas notiones, quas hi pro univer-

---

21) Id quod *Gerson* probe perspexit. „Ens reale, ait (*de concord. metaph. c. log.*) non

salibus habebant, repudiebat, et, in gerendis rebus ac negotiis expeditus, ad scholasticas Scoti formulas offendebat; abstracta, confusos tantum esse dixit conceptus, (quod idem posthac a Spinoza ponebatur) deinde adversus integram *formularum* causam surrexit, vitae sensum usumque commendans. Et res maxime talis in ipsius schola agebatur. Neque vero vel ideas divinas repudiavit, in quibus divinum rerum principium posuisse videtur (in Sentt. 1. dist. 35. qu. 5.), vel fieri negavit, ut e singulis rebus universas sibi earum formas (a notionibus abstractis diversas) mens deduceret, iure etiam suo et sic, ut vere in animo eae exstarent. [22]) Quod autem *figmenta* diceret, ne quem offendat; factum opusque mentis significavit. Et deprehenditur *Gabr. Biel*, clarum illius scholae lumen, posthac etiam reduxisse abstractarum notionum vocabulum et auctoritatem. Sed cavit Occam, ne *res* haberentur, i. e. plane et in se certae, et, in quibus unice occupatum esse ex iisque nectere reliqua liceret; et eae quidem potissimum notiones, quas in scholis didicerint homines, vel fingere vel tenere, de quibus igitur praecipue in ista quaestione ab his disputatum est. In quo id etiam iuvare se voluit, quod *signa* cogitationum (intentiones, quas diceret, secundas) ab ipsis distinguendas doceret cogitationibus, ut alteram fraudem ostenderit, quae menti fieret cogitanti et differenti, nempe per sermonem. (Terministae inde hi appellati fuere).

Dominari coeperat Occami atque Nominalium adeo familia post Joannis XXII. P. R. obitum in Parisina praecipue schola. Sed latiori semper sensu, eoque vario, posthac obtinuisse videtur Nominalismus, ut taceamus (in quod supra intendimus) ad externum negotium plurimum lites deductas fuisse, ut appellarentur Nominales, qui politica libertatis ecclesiasticae studia participarent, quibus clarissimus exstitisset Occamus. At ii etiam hoc nomine insigniti sunt, qui dubitare amarent de iis, quae de ipsis rebus praedicarentur, tanquam quae incerta essent, annon subiective tantum conciperentur [23]); forsitan ex altera parte ii quoque, qui non e rerum experientia, sed e cogitatione, intelligentiam derivarent. Hanc certe fecit Aventinus

---

potest constituere scientiam aliquam, si non consideretur *in suo esse obiectali, relato ad ipsum ens reale.*"

22) *Obiective,* ait, non *subiective.* Nam observandus hic est apud Scotum et Occamum formularum usus; quo subiectiva (ὑποκείμενα) vere exstantia appellantur, obiectiva (ἀντικείμενα) quae sibi tantum cogitatio sistat teneatque.

23) Ut Jac. Thomas. D. de Nom. 249. principia Nominalismi in Heracliteo illo: πάντα ῥεῖν, quaesivit.

descriptionem Nominalium sententiae. [24]) Communi facile formula omnes has sententiae continebantur, quam Ludovico XI. a. 1473, Nominales offerrent, nolle ipsos tot facere res, principaliter signatas per terminos, quot exstarent voces. Reliqua e rei historia nunc quidem missa facimus. [25])

Nobilis locus est Joannis Sarisberiensis, sec. XII. scriptoris, docti et diserti, sed parum acuti nec certae sententiae hominis, Metalog. II. 17., in quo controversam rem, qualis illo tempore fuerit, descripsit, ita tamen, ut magnam hic notionum confusionem deprehendas. *Nominalium* primam fecit Roscelini opinionem, rudius redditam (consistere universalia in vocibus). Secundam Abaelardi, quod ad *sermones* detorserit (ita) universalia. Potuit ille, licet Platonicus, abstractas notiones vulgari consuetudini tribuere (quae esse potest sermonum significatio apud Sarisberiensem) alia enim est ideae participatio, alia abstractio notionum, qualem Peripatetici dicerent; sed verosimilius habemus, λόγους, sermones (quemadmodum Sermonem dicit divinum λόγον) appellavisse Abaelardum ideae divinae conceptus, qui fierent a singulis. Tertium eorum fecit Joannes genus, qui in *intellectibus* ponerent universalia, quod a primo certe non differt: describebatur enim his *modus* tantum curatius, quo conciperentur illae notiones. Deinde *Realium* primum universam reddit formulam, quam tamen ut peculiarem quorundam sententiam describit. Tum inter hos commemorat, qui ideas sumant Platonicas, horumque aliquos, qui singularibus eas uniant, ut loquitur, et *statum rerum partiantur*, h. e. id quod res sint ex universa, et e peculiari sua natura; aliquos, qui exemplaria faciant aeterna. Deinde qui nativas formas Aristotelis, ut ipse hic clarissimarum scholarum discrimen notavit Joannes, licet, omnes hos Aristotelem sectatos fuisse, narret. Tertiam sic reddit, universalitatem aliquos tribuere rebus in unum collectis, et singulis eandem demere. Videtur describere, qui, non abstractione sed inductione, uni-

---

24) *Aventinus*, l. c.: „Tirones, ait (Nominales autem dicit, quos novos habet Aristotelicos) scientiam nusquam nisi in animi notionibus atque rationibus esse docent. Eam enim comparari, ubi verborum explicatio et ratiocinationes adhibeantur. *Veteranos*, notationem naturae et sensus animadversionem parere artem.“ — Sed admodum confusa sunt, quae ille de lite tradit, omnia.

25) Simplicius rem persequitur egregius Tennemannus, G. d. Philos. VIII. 39. 160. al. Roscelinum iam et insecutos Nominales voluisse solummodo cognitionem et cogitationem distinguere. Quo nec opus fuit in universum, nec obvia quaestio ista inter Scholasticos, praeter Gaunilonem. Sed ambigue hic, ut alibi, philosophatus est Tennemannus.

versas notiones concipi vellent. Tum commemorat, qui novo vocabulo *maneriem* dixerint; hi autem sine dubio formas nativas s. rerum naturas et ipsi voluere. Postremo idem quoque, qui, Joanne auctore, ad rerum *status* universalia referrent, nempe ad ὑπόστασιν. [26]) Sed fuit ipse Sarisberiensis iis addictus, qui pro abstractis haberent notionibus universalia. De eo plurimum, licet vaga disputatione, exponit, sic tamen, ut certa sit universa eius sententia. [27])

His igitur credimus notionibus litem esse comprehendendam. Nec mirandis istis opus habemus adminiculis causam explicandi, ad quae antiquiores fere confugerint, ut vel e Cabbalistarum opinione, in literis mundum consistere, Nominalismum ducamus, vel e Loquentium (מדברים) familia, quam Moses Maimonides praecipue describit, ut More Nev. 1, 71. [28]) Horum nomen sine dubio διαλεγομένους significat, et factum est posthac peculiare certae opinionis philosophicae, quae, quantum e Maimonide sciamus, ad hanc nostram causam plane non attinet. Cabbalistae duo istic sibi volunt, unum, divina mente animari mundum, quemadmodum vocalibus literas consonantes, deinde, Ebraicarum literarum grande esse mysterium in designanda rerum natura. Et plane absurdum fecere, qui in cabbalisticis Sephirot Realium quaesivere decreta. Neque tamen his diutius inhaerendum. [29])

Unum restat, ut de *theologica sententia* utriusque familiae agamus. Poterat magna vis esse quaestionis illius in re theologica. Non, quod cum *Baylio*, *Buddeo* aliisque opinemur, a Spinozismo non multum alienos fuisse Reales (nam qui eandem cunctarum rerum aut singulorum etiam tantum generum, dicant naturam, nempe, si mundum tamen a Deo distinguant, non sunt habendi Pantheistae; et, qui Pantheistae, si rerum varietatem non tollant, ne continuo audiant Spinozistae) aut, cum nonnullis seculi XIV. theologis infame omnino habeamus Nominalium nomen, quasi hoc ostendat, nihil in natura vitaque hominum agnosci praeter *verba*; perperam igitur adhibitum, similiter ut Manichaeos interdum in ecclesia eos dixere, qui duo facerent *civitatis* principia, cautiusque distinguerent, ecclesiasticum atque

26) Omnia ista aliter Tennemannus explicuit, VIII. 338. ff.

27) Praeter c. 19 et 20. l. c. Policrat. II. 18. et VII. 12. *Abstractarum* ipso nomine, utroque in loco utitur. *Res* dici posse, opinatur, nam, ait, et ea; quae sub affirmatione iacent et negatione, res dicuntur. Sed *solidioris existentiae substantiam* in ipsis negat.

28) Ut Tribbechov. de doctor. scholast. c. 5.

29) Bruckerus talia reddidit, nec prorsus confutavit, Hist. doctr. de ideis, 220. ff.

politicum. Sed poterant Reales Platonici suam de ideis sententiam ad divinum λόγον referre, ut, qui dudum obtinuisset cogitandi loquendique usus in ecclesia, Christi ad Deum, deinde ad mundum ratio opinione illa philosophice constitueretur. Quemadmodum fecit Synesius, in Christo divinarum idearum complexum describens, et quomodo ad mundum se illae habeant, v. c. hymno 1. 58. ss. et 88. ss. Νοῦς, hic ait, *τὸ ὅλον τοῦτο φυλάσσων· νενεμημέναισι μορφαῖς μεμερισμένος παρέστη.* In quo Dionysii Areopagitae (de div. nom. c. 5.) effata utique comparanda sunt; quemadmodum plurimus deprehenditur utriusque scriptoris et in re et in formulis consensus.[30] Deinde, qualem Scotus teneret notionem, non negandum est, ad pantheismum fuisse proclivem, ad quem Arabes philosophi Peripatetici vere eam deduxere. Et sane, quo Scotus spectaverit, incertum. Sed huc non devenere lites: nam quod egregius homo, Nicolaus de Autricuria sec. XIV. medio damnatus fuerit de Pantheismo, pars etiam haud ignobilis istarum litium; non is e Scotistis fuit, sed ex Occami mente Nominalis, et libere philosophatus, non ex istarum litium formulis, illuc devenerat. (Cf. Car. Duplessis *Argentré* collectio iudicc. de novis erroribus. T. 1. ad a. 1348.)

Imo, quae in dialecticis tantum principio institueretur, de universalibus quaestio, per invidiam tantum utrinque ad theologiam trahebatur, ut eo, quod theologice nexum esset ex aliqua sententia, ipsa confutaretur; sicut hominum mos fuit isto tempore. Facillime autem ad locum de *trinitate* res referebatur, in quo et ipso viderentur universali aliquo singula comprehendi. Et gravissime absque dubio hic lapsi sunt utrinque, multumque semper utrinque perversi, quibus ex altera parte usi fuissent, sermones. Deinde ridendos plurimum se dedere, qui haereticos facerent, ipsi interdum facile gravioris culpae rei. Ut Anselmus in prima, quae ex ista causa prodiret, lite theologica, adversus Roscelinum ita differit (de incarn. 2.): „Qui nondum intelligit, quomodo plures homines in specie sint unus homo; qualiter comprehendet, quomodo plures personae sint unus Deus? Et, cuius mens obscura est ad discernendum inter equum suum et colorem eius, qualiter discernet

30) Illuc tamen medio etiam aevo, in latina eccl. maxime utebantur loco Jo. I, 3. 4. e lectione scilicet pervulgata: quod factum est, in ipso vita erat, h. e. vivebat, antequam fieret, in divino λόγῳ. Neque tamen rem penitius disputabant. Notionem *idearum*, tanquam hypostasium, et quomodo eae a divinis *personis* differant, *Jo. Wiclef* disputavit, dialogg. I, 8. s.

inter unum Deum, et plures relationes eius." (Hinc intelligitur, qui et Tritheita haberi potuerit, et Sabellianus Roscelinus). Sed qui altero isto modo censeat ecclesiasticum de trinitate dogma, Sabellianus habendus sit: ille autem merus etiam *Polytheismus* sit, quo divina natura, tanquam *generis* notio tribus illis adscribatur. Ut concedamus, Roscelinum, e qualicunque causa, minus cautum fuisse in formulis, ut quando tres res, aut tres etiam, si usus ferret, Deos, dici posse existimaret. At plane stupidum fuit argumentum, quo Roscelinum petit Abaelardi, ut vulgo creditur, epistola 21. Negavisse hunc, rem habere partes: ut igitur (verba reddimus, sed quae ostendant, *argumentari* modo adversarium e Rosc. formula) eo loco, quo dicitur Dominus partem piscis assi comedisse (Luc. XXIV, 22) partem huius *vocis*, quae est piscis assi, non partem rei, intelligere cogeretur. Scilicet, sic si statuisset Rosc., non eam *rem* amplius fuisse, dixisset, cuius particula describeretur. Sed memorabile est exemplum, ut unius vocabuli (μέρος) usu apud sacrum scriptorem philosophema obstructum fuerit. Credam tamen, Roscelini formulam hoc potius sibi voluisse: universalia si *res* essent, non posse in partes abire (ἓν πρᾶγμα, οὐ μεριστόν); h. e. ad singula referri multa idem universale.

In controversiis deinde, quae cum Gilberto Porretano moverentur, lis illa in invidiam tracta est, quod ille Deum et Divinitatem (essentiam divinam) et personas divinas ab ipsarum proprietate, distinxisset. Statuit autem hic ex eorum decretis, qui notionem abstractam crederent universale, de quo in scholis quaereretur. [51]). Nec tamen nexa fuisse videtur Gilberti sententia e dialectico isto discrimine. Noluit incarnatam dicere divinitatem; quae plurimorum tum formula fuit, voluitque virtutes Dei, tanquam quae vere exstarent, describere. Sed e communi deinde Realium formula, singulas res nihil esse, videtur Nihilianismus Petri Lombardi fluxisse, sic tamen, ut in alium quoque sensum ista sententia, Christum hominem non esse aliquid, deferretur ab ipso Petro: quem Gualterus a S. Victore demonstravit,

---

51) Cf. *Otto Frisingensis* de gestis Frid. I. Lib. I. c. 53. „Universalem proprietatem, Gilbertum dixisse refert, non ex eo, quod una in pluribus esset, quod impossibile; sed ex hoc, quod, plura in similitudine videndo, ab assimilandi unione universalis, quasi in unum versalis, diceretur." (Sic ibi legendum videtur, pro: in simil. vivendo). Tum quidem illa sententia, quae serius Realismo adscriberetur, habita plurimum adhuc videtur pro Nominalismo. Sic Otto etiam de Gilberto: „Sententiam vocum s. nominum in naturali tenens facultate (i. e. *scientia*) non caute theologiae admiscuit."

de *quat. lab. Franc.* (apud Bulaeum To. II.) lib. 1. c. 3. 4. 9. 12. Nec ad lites Nominalium et Realium, Lombardi hac in causa adversarii posthac respexere.

In loco de attributis divinis ex istis litibus longa prodiit disputatio, ab Abaelardo iam monstrata, *introd. in th. chr.* II. p. 1067 quam Scotistae maxime exposuere; verborum ea magis quam rerum disquisitio. At in eodem illo de trinitate multum confusa serius fuisse videtur lis Nominalium et Realium, et, quae Nominalistis cum Modalistis intercederet.

Magna autem vis fuit Nominalismi in Theologiam, postrema, quam notavimus, aetate, cum liberrimus inde animus existeret, rei semper animique naturam dispicere laborans, et qui magistrorum auctoritatem et ecclesiae vim parum curaret. Tum censemus et ipsum Occami exemplum praeluxisse, ut qui hunc sequerentur, maiorem sumerent spiritum et graviora meditarentur; donec in antiquam libertatem vindicaretur ecclesia, quam non servilibus animis Dominus condidisset: et ab iis quidem, qui se, ut de Melanchthone praecipue accepimus, inter Nominales haberi vellent.

Sed cum literae, nec per Graecos demum in Italia hospites, instaurarentur et dialecticarum istarum pugnarum fallax et leve studium desiisset, quaestio de universalibus abiit in graviorem etiam causam. Vetus tum his formulis discrimen inter philosophos instaurabatur Platonicae scholae et Aristotelicae, et sic, ut plane perspiceretur, qualis res esset, quo tenderet, et de quibus ageretur: principio, non sine libertatis abusu, praecipue apud Italos. Ea vero et mentis liberae et veritatis vis est, ut ad planam et sobriam sententiam postremo semper reducat, et ex ipsis errorum discriminibus, quibus iactati fuerint homines, nonnisi virium augmenta proveniant et bonum consilium. Sed quorum recta mens et severum studium est, iis continuo sane enitendum, ut expeditius illud citiusque eveniat, nec multa aerumna gravioreque certamine, tandemque longa poenitentia opus sit, dum suam causam obtinere debeat veritas.

VIII.

SENTENTIA RECENTIVS DEFENSA DE IIS NATVRIS QVAE IN LIBRIS N. T. ΔΑΙΜΟΝΕΣ AVDIVNT AB ANGELIS LAPSIS ET SATANA PRORSVS DISTINGVENDIS EXAMINATVR.

Programma
Nati Jesu Christi
solemnibus indicendis scriptum
ab
HENRICO AVGVSTO SCHOTT,
THEOL. D. ET PROF. ORD.

Ex quo tempore Theologus Lipsiensis, et eruditionis solidae atque subtilis, et sagacitatis laude inclytus, *S. V. Winzer*, doctrinam de Satana daemonibusque biblicam luce eximia collustrauerat [1]), nemo prodiit, qui huic parti Theologiae biblicae novo examini subiiciendae operam singularem inpenderet, praeter *B. Jahnium*, cuius opuscula, post obitum viri de Theologia meritissimi edita, commentationem exhibent uberiorem, de Satana, angelis malis, daemonibusque scriptam [2]). Laetabundus cognovi, quum nuper hanc commentationem eruditissimam diligentius pertractarem, novum suppetere exemplum, quo pateat, nostra aetate inter

1) Cfr. *Winzer* comment. I. et II. de daemonologia in sacris N. T. libris proposita. Viteb. 1812. 1815. 4.

2) *Johann Jahn Nachträge zu seinen theologischen Werken*, *Tübingen*, 1821. 8. *dritte Abhandlung*: *Was lehrt die Bibel vom Teufel*, *von den gefallenen Engeln*, *von den Dämonen*, *und bösen unreinen Geistern? S.* 61—227.

Theologos ecclesiae Romano-Catholicae profecto non deesse, qui thesauros eruditionis philologicae atque historicae libris divinis explicandis eadem liberalitate religioni iuncta adhibeant, quam Nostri dudum commendauerint. Quo minus vero omnia, quae vir beatus de locis N. T. ad daemones spectantibus recte intelligendis et aestumandis (erudite quidem, ac subtiliter) disputavit, assensu meo comprobarem, tractatio harum quaestionum iterata, eademque absque omni partium studio instituta me prohibuit. Quemadmodum enim accommodationi, quam dicunt, a Iesu et Apostolis in docendo adhibitae, *pluribus locis* nimium tribuisse videtur: ita etiam mihi persuadere non potuit, eas naturas, quae in libris N. T. δαίμονες, δαιμόνια, πνεύματα ἀκάθαρτα audiant, ab angelis malis eorumque principe, Satana, toto genere differre. Liceat mihi, dies festos natalibus Iesu Christi sacros rite indicaturo, de hoc argumento paucis disserere.

Sententia, quam *b. Jahn* in libro laudato p. 66. seqq. proposuit, pluribusque argumentis asserere studuit, haec est. Scriptura divina nonnisi *unum* agnoscit *diabolum* (Satanam), principem omnium Spirituum malorum, homines ad peccata varii generis sollicitantem, auctorem calamitatum et vexationum, quas probi cultores Numinis summi patiuntur. Eadem vero plures commemorat *angelos olim lapsos*, ministros Satanae, in terram nostram nunquam prodeuntes, sed loco quodam subterraneo, tenebris tecto, vinculis aeternis adligatos. *Qui denique δαίμονες sive δαιμόνια audiunt* (πνεύματα πονηρὰ s. ἀκάθαρτα), *ab angelis malis prorsus distinguendi sunt. Significantur enim his vocibus animi hominum inproborum, qui vita defuncti sunt, a corporibus separati. Eorumque efficacia in libris N. T. ita describitur, ut nunquam homines ad peccata sollicitare, sed corpora hominum in terra viuentium morbis variis adfligere dicantur.*

Quanquam inter omnes constat, hanc vocis biblicae δαίμονες (δαιμόνια) interpretationem non omnino novam esse atque inauditam 3), nova tamen ratione ab auctore doctissimo proposita est et illustrata. Argumenta singula deinceps persequamur.

Ac primum quidem *usum loquendi profanorum Graeciae scriptorum* in auxilium vocavit. Negari omnino non potest, si modo effata permulta (in commen-

3) Cfr. **Farmer** *Versuch über die Daemonischen des N. T. aus dem Englischen übersetzt von* **Cöllen** *mit einer Vorrede von* **Semmler**, *Bremen und Leipzig*, 1776. *Semmler* comment. de daemoniacis, quorum in N. T. fit mentio, Hal. 1779.

tatione Jahnii p. 152 — 176 diligenter notata) *Hesiodi* (opera et dies l. 4 v. 109. ss. 122. ss. 247. ss.) *Plutarchi* de defectu oraculorum §. 13. de Iside et Osir. § 25. ss.) *Luciani* (in dial. φιλοψευδής) et aliorum contulerimus, Graecos et Romanos, ubi de *eiusmodi* daemonibus loquerentur, qui corpora hominum occuparent, variisque malis adfligerent, semper *animos hominum inproborum vita defunctorum* intelligi voluisse. Nolim vero ex his colligere, *graecitatem librorum novi foederis* (quam variis modis ab usu loquendi profanorum Graeciae auctorum discrepare neminem fugit) *non potuisse* iisdem vocibus δαίμονες s. δαιμόνια significatum tribuere latiorem, nec ulla ratione diversa fuisse, quae Iudaei tempore Christi de natura daemonum efficaciam suam in homines exserentium statuerent, a placitis Graecorum. Quodsi usum loquendi versionis Alexandrinae V. T. consulueris (ad explicandum sermonem graecum N. T. praecipua diligentia adhibendum), effata obvenient plura, quae profecto ita comparata sunt, ut vox δαιμόνιον de alio quodam naturarum genere (non de animis hominum vita defunctorum) intelligi et explicari debeat, etsi haud negaverim, eiusmodi quoque loca deprehendi, ubi haec cogitatio ad vocem δαιμόνια a septuaginta interpretibus adhibitam transferri possit. Certum est, Ps. 96, 5. Ps. 106, 37. et Ies. 65, 11. *idola gentilium* in versione alexandrina hoc nomine venire.

Deinde ad *Iudaeos* provocat *tempore Christi viventes*, qui semper de animis hominum vita defunctorum cogitaverint; ubi spiritus commemorarent malos, corpora hominum occupantes. Nihil enim magis in promptu esse videtur, quam ut eiusmodi vocibus, a Christo et Apostolis usurpatis, quae e sermone vitae communis Iudaeorum depromptae fuerint, eamdem significationem vindicemus, quam voces illae apud Iudaeos vulgo habuerint, nisi ab ipso Iesu et Apostolis vel aperte vel tectius indicatum fuerit, de significatione vulgari et communi non cogitandum esse. Ex locis scriptorum Rabbinicorum, quae *b. Jahn* in libro laud. p. 177. seqq. (praeeunte *Eisenmengeri* libro: *entdecktes Iudenthum*, Vol. II. p. 427 — 462.) diligenter notavit, et effatis *Iosephi* (antiquitt. Iudd. l. 8. c. 2. de bello iudaico l. 7. c. 6.) contulit, omnino colligi potest, Iudaeos seriores *praesertim* animis hominum inproborum hoc tribuisse, ut eos post mortem daemones malos fieri docerent, hominibus in terra viventibus mala varii generis, morbos potissimum infligentes. Iam vero, quum Iudaei illorum temporum *originem* harum naturarum, quas spiritus malos sive diabolos appellarent, diversam esse statuerint (alias quippe ex animis hominum malorum vita defunctorum, alias ex angelis lapsis, sive ex connu-

biis eiusmodi angelorum hominumque exstitisse, cfr. *Jahn* l. l. p. 177.) neque umquam aperte negauerint, *alios* spiritus malos (praeter eos, qui olim homines improbi fuerint) in homines viventes vim noxiam exserere; nolim equidem, hoc argumento usus, significationem vocabulorum N. T. δαίμονες, δαιμόνια, πνεύματα ἀκάθαρτα, his finibus angustis coërcere, ut *eiusmodi tantum spiritus mali* intelligantur, qui olim ad homines improbos in terra versantes pertinuerint, quamquam lubentissime largior, notionem huius naturarum generis ab usu vocum laudatarum, quem scriptores divini N. T. fecerint, haud removendam esse.

Tertium denique argumentum, cui auctor doctissimus ipse plurimum tribuit, ex *libris N. T.* ducitur. Ostendit enim pluribus locis libri laudati (praesertim p. 66. ff.), partim effata N. T. de *angelis lapsis* pronunciata cum aliis locis ad daemones spectantibus aperte pugnare, nisi utrumque genus ab altero prorsus distinguatur, partim aliam plane efficaciam Satanae, aliam daemonibus vindicari. Quod prius attinet, apud *Petrum* Apostolum epist. II. c. 2. v. 4. de angelis lapsis haec leguntur: εἰ γὰρ ὁ θεὸς ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν τηρουμένους etc. Dicitur Deus angelis, qui olim peccaverant (a Deo defecerant) non pepercisse, sed eos vinculis tenebrarum tradidisse, quum eos deiecisset (descendere iussisset in locum tenebricosum) asservandos ibi ad diem iudicii futuri. Verba enim σειραῖς ζόφου παρέδωκεν propius coniungenda esse res ipsa declarat. Quod autem Deus hos genios vinculis 4) tenebrarum (i. e. in loco subterraneo tenebris obuoluto cfr. ep. Iudae v. 6. Etymol. Magnum sub h. v.) tradidisse perhibetur, duplici modo intelligi potest, *sive* vocem σειραὶ tropice acceperis, ita ut Deus his geniis lapsis locum illum tenebricosum tanquam *domicilium perpetuum* assignavisse dicatur, cuius limites constitutos numquam transituri essent (quemadmodum nostrates hominem loco quodam perpetuo commorantem, nec facile discedentem, huic loco veluti vinculis alligatum appellant), *sive* maluetis de vinculis proprie ita dictis cogitare. Docebant utique Iudaei seriores (cfr. praeter alios *Wetstenius* ad h. l.) angelos malos in Geenna vinculis esse constrictos.

4) σειραὶ proprie: funes (Eustathius ad Homeri Il. ψ. p. 1401.), quum homines captivi apud veteres funibus constringi solerent, notionem universam vinculorum (τῶν δεσμῶν) exprimit. Vocabulum ζόφος (i. q. σκότος) apud poëtas potissimum Graecorum de Tartaro frequenter occurrit, v. c. apud *Homerum* in hymno in Merc. v. 256. Il. O, 191. Φ, 56.

Utrum Petrus hoc placitum probaverit, an formula tantum populari usus fuerit, ex illo placito desumpta, notionem universam domicilii certi his geniis in perpetuum a Deo assignati declaraturus, in utramque partem disputari potest. Sententia *primaria*, nobis potissimum hanc disputationem exegeticam instituentibus curanda, omnino eadem apparet. Sub loco autem tenebris obvoluto (ζόφῳ) *Geennam* intelligi, quam Iudaei sic appellare solerent (eam partem regni inferorum, quae animis hominum inproborum vita defunctorum recipiendis destinata esset) participium docet interiectum ταρταρώσας i. q. εἰς τάρταρον 5) ῥίψας (Apollodori biblioth. I, 1. 2.) Detrusi dicuntur, Deo volente, in hunc locum subterraneum, ut ibi *maneant* (custodiantur) ad diem usque iudicii extremi. Verbis Petrinis conferre iuvat effatum in epistola *Iudae* v. 6. obvium: ἀγγέλους τε τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν. Quamquam verba τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν interpretationem admittunt duplicem, siquidem vel de *dignitate* (principatu), vel de *conditione pristina* horum angelorum, quam ipsi neglexerint, atque reliquerint, intelligi possunt, in eo tamen fere omnes interpretes consentiunt (verbis potissimum ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον 6) praeeuntibus), Apostolum h. l. de dogmate quodam Iudaeorum seriorum cogitasse. Narrabant quippe Iudaei seriores, aliquam partem angelorum olim a Deo defecisse, sedes coelestes reliquisse, terram adiisse, amore virginum terrestrium delinitos, quibuscum matrimonium inirent. (Cfr. Wetstenius ad h. l.) Sequebantur eam loci Geneseos c. 6. v. 2. interpretationem (pluribus recentiorum recte improbatam) qua phrasis בְּנֵי־אֱלֹהִים de angelis explicatur. Videtur omnino Iudae traditio illa Iudaeorum h. l. ante oculos esse obversata. De caussa vero, quare angeli isti sedes reliquerint pristinas (de ipsa natura peccati, quo committendo defecerint a Deo) neque Iudas neque alius Apostolorum accuratius nos edocuit. Immo in eo acquiescunt, ut breviter profiteantur, angelos quosdam lapsos esse, iisque hanc poenam a Deo esse impositam, ut in locum subterraneum tenebricosum ablegarentur, in statu tristi captivitatis versaturi, ad diem usque iudicii extremi. Eosdem vero supplicio graviori olim fore obnoxios, effatum docet Servatoris *Matth.*

5) De usu et potestate vocabuli τάρταρος (quod apud profanos elysio opponitur) cfr. *Aeschinis* dial. Socr. 3, 21. *Hesiodi* Theog. v. 721. ss.

6) De coelis, tanquam sede ipsius Dei, eadem vox οἰκητήριον adhibetur apud LXX. Ierem. 25, 30.

c. 25, v. 41. ubi locum iis hominibus destinatum, qui poena post mortem futura dignos se reddiderint (quum officia humanitatis et amoris in hac terrestri vita neglexissent) τὸ πῦρ appellat τὸ αἰώνιον, τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ. Multo frequentius, quam angeli lapsi, in libris N. T. *daemones* (daemonia, πνεύματα ἀκάθαρτα) obveniunt, ita quidem, ut modo in aëre versari, modo in locis desertis oberrare, modo corpora hominum occupare, in iisque veluti habitare dicantur, et tamquam naturae appareant, quarum libertas externa vinculis coërceatur nullis. Cfr. ad *Ephess.* c. 2, v. 2. c. 6, v. 12. *Matth.* c. 12, v. 43. ss. c. 8, v. 28. ss. c. 17, v. 19 ss. *Marci* c. 5, v. 1. ss. c. 9, v. 25. *Lucae* c. 8. v. 26. ss. et alia evangeliorum loca permulta, ubi de hominibus daemoniacis sermo est. Possuntne haec effata iis conciliari, quae angelos lapsos tamquam catenis et vinculis in loco tenebricoso adligatos describunt, nisi concesseris, eas naturas, quae in libris N. T. ἄγγελοι ἁμαρτήσαντες audiant, toto genere differre a daemonibus? Equidem vix putaverim, ex locis supra allatis epistolarum Petri et Iudae recte demonstrari, angelos lapsos eiusmodi captiuitate teneri, quae eos omni efficacia destituat. Quamquam enim his geniis, olim lapsis, ex sede coelesti remotis, universe locus tristis, subterraneus, tenebricosus assignatus esse dicitur, ut domicilio iis inserviret perpetuo; minime tamen negatur, fieri posse, ut eiusmodi angeli ex loco damnationis tristissimo saepenumero per aliquod temporis spatium in terram prodeant, et regiones superiores petant, donec coacti fuerint in domicilium ipsis proprium redire. Quaeritur enim (ut supra innuimus) utrum phrasis δεσμοῖς ἀϊδίοις secundum litteram urgenda sit, an notionem exhibeat universam domicilii his geniis in perpetuum destinati; docentque loca Petri et Iudae explicata, effato Christi (Matth. 25, 41.) collata, angelis lapsis a tempore inde iudicii extremi conditionem ea, qua nunc teneantur, captivitate *multo tristiorem* exspectandam esse. Deinde narratio exstat apud *Lucam* ev. c. 8, v. 31. (coll. *Matth.* 8, 29. ss. *Marci* 5, 7. ss.) quae neminem dubitare patitur, *daemonibus* quoque in libris N. T. locum tribui tristem et subterraneum, quo tamquam sede ipsis propria et destinata utantur. Homo furiosus, qui a longo inde tempore summa mentis insania laboraverat (quam sermo evangelistarum efficaciae daemonum tribuit) Servatore conspecto (v. 28.) in genua prolapsus voce alta clamasse legitur: *quid mihi tecum rei est* 7), *fili Dei celsissimi?*

---

7) Constat phrasin τί ἐμοὶ καὶ σοί; (hebr. מַה לִּי וָלָךְ iis usurpari, qui alios admonituri sint, ne ipsis negotia facessant, et molestias parent. Cfr. *Iosuae* 22, 24. 1 *Regg.*

noli, quaeso, me cruciare. Apud *Matthaeum* loco parallelo c. 8. v. 29. ubi eadem de duobus hominibus daemoniacis narrantur, his verbis Iesum alloquuti esse dicuntur: *venistine, nimis mature* (πρὸ καιροῦ, ante tempus constitutum, cfr. *Alberti* observv. ad ep. ad *Romm.* c. 5, v. 6.) *nos cruciaturus?* Verbum βασανίζειν (a βασανὸς, quod proprie lapidem Lydium, cuius ope metalla explorantur, sive coticulam innuit, cfr. Pindari carmen Pyth. 10, v. 106. Plinii historia natur. 33, 8. deinde sensu latiori de quavis exploratione accurata et diligenti, ideoque, quum tormenta haud raro ad explorandam veritatem adhiberi solerent, etiam de tormentis valuit) neminem fugit in libris N. T. notionem exprimere universam cruciandi, doloribus afficiendi. Cfr. Matth. 8, 6. Apocal. 12, 2. Quo sensu daemoniacus ille Iesum precibus adierit: δέομαί σου, μή με βασανίσῃς, sequentia docent. Lucas enim, verba hominis furiosi veluti explicaturus, v. 29. haec subiungit (cfr. Marc. 5, 8.): *Iesus quippe spiritum inpurum ex homine discedere iusserat.* Deinde, quum Iesus ex eo quaesivisset (v. 30. sq. coll. Marci 5, 9. 10.), quo nomine uteretur? furiosus ille, se *legionem* appellari (cum daemones multi ipsum occupassent) respondisse, Iesumque enixe rogasse narratur, ne ipsos (daemones) in abyssum abire iuberet; sive (ut apud Marcum scriptum est) ne ipsos extra illam regionem ablegaret. Homo daemoniacus, quo tempore Iesus hanc regionem adiit, in eam mentis insaniam inciderat, ut semet ipsum non distingueret a daemonibus, qui eum (secundum vulgarem de his morbis loquendi rationem) occupassent. Cognoverat alio tempore (priusquam hac mania laborare coeperat), Iesum esse χριστὸν, eumque homines daemoniacos sanare, *daemonibus malis expellendis.* Proinde, Iesu conspecto, in cogitationem illam defixus, qua sibi ipse legio [8]) spirituum malorum esse videbatur, nomine horum daemonum Christo interroganti respondit; nomen meum est legio, eumque inploravit, ut ipsis parceret. Cfr. *Marci* 1, 23. 24 Docebant quippe Iudaei, daemones, ubi ex corporibus humanis, quae occupaverant, depulsi fuissent, male se habere, et reditum in eiusmodi corpora avide desiderare. Cfr. *Matth.* 12, 43. sq. Quod apud Marcum (5, 10.) universe innuitur (*rogarunt eum*

17, 18. *Marci* 1, 24. *Raphelius* in observv. Herodoteis p. 279.

8) In promptu est, vocem origine latinam λεγεῶν (in libris quoque rabbinicis frequenter obviam; vid. Buxdorfii lexicon Talmud. sub h. v.), quae proprie de turma militum selecta diceretur (Livius hist. Rom. 29. 24. Veget. de re milit. 2, 2.) h. l. notionem universam copiae magnae exprimere. Matth. 26, 53.

daemones, ne ipsos extra hanc regionem ablegaret) apud Lucam (8, 31.) verbis rem ipsam accuratius notantibus traditur: καὶ παρεκάλει αὐτὸν ἵνα μὴ ἐπιτάξῃ αὐτοῖς εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν. Vocabulum ἄβυσσος, de cuius significatione vera h. l. recte constituenda diversimodo iudicatum est, proprie quidem forma est adiectivi (i. q. ἄβυθος), de iis omnibus, *quae fundo* (βυθῷ) *carent*, apud profanos Graeciae auctores frequenter obvia. Cfr. *Aeschylus* septem adv. Thebas v. 952. Supplices v. 479. *Eurip.* Phoenn. v. 1599. *Aristoph.* ranae v. 138. *Herod.* 2, 28. *Lucian.* de vera historia scrib. 2, p. 688. *Diod. Sic.* p. 111. In versione Alexandrina V. T. praeter hanc adiectivi formam (Deuteron. 33, 13.) frequentius occurrit substantivum ἡ ἄβυσσος (suppl. χώρα vel θάλασσα), de loco vel aqua profunditatis immensae, *Tob.* 36, 16. 41, 23. *Ies.* 44, 27. *Genes.* 1, 2. 7, 11. In libris denique N. T. eadem phrasis partim universe de inferno, de sede mortuorum adhibetur (ep. ad *Romanos* c. 10, v. 7. ubi ἄβυσσος opponitur τῷ οὐρανῷ, et verba: τίς καταβήσεται εἰς ἄβυσσον; hac ratione explicantur: τουτ' ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν) partim de loco hominibus damnatis, vita terrestri defunctis destinato, *Apocal.* 9. 1. 2. 11. 11, 7. 17, 8. 20, 1. 3. (cfr. locus supra laud *Eurip.* Phoenn. v. 1599. ubi ἄβυσσα χάσματα ταρτάρου commemorantur). Nec dubitamus, apud nostrum quoque evangelistam (Luc. 8, 31.) voci ἄβυσσος eamdem potestatem (*tartari*) vindicare, quum neque Boltenii sententia, mare Galilaeum intelligentis, neque eorum interpretum coniectura, qui loca deserta intelligi posse existimaverint, ex usu loquendi comprobari possit. Quum vero hoc domicilium damnatis destinatum ubique tamquam locus admodum tristis, cruciatuum plenus describatur, facile patet, quo sensu homo furiosus (qui, cum *sibi ipse* legio daemonum esse videretur, verendum putabat, ne Iesus ipsos, ex corpore humano depulsos, in tartarum ablegaturus esset) supra v. 28. his precibus Christum alloquutus fuerit: δέομαί σου, μή με βασανίσῃς: *noli me mittere in locum cruciatuum.* Ad illustrandam hanc interpretationem conferre insuper iuvat alia N. T. effata, ubi locus damnatorum τόπος τοῦ βασάνου dicitur (Luc. 16, 28.) et verbum βασανίζεσθαι de poenis gravissimis adhibetur, Apocal. 14, 10. 20, 10. Ex his omnino patet, *in libris N. T. unum eumdemque locum tristissimum* (*tartarum*) *tanquam domicilium describi et angelis lapsis* (ut supra vidimus) *et iis naturis, quae* δαίμονες *audiunt, destinatum.* Iam vero quaeritur, utrum verbum ἀπελθεῖν (Lucae 8, 31.) universam notionem *abeundi*, discedendi, an *redeundi* (Matth. 2, 22. 8. 21. 9, 7. et al.) exprimat, ita ut homo daemeniacus Iesum implorasse existimetur, ne daemones illos in locum

tristissimum, *ipsis iam assignatum et experiundo cognitum, reverti iuberet?* Ni omnia me fallunt, verba, quae Lucae 8, 28. 31. Marci 5, 7. (ὁρκίζω σε τὸν θεόν, μή με βασανίσῃς) Marci 1, 24. (ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς) daemonibus tribuuntur (quorum nomine daemoniacus loquitur) formidinem tantam et horrorem exprimunt, ex cogitatione loci damnatorum oriundum, ut haud obscure ponere videantur, secundum daemonologiam Iudaicam, hos spiritus malos, pariter atque angelos, qui lapsi (ἁμαρτήσαντες) dicerentur, iam fuisse in Tartarum detrusos, huiusque loci tristitiam summam experiundo cognovisse. Neque obstare dixerim locum Matthaei parallelum c. 8. v. 29. ubi duo illi, quos evangelista commemorat, homines furiosi, Iesum alloquuti esse dicuntur: ἦλθες ὧδε πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς. Quum probe nossent, Iesum esse Χριστὸν, coniicere etiam potuerant, fore, ut, si per hunc υἱὸν τοῦ θεοῦ (nec per vulgarem exorcistam Iudaeorum) ex corpore humano depulsi fuerint, ad sedem damnatorum tristissimam *in perpetuum* ablegentur, nec amplius facultate gaudeant (qua hucusque gavisi fuerint) in terram revertendi, et modo haec, modo illa corpora occupandi. Proinde verba laudata satis commode sic intelligi possunt: *venistine, nos ante tempus* 9) *constitutum* (ante diem iudicii extremi) *ad locum damnationis in perpetuum ablegaturus?* De eodem quippe iudicio extremo, damnatos omnes poenae gravissimae traditum sermo est, cui ἄγγελοι ἁμαρτήσαντες apud *Petrum* (ep. II. c. 2. v. 4.) et *Iudam* (v. 6.) dicuntur τηρούμενοι. Quae quum ita sint, non videtur ex iis, quae in libris N. T. de sorte et conditione angelorum lapsorum daemonumque obveniunt, tuto colligi posse, utrumque genus naturarum ab altero prorsus esse distinguendum.

Quod vero efficaciam daemonum attinet, B. *Iahn* in libro laudato discrimen haud exiguum, quo daemones a Satana differant, in eo deprehendere sibi videtur, quod daemones (πνεύματα ἀκάθαρτα) in libris N. T. ubique corpora tantum hominum occupare, morborumque varii generis auctores existere, nunquam vero (id quod de Satana aperte docetur) homines ad errores et vitia sollicitare, virtutem humanam tentare, vitiositatem adiuvare dicantur. Huic argumento primum quidem opponere licet locum notissimum epistolae *Pauli* ad *Ephesios* c. 6. v. 11. 12. ubi Christianos his verbis cohortatur: ἐνδύσασθε τὴν πανοπλίαν τοῦ θεοῦ, πρὸς τὸ δύνασθαι ὑμᾶς στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου. Ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα

---

9) καιρος eodem sensu occurrit in ep. 1. ad Corinthh. c. 4. v. 5.: ὥστε μὴ πρὸ καιροῦ τι κρίνετε, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ κύριος, ὃς καὶ φωτίσει τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους etc.

καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. *Induite arma omnis generis divina, quo resistere possitis artibus Satanae fraudulentis. Neque enim nobis luctandum est cum sanguine et carne, sed cum potentibus ac principibus, cum moderatoribus harum tenebrarum, cum spiritibus malis, qui in regionibus aëriis versantur.* Quemadmodum Paulus omnino imagines amat a militia desumtas, quibus constantia summa et fortitudo hominis vere Christiani in repellendis omnibus, quae persuasionem eius et virtutem tentaverint, eumque vel ad professionem evangelii deserendam, vel ad alia male facta seducere voluerint, conspicua depingatur; ita etiam h. l. eiusmodi sermone figurato, ad animum excitandum aptissimo utitur, diligentiam summam et assiduitatem indefessam Christianis commendaturus, qua strenuos sese gerant, auxilio Dei iuvante, in superandis calamitatibus, quae homines inbecilles, cuivis rerum externarum vicissitudini cedentes, facile possint a professione evangelii abducere. Induere eos iubet πανοπλίαν arma cuiusque generis (quae phrasis praesertim de armatura veterum gravi, galeam, scutum, coreas, ensem, cingulum complectente, usurpata est, *Polyb.* 6, 21.) docetque addito θεοῦ, eiusmodi armaturam gravem intelligi, qualem Deus suppeditare possit, i. e. vires firmissimas, praesidia efficacissima, quae homini Christiano divinitus contingere possint, ad tentationes fortiter vincendas. Verbum quoque στῆναι in re militari et agonistica sollenne esse, de iis, qui pede firmiter consistunt, adversario probe repugnant, nec fugiunt, locus docet *Xenophontis* hist gr. l. 5. p. 439. Quanquam substantivum διάβολος per se spectatum de quovis calumniatore sive adversario humano intelligi possit; nostro tamen loco eandem potestatem ei vindicandam esse, cuius exempla plura eademque luculentissima in libris N. T. suppetunt, ut *princeps geniorum malorum*, Satanas, intelligatur, cum oppositio docet θεοῦ atque διαβόλου tum vs. 12. Neque alia desideramus N. T. effata, ubi Satanas calamitates et vexationes Christianis propter suam evangelii professionem perferendas excitasse, aut inpedimenta varia Apostolis (praeconibus evangelii) obiecisse dicitur. Cfr. 1. ep. ad *Thessalonn.* c. 2, v. 18. 1 *Petri* c. 5, v. 8. 9. Quemadmodum apud Petrum l. 2. verbis describitur: περιπατεῖ, ζητῶν τινα καταπίῃ, ita h. l. μεθοδεῖαι ei tribuuntur, machinationes callidae et fraudulentae, insidiae, quibus Satanas veluti supplantare et prosternere studeat hominem cum ipso luctantem (cfr. de hac voce schol. ad Aristoph. Plutum v. 109.). Imaginem quippe hominis Christiani cum Satana luctantis Paulo

haec scribenti ante oculos esse obversatam, verba ostendunt versus 12. quum Paulus sermone figurato continuando, quam arduum sit certamen, quod Christianos pro evangelio subire oporteat, hac ratione doceat: ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη etc. Neminem fugit phrasis hebraico-graeca αἷμα καὶ σάρξ, de homine ipso adhiberi solita, ita quidem, ut adiunctam habeat inbecillitatis, infirmitatis, inperfectionis humanae cogitationem. 1 *Corinthh.* 15, 50. Quae hominibus opponuntur, ἀρχαὶ et ἐξουσίαι, (ex usu notissimo abstracti pro concreto positi) haud dubie eiusmodi sunt naturae, quibus potentia quaedam et inperium competit. Cfr. intt. ad Matth. 9, 8. Vox rara κοσμοκράτορες (apud poëtas graecos subinde de Diis, rectoribus mundi adhibita) in libris auctorum iudaicorum, qui hoc vocabulum in suam linguam receperant, subinde de regibus et magistratibus, praesertim vero de Satana, spiritibusque malis (inter ethnicos veluti regnantibus) occurrit Cfr. Schoettgen. horae hebraicae et talmudd. ad h. l. Buxtorfii lexicon talmud. p. 1206. Quum Satanas inter homines idolorum cultui addictos, vitiositati indulgentes, pravos ac perversos efficaciam suam exserat, pluribus locis N. T. ἄρχων τοῦ κόσμου s. τοῦ αἰῶνος τούτου, s. θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου appellatur. Io. ev. c. 14, v. 30. c. 16, v. 11. 2. Corinthh. c. 4. v. 4. Quodsi lectio vulgaris: πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου recte se habet, sententia haec evadit: contra eos, qui huic saeculo tenebricoso inperant, s. qui potestatem exercent inter homines hoc saeculo viventes, erroribus multis vitiisque obnoxios. (Neminem latet, imaginem a caligine desumtam ad inperium ignorantiae et vitiositatis transferri, ad Ephess. c. 5, v. 8. ad Coloss. c. 1, v. 13.) Sententia vero primaria eadem manet, si verba τοῦ αἰῶνος (in pluribus quippe codicibus, et versionibus antiquis, itemque apud patres nonnullos hunc locum laudantes omissa) ex glossemate profecta esse statuimus, cui adscribendo alia loca, ubi αἰὼν οὗτος eodem sensu quo κόσμος dicitur, opportunitatem praebere potuerint. Etenim in promtu est, κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τούτου eos appellari, qui inperio quodam utantur inter homines tenebris quasi tectos et obvolutos, i. e. pravos et perversos. Quanquam verba ipsa, quae paucis interpretati fuimus, per se spectata permittunt, ut tota ῥῆσις: πρὸς τὰς ἀρχὰς etc. ad inperatores et magistratus Iudaeorum et Ethnicorum referatur, doctrinam Christianam vel odio vel contemtui habentes, eiusque propagationi inpedimenta varia obiicientes, praestat tamen, propter ipsam vocem κοσμοκράτορες (apud Iudaeos seriores admodum frequenter de Satana daemonibusque positam) *spiritus* intelligere *malos*. Accedit quod phrasis opposita πρὸς αἷμα καὶ

σάρκα ſuadet, immo efflagitat, ut haec interpretatio praeferatur. Docet Apoſtolus, non tantum cum hominibus certandum eſſe, ubi virtus Chriſtiana et conſtantia in religione profitenda tentetur atque ſollicitetur, ſed etiam cum naturis potentioribus, cum ſpiritibus malis ignorantiam et vitioſitatem adiuvantibus, conſiliis Chriſti ſanctiſſimis repugnantibus. Eadem notio ſpirituum malorum verbis deſcribitur poſtremis πρὸς τὰ πνευματικὰ etc. Neutrum quippe adiectivi τὰ πνευματικὰ vices gerit ſubſtantivi πνεύματα, ex uſu loquendi graeco exemplis haud deſtituto (cfr. Homeri Odyſſ. λ. v. 39.). Proinde πνευματικὰ τῆς πονηρίας i. q. πνεύματα πονηρά. Verba denique ἐν τοῖς ἐπουρανίοις nolim cum B. Moro [10]) et aliis ad illa ſuperiora ἐστὶν ἡμῖν ἡ πάλη propius referre, et vocem ἀγαθοῖς ſupplere: (pugnandum nobis eſt non tantum cum hominibus, ſed etiam cum naturis, quae potentiores ſunt etc. *propter praemia coeleſtia*, quae nobis contingent, ſi conſtantes fuerimus in religione et virtute.) Etſi enim ellipſis ſubſtantivi ἀγαθοῖς absque ulla duritie admitti poſſit; exemplo tamen nullo comprobare licet, totam ῥῆσιν: ἐν τοῖς ἐπουραν. ſatis commode (ſermoni graeco N. T. accommodate) verti: *propter* bona coeleſtia. Immo Spiritus mali (πνεύματα πον.) eſſe ſ. verſari dicuntur ἐν τοῖς ἐπουρανίοις i. q. ἐν τοῖς οὐρανοῖς (c. 1, v. 3.). Caveamus modo, ne mundum inviſibilem ſupremum (qui in libris V. T. tanquam ſedes electa Dei deſcribitur) h. l. ſub οὐρανῷ intelligamus. Quemadmodum noſtrates haud raro coelum commemorantes, de iis, quae homini oculos ſurſum tollenti apparent, de nubibus, de regionibus aëris ſuperioribus, de ſole, luna, ſtellis cogitant (quae Paulo quoque 1 Corr. 15, 40. σώματα dicuntur ἐπουράνια); ita h. l. ſpiritibus malis hoc praedicatum tribuitur, ut *in regionibus aëris ſuperioribus* frequenter dicantur commorari. Cfr. locus ſimilis huius ipſius epiſtolae c. 2. v. 2. ubi Satanas ἄρχων appellatur τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος. *Audimus igitur Paulum πνεύμασι πονηροῖς, ſpiritibus malis* (qui in evangeliis modo πνεύματα ἀκάθαρτα ſ. πονηρά, modo daemones appellantur) *eandem efficaciam tribuentem, quam diabolo* (Satanae) *vindicavit, idemque ſtudium, conſtantiam ac virtutem Chriſtianorum tentandi atque ſollicitandi* (conſiliis Chriſti ſanctiſſimis repugnandi). Eodem iure porro ad effatum provocamus 1. ad *Timotheum* epiſtolae c. 4. v. 1. τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων. *Spiritus divinus aperte indicat* (i. e. per viros adflatu divino gaudentes, neminem quippe la-

10) Cfr. *Mori* acroaſes in epiſtolas Paulinas ad Galatas et Epheſios, Lipſiae, 1795. p. [illegible]

tet, vocem πνεῦμα, ad exemplum hebraici רוּחַ, haud raro ad eam potiſſimum ſpiritus divini efficaciam ſpectare, quam prophetae intus experiantur) *paſthaec* (certo quodam temporis ſpatio elapſo) *nonnullos a religione vera defecturos eſſe, ita ut operam dent ſpiritibus mendacibus atque doctrinis daemonum.* Sequentia docent, Apoſtolum de doctoribus falſis cogitaſſe, qui pietatem eximiam ſimulaturi, et varii generis placita vana atque praecepta arbitraria Chriſtianis commendaturi eſſent, multosque decepturi. Sermone gravi uſus eiusmodi doctores fraudulentos πνεύματα πλάνα appellat, homines, qui Spiritibus malis (auctoribus et adiutoribus mendacii et fraudis, qui πνεύματι θεοῦ v. 1. ineunte commemorato opponuntur) ſimiles ſunt, eorumque indolem imitantur, ſive, qui facile cedunt et obſequuntur ſpiritibus malis, ad fraudes et mendacia ipſos inpellentibus. Reſpondet tota phraſis πνεύματα πλάνα רוּחַ שֶׁקֶר, 1 regg. 22, 22. Cfr. 1. ep. Io. c. 4. v. 6. ubi πνεῦμα τῆς πλάνης τῷ πνεύματι τῆς ἀληθείας opponitur, et ev. Io. c. 8. v. 44. ubi Servator de Satana dicit: ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, ὅτι ψεύστης ἐστὶ, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. Ipſa vero placita et praecepta vana et fraudulenta, ab eiusmodi inpoſtoribus et ſimulatoribus commendata Apoſtolus tanquam διδασκαλίας deſcribit τῶν δαιμονίων. Non negamus, haec verba, per ſe ſpectata, ita comparata eſſe, ut Genitivus δαιμονίων obiectum doctrinae innuere, ideoque tota formula *doctrinam de daemonibus* [11]) ſignificare poſſit. Exiſtimant quippe interpretes, qui hanc rationem ſequuntur, Apoſtolum daemonologiam innuiſſe ſubtiliorem, qualem Eſſeni potiſſimum ſectati fuerint [12]). Verum enimvero, quum Paulus v. 3. ubi notionem univerſam harum διδασκαλιῶν δαιμονίων exemplis illuſtrat ſingulis, ne verbulum quidem de *dogmatibus* ad *daemones* ſpectantibus dixerit, ſed alia plane commemoraverit; praeſtat, opinor, praeſertim verbis modo illuſtratis πνεύμασι πλάνοις praeeuntibus, ſub διδασκαλίαις δαιμονίων, in hac orationis ſerie, *doctrinas* intelligere *a daemonibus oriundas* ſ. *ſuppeditatas* (cfr. phraſis ſimilis σοφία δαιμονιώδης ep. Iacobi 3, 15.), placita vana eiusmodi hominum, qui ſeſe inpelli patiuntur a ſpiritibus malis, ut ea proferant atque commendent, quae homines Chriſtianos a veritate evangelii abducant. Proinde etiam hic locus aptus

---

11) Similiter πίστις dicitur τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ ad Galatas 2, 20. et διδαχὴ βαπτισμῶν apud Hebraeos 6, 2.

12) Ioſephus (T. II. Opp. p. 163. ed. Haverkamp.) de *angelis* certe perhibet, Eſſenos myſteria multa iactitaſſe, ipſis cognita, ceteris abſcondita, de nominibus angelorum.

est ad demonstrandum id, quod volumus, *Satanae daemonibusque* (Spiritibus malis s. inpuris) *in libris N. T. unam eandemque efficaciam, idemque studium vindicari.* Ceterum, quemadmodum apud *Matth.* 25, 41. *angeli Satanae* (nuntii eius) commemorantur (cfr. Apocal. 12, 7.) ita aliis locis permultis *Spiritus inpuri* (*daemones*) tanquam legati et ministri Satanae describuntur, quorum ope hominibus varii generis mala et incommoda paret. Matth. 12, 24. ss. Marci 5, 22. ss. Luc. 11, 16. ss. 10, 17. sq. 15, 10. Actt. 10, 58.

Quae quum ita sint, concedendum omnino esse videtur, Satanam, angelos olim lapsos, easque naturas, quae daemones sive πνεύματα ἀκάθαρτα (s. πονηρά) audiunt, in libris N. T. ad *unum idemque genus* naturarum referri, ita ut hos omnes recte complectamur communi nomine *spirituum malorum,* qui principem habeant Satanam; etsi lubenter agnoscimus, *ex usu loquendi Iudaico* (interpreti N. T. probe observando) ad eos, qui daemones appellantur, animos quoque hominum inproborum vita defunctorum pertinere, qui post mortem daemones exstiterint, ideoque, quod *originem* attinet, ab angelis olim lapsis eorumque progenie differant.

IX.

DE METAMORPHOSI ROSTRI PICI
ET DE GENERATIONE MVCORIS IN ORGANISMO ANIMALI.

Programma

quo ad audiendam orationem aditialem d. III. Nov. MDCCCXXI. (hor. XI.) habendam
invitat

CAROLVS FRIDERICVS HEVSINGER,

D. MED. ET PROF. EXTRAORD.

„Nec perit in tanto, mihi credite, mundo,
Sed variat faciemque novat, nascique vocatur,
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante, morique,
Desinere illud idem."

Commentatiuncula, quae post festum paschale anni instantis in publicum prodibit et cui titulus erit: „De Organogenia sive de corporum organicorum primordiis in organismorum vegetabilium et animalium, infimorum generum, evolutione et metamorphosi conspiciendis" munus mihi oblatum auspicari in animo habui; cum vero in novis academiae statutis decretum esset, ut quivis professor designatus *ante initium* praelectionum suarum et commentationem scribat, et orationem habeat, paucorum dierum spatio, ad eas elaborandas, mihi concesso, consilium mutare et aliud argumentum quaerere debui; quo factum est, ut longioris commentationis loco paucas tantum pagellas offerre possim; spero tamen fore, ut viri docti observationum enarratarum novitate exiguum verborum numerum paululum compensatum esse censeant.

1. *De rostri pici metamorphosi.*

Caput avium, aeque ac quadrupedum, et praesertim hominis caput, a prima conformatione ad perfectum usque statum certos formationis gradus percurrit, qui nondum ea, qua par est, attentione observati esse videntur; rostrum praesertim formam unicuique avium familiae peculiarem satis longo, post exclusionem ex ovo, temporis spatio elapso, quando nempe aves ipsae victum petere incipiunt, induere solet; in nulla autem alia avi mutationes rostri maiori cum admiratione contemplatus sum, quam in pico, praesertim quia mechanica harum mutationum causa tam aperta esse videtur, ut eam extra omnem dubitationis aleam positam esse existimem.

Vere praeterito pici medii nidus cum duobus pullis ad volandum firmatis mihi apportabatur, quo tempore ossium alarum evolutionis observatione occupatus fui [1]), et multas diversae aetatis aves dissecui, picorum igitur quoque unum statim necavi, alter autem iam die sequente nidum reliquit et ipse sibi victum quaerere coepit, qua de causa toto die cubiculum perambulans omne, quod ligneum erat, rostro tundebat; continuo hoc strepitu fatigatus eum, octo diebus elapsis, quoque necavi. Postea sceletorum comparationem instituens notabile discrimen inter rostra animadverti: In iuniore, qui nondum ipse sibi victum quaesiverat et praesertim nondum rostro tutuderat, sutura, qua ossa nasi ossibus frontis et maxillae superiori iunguntur, fere in plano inclinato sita est, saltem ossa frontis paulum tantum prominent et sutura nullo modo ab illis tegitur; in eo autem pico, qui per octo dies rostro tutuderat, sutura illa primo adspectu non apparet, sed in sulco occultatur, ossa frontis et processus nasales maxillae superioris (ossa naso-maxillaria *Nitzschli*) plus lineae latitudine prominent et ossa nasi sub illa intrusa esse videntur. Figurae adiectae rem in clariorem lucem ponent.

2. *De generatione mucoris in organismo animali.*

Praeter illud, quod iamiam enarraturus sum, exemplum generationis mucoris in saccis avium aëriis, duo alia ab auctoribus celeberrimis observata et descripta inveniuntur: Primum cl. *Mayer* [2]) in ill. *Meckelii* Diario physiologico cum

---

1) Quaedam circa hanc rem observationes in ill. *Meckelii* diario physiologico jam publicavi (Vol. VII. F. II.), alias brevi tempore in eodem diario cum lectoribus communicabo. (Vol. VIII).

2) *Verschimmelung im lebenden Kör-*

viris doctis communicavit, alterum cl. *Jäger* 3) in eodem diario enarravit. Brevem harum obſervationum expoſitionem dabo, tunc propriam communicabo.

Corvus glandarius, qui die praecedente triſtis fuerat et ſpiritum cum difficultate duxerat, nocte moriebatur, et aliquot tantummodo horis, poſt mortem, elapſis a viris celeberrimis *Mayer* et *Emmert* avis corpus incidebatur; viri clari omnia viscera ſana inveniebant exceptis pulmonibus, quorum ſubſtantia degenerata et illi hepatis ſimilior erat, praeterea in hac maſſa corpuscula alba cretacea paſſim conſpiciebantur; bronchis apertis mucor 4) in conſpectum veniebat, qui eo loco, ubi bronchus pulmonis degenerati ſubſtantiam intrabat, internae illius membranae ſuperficiei inſidebat et per omnes bronchiorum ramos continuabatur, in pulmone dextro quoque foramen in ſaccum aërium abdominalem hians egrediebatur, ita tamen, ut degeneratas tantum, nuspiam ſanas pulmonum partes occuparet. Cl. *Mayer* mucorem per tres dies conſervavit et nullas mutationes in eo animadvertit, humectatus autem corrumpebatur.

Cl. *Jäger* ſub finem menſis Januarii 1810 cygnum marem adultum diſſecans, ſaccorum aëriorum parietes valde incraſſatos et cartilaginoſa duritie praeditos conſpexit; horum ſaccorum maximus maſſam continebat fibroſo-lardaceam; quidam in loculamenta diviſi erant; ſacci minores vacui erant, vel quasdam humoris limpidi guttulas continebant, omnium autem parietes mucore viridi obducti erant, illi in pomis aurantiis frequenter obvio ſimili.

Iam ad meam me converto obſervationem:

Sub finem menſis Iulii h. a. mulier e pago Hökelsheim, prope Nordheim, ciconiam grandem adultam marem ad me Göttingam portavit, cum haece aves in agro Göttingenſi rariſſimae ſint, ex illa quaeſivi, quomodo hanc avem nacta ſit? reſpondit maritum ſuum eam pridie in prato quodam ambulantem vel potius aegre ſe trahentem offendiſſe et domum portaſſe, ubi nocte praeterita mortua eſſet. Eodem adhuc die avem diſſecui, nullam laeſionem externam vidi, nullum putredinis veſtigium aderat, musculi rubicundi erant, nec ulla avis pars putridum exhalabat odorem; viscera omnia, excepto ſyſtemate reſpiratorio, ſana conſpexi,

---

per von A. C. Mayer. Meckels Archiv f. d. Phyſiol. B. I. H. 2. p. 310.

3) *Ueber die Entſtehung von Schimmel im Innern des thieriſchen Körpers von D. G. F. Jäger.* Ibid. *B.* II. *H.* 2. p. 354.

4) Loquitur auctor paſſim de byſſo, ſed mucorem fuiſſe e deſcriptione patere videtur.

ventriculus quasdam ranae partes continebat, omnes autem saccos aërios singulari quodam modo mutatos offendi; abdomine enim aperto statim in conspectum veniebant sacci aërii maximi, renibus incumbentes et cum illis connati, rubicundo colore praediti, incisi non collabebantur, odorem autem spargebant illi caseorum novorum, mucedine obductorum simillimum, adeo, ut, si quis eodem tempore cubiculum intrasset, tales caseos in illo adesse crediderit; incisi saccorum parietes propius indagati valde incrassati inveniebantur, erant enim unius, duarum et quod excurrit linearum crassitie, eorum substantia satis tenax, in plures laminas fissilis erat, quarum extima, faciliori negotio separanda (naturalem sacci membranam fuisse puto) magnum vasorum minimorum numerum ostendebat, interiores autem laminae massae albuminosae densatae speciem prae se ferebant, et intima satis longo mucore mucedine tota obducebatur, in sacci cavo nullus humor animadvertebatur. (Horum saccorum unum adhuc in spiritu vini servo.) Sacci aerii minores, superiores, infra pulmones siti eodem modo incrassati et mucore obducti erant, sed minus, quam maiores, destructi, in lamina praesertim extima facilius adhuc naturalis sacci membrana recognoscebatur, inter mucorem et laminas intimas stria nigra animadvertebatur, quae microscopio lustrata e mucore siccato, densato formata esse videbatur, qua de re autem nullo modo certus sum. (Horum saccorum unum servat praeceptor summe venerandus *Blumenbach.*) Maiori autem cum admiratione saccos aërios inter musculos pectorales sitos, qui in ciconia maximi sunt, lustravi, horum membrana naturalem prae se ferre speciem videbatur, hic illic tantummodo parvos mucoris propullulantis acervulos conspexi; membranam a musculis, quibus incumbebat, separavi, quo facto superficiem illius externam microscopio perlustrans non sine admiratione sub unoquoque mucoris acervulo minimorum vasorum penicillum animadverti, tunc superficiem membranae internam, quae oculis nudis visa nullam mutationem morbosam ostendebat, microscopio contemplans hanc quoque punctulis minimis mucoris propullulantis obsitam vidi, caeterum membrana non incrassata fuit et punctulis illis exceptis nullo modo a naturali conditione aberrare visa est. Pulmonum parenchyma sanum fuit, et in ipsis bronchiis nullum mucoris vestigium conspexi. Ossium cava lustrare debuissem, sed sceleton perdere nolui, sceleto siccato quasdam maculas in ossibus aëre repletis conspexi, quae a mucore exsiccato originem traxisse videbantur. Tunc quoque costam sinistri lateris fractam fuisse, sed iam paene consanatam esse animadverti.

Quum celeberrimus *Schrader* mucorem in aliquot horarum ſpatio oriri et ad perfectionem venire, ſe saepius obſervaſſe mihi dixiſſet, musculum pectoralem cum ſacco aërio ei adnato, in cuius membrana vix prima mucoris propullulantis veſtigia conſpiciebantur, charta leviter tectum in loco umbroſo ſervavi, ſed tribus diebus elapſis ne minimam quidem in hoc mucore mutationem animadvertere potui, nullo modo creverat, poſtea musculus ipſe in putredinem abiit et tunc omnes partes novo et denſiſſimo mucore obducebantur.

Mucorem *Mucedinem* fuiſſe dixi, ſed cryptogamiae non adeo gnarus ſum, ut falli nequirem, forſan ad aliam referendus erit ſpeciem.

Tribus obſervationibus inter ſe comparatis mucorem animali adhuc vivente ortum eſſe, mea ſaltem et *Mayeri* obſervatione veriſimilius reddi videtur; mucorem autem in degenerata tantum et (durante vita) forſan iam putrescente, et universi corporis legibus non amplius obtemperante, maſſa genitum fuiſſe, ex obſervationibus allatis, et ex odore caſeoſo, concludere poſſemus 5), niſi ea, quae in ſacco aërio pectorali obſervavi, huic ſententiae adverſari viderentur; ſi hae obſervationes ab aliis quoque auctoribus confirmarentur, tunc — — forſan mucor in numerum corporum vegetativorum in animalium corpore crescentium 6) (*Afterorganiſationen*) recipiendus eſſet. Maxima autem illorum corporum paraſiticorum pars, me quidem iudice, ex illa materia animali formativa (*Urthierſtoff Döllinger*) 7) oritur, quae vaſorum finibus interpoſita eſſe videtur; eorum ſeriem ſecundum eaſdem leges formatam conſpicimus, quibus natura in formandis omnibus organismis vegetativis et animatis infimorum ordinum obtemperare ſolet, ſuperiorum autem ordinum animalia et plantae nihil ſunt, niſi congeries or-

5) Quam ſententiam quoque defendit vir ſcientiis, proh! dolor!, praematura morte ereptus. *Schweigger* (*Handb. d. Naturgeſch. d. ſkeletloſen ungegl. Thiere* p. 269.)

6) Praeeunte v. *Olfers* hac voce non admodum conveniente utor.

7) Quae vero nihil aliud, quam *tela mucoſa*, eſſe videtur, proprietates enim phyſicae et chemicae, quae a viris celeberrimis in hac tela obſervatae fuerunt, cum iis, quas cel. *Döllinger* materiae formativae tribuit, ſatis bene congruere videntur. Compar.: *Bordeu ſur le tiſſu muqueux à Paris* 1767. C. F. *Wolf de tela, quam dicunt celluloſa, obſſ. Nov. Act. Petrop.* Tom. VI. VII. et VIII. — *Rudolphi Phyſiologie. B.* I. p. 72. — G. R. *Treviranus in Treviranus verm. Schr. B.* I. p. 125. c. icon. elegant. Tab. XIV. fig. 73. — *Döllinger, Was iſt Abſonderung? u. ſ. w.* pl. I. — Hanc primigeniam corporis animalis partem in „ſyſtemate Hiſtologiae" ſub nomine *telae formativae* deſcripſi.

gansismorum infimorum ordinum, res, cuius idea mater forsan latet in celeberrimo illo scripto de Metamorphosi plantarum, et quam nuper in plantis experimentis demonstrare conatus est celeb. *Agardh* [8]), quae vero, me quidem iudice, nusquam faciliori negotio in claram lucem poni potest, quam attenta illorum corporum parasiticorum contemplatione.

Saccos istos aërios in gallinis saepius fero repletos et cum viis aëriferis non amplius communicantes offendi, interdum quoque illorum parietes vesiculis et granulis e materia albuminosa formatis obsitos vidi, ubi vesiculas e granulis originem traxisse puto, eodem modo, quo globuli in plantarum radiculis in vesiculas mutantur. 9) Ista granula interdum in mucorem mutari posse, res est, quae mihi non adeo mira esse videtur.

Huic sententiae rationes, quae ex analogia eorum, quae in plantis accidunt, repeti possunt, fidem facere videntur; innumeras nempe Coniomycorum species (praesertim *Uredines*) in plantarum foliis *sanis* e succi formativi (*Bildungssaft*) globulis et vesiculis formari, egregii perhibent botanici [10]).

Liceat adhuc magnam, quae, quoad chemicam indolem, ut viri celeberrimi *Humbold*, *Braconnot*, *Vauquelin* nos docuerunt, fungos inter et substantias animales intercedit, similitudinem lectoribus in memoriam revocare.

---

8) *Diss. de metamorphosi algarum, quam praes. Ad. Agardh* def. *J. Akermann. Lund.* 1818. 8. Confer. *Sprengel Neue Entdeckungen in der Pflanzenkunde B.* II. *S.* 339, ubi aliorum quoque auctorum sententias et observationes allatas invenies. In animalibus eam praesenserunt *Buffon* (Hist. nat. tom. II) et *O. F. Müller* (Animal. infus. p. 24. 25.) et (Eiusd. *Gabelschwanzraupe. Leipzig* 1775. p. 73.) Quoad plantas hacce de re nuper optime disseruit cel. *Hornschuch* (*Verhandelungen der Akad. der Naturf.* Vol. X. *Th.* II. p. 515 caet.)

9) Vid. *Bauer* in *Home über die Veränderungen des Blutes bey d. Gerinnen.* Phil. Trans. 1818. (*Meckels Archiv f. d. Phys. B.* V. *H.* 3. p. 373.). Compar. observationes eiusdem viri celeberrimi de mutatione puris in carneas papillas (loc. mod. cit. p. 383.) et cel. *A. Meckel über die Darmzotten* (*Meckel Archiv f. d. Phys. B.* V. *H.* 2. p. 163.).

10) Vid. *K. Sprengel Grundzüge der wissensch. Pflanzenkunde*, p. 370. Nuper cel. *El. Fries* hanc sententiam praesertim defendit quoad Uredinem (*Om Brand och Rost* etc. Lund. 1821. 8.) et quoad plantas mycetoideas in genere (*El. Fries systema mycologicum.* Vol. I. 1821). In eandem fere sententiam abire videtur mod. laudat. *Hornschuch.*

Hinc celeb. *Rudolphi* 11), qui mucoris generationem in organismo animali vivente pro re, quae fieri non possit, habet, assentire nequeo.

Saccus aërius maxime destructus sub ipsa illa costa fracta situs erat, hinc morbum saccorum aëriorum ex hoc vulnere, quod avis (lapidis ictu vel in pugna?) acceperat, ortum esse verisimile est.

Caeterum observatio varia, quae olim vel videram vel legeram, ad hanc rem spectantia, in mentem revocavit: e. g. in piscinis divitum Gandaviensium magna cum voluptate cyprinos annosos observavi, quorum dorsum totum materia vegetabili, quam nostrates muscum carpionum (*Karpfenmoos*) appellare solent, obductum erat, et quae animalis corpori satis firmiter adhaerebat. *Schrankius* hoc vegetabile pro singulari Confervae specie habuit, cui *Confervae piscium* nomen dedit. Sed audiamus his de rebus doctissime disserentem experientissimum *Mertens*. 12) In dorso larvarum quarundam Cicadarum clavaria quaedam semper crescere solet. 13) *Clavaria militaris crocea Mülleri* semper in insecto putrescente crescit. 14) Alia *Clavaria* in ulceribus neglectis corporis humani crescit. 15)

Sed omnes hi fungi et confervae, qui certorum tantum animalium specierum corpus incolunt, re vera vel partibus insident, quae potius anorganicis corporibus adnumerandae sunt, vel e partibus iam putrescentibus enascuntur.

---

11) *Physiologie B. I. p. 292.*

12) „*Schrank beschreibt in seiner Baierschen Flor eine Conferva piscium, die er an verschiedenen Theilen des Leibes, vorzüglich aber an den Kiemendeckeln der Orfe beobachtet hatte. Bloch bemerkte dieselbe an dem Rücken des Karpfen. (Nat. Gesch. d. Fische Deutschl. Th. I. S. 109.) Die Schaalthiere sowohl des Meers, als des süssen Wassers, dienen ebenfalls verschiedenen Phytozoen zum Befestigungspunkte. Sollte dies nicht mehr als zufällig seyn? Auf einer schwarzen Schnecke befindet sich in unsren gewöhnlichen Wiesengräben ganz ausschliesslich eine Varietät des Batrachospermum moniliforme R., auf einer andern die Rivularia convervoides R. Eine andre noch unbeschriebene Art entdeckte ich vor zwey Jahren auf Schnecken im Braunschweigschen.*" *Treviranus Biologie. B.* II. p. 23.

13) *Wattson und Hill. Phil. Trans.* Vol. LIII. p. 271. — *Fougeroux Mém. de l'Ac. d. Sc. de Paris*, 1769. p. 467.

14) *O. F. Müller in Nov. Act. Acad. Nat. Cur.* T. IV. p. 215.

15) Docente *Schweigger* (*Handbuch d. Naturgeschichte der skeletlosen ungegliederten Thiere.* p. 269) in nosocomio Parisiensi, *Hôtel-dieu* dicti, non raro observatur.

Viri celeberr. *Wrisberg* [16]), *Monti* [17]) et *Treviranus* [18]) in numerosis suis experimentis mucores e putrescentibus tantum corporibus animalibus et vegetabilibus nasci viderunt; nascebantur luce exclusa, sed nunquam excluso aëre; *Treviranus* [19]) in gase hydrogenio quoque mucorem nasci observavit.

Sed quidnam tandem est putrescentia? Nonne ipsa illa generatio corporum parasiticorum, et animatorum et vegetativorum, in corpore animali vivente (e. g. tuberculorum, hydatidum, lumbricorum caet.) iam putredinis species est? Nonne eam divisionem, solutionem corporis in parasita vocare possemus? [20]) Et ipse *Treviranus* [21]) alias actiones chemicas animalium infusoriorum, alias mucoris generationem comitari observavit.

Valde memorabilem nuper feci observationem, quae pilorum evolutionem lichenum et confervarum generationi persimilem esse probat, detexi nempe pilorum prima germina, sub epidermide foetus, sub forma globulorum pigmenti secerni, qui globuli in vesiculas mutati in pilos evolvuntur. [22])

Reiteratis igitur tantum observationibus institutis decidere poterimus, quomodo mucor in avium saccis aëriis nascatur; nam:

„*Where learned doctors disagree, I am not to decide!*"

16) *Observ. de animalculis infusoriis satura*, p. 92.

17) *Commentar. Acad. Sc. Bonon.* Tom. III. p. 145.

18) *Biologie. B.* II. p. 319.

19) L. c. p. 330.

20) Conferantur, quae circa putredinem monuit celeberrimus *Oken*, praeceptor pie colendus, in libro, quem inscripsit: *die Zeugung*, *S.* 19. seq.

21) L. c. p. 329. seq.

22) Rem fusius descriptam et iconibus illustratam invenies in *Meckelii Diario physiologico* Vol. VII. Fasc. III et Fasc. IV.

X.

MIMICES ET PHYSIOGNOMICES
FRAGMENTVM PHYSIOLOGICVM.

Quod
consentiente gratioso Medicorum Ordine
pro venia docendi rite impetranda
a. d. XXVIII. m. Iul. MDCCCXXI
publice defendit
auctor

AEMILIVS HVSCHKE,
MED. ET CHIR. DOCTOR.

PRAEFATIO.

Etiamsi multum de erroribus Physiognomices disputatum sit, tamen nostris temporibus vix unus erit, qui naturae peritus illi veteri adagio: Fronti nulla fides, plus momenti et fidei, quam cuique alii exceptioni tribuendum putet, et millia aliorum opponuntur. Physiognomices omnium temporum et multorum populorum vestigia, historicum documentum, instinctum hominis argumentum innatum exstat, et, si scientia rationes horum phaenomenorum reddit, ratio ipsa, ille Scepticus, deductionem et caussas affectans contenta quaestiones non amplius movet. Quae Lavatero et aliis ad *formam* ipsam faciei, quae porro Engelio ad *motum* dispiciendum reperire per acumen ingenii et multas observationes contigit, hucusque tantummodo empirice collata et composita prostant; deficiunt enim altiores, cur hic vel ille animi motus et mentis facultas non modo certo et

immutabili motu ſed etiam facie exprimatur, rationes. Quae ut reperiantur, tantummodo altior Phyſiologia prodeſt, et hac ſolum ſcientiâ leges, quibus innituntur haec phaenomena, inveniri poſſunt. Illae obſervationes empiricae neceſſe eſt, ut ad maxime univerſales vitae organicae leges reductae, inde explicentur et deducantur. Leges igitur, quas ſinguli et trunci et faciei motus in animi affectibus ſequuntur, non prius proponi licet, quam cognitâ ſingularum partium, quae motus efficiunt, et ſignificatione et metamorphoſi. Enimvero ſi ſcimus e. gr. quam minime diverſa a reliquo corpore ſit faciei ſtructura et cum eo maxime comparabilis, ſi compertum habemus, ad quasnam praecipue partes accedat, neque in conſiderandis eius motibus certa puncta comparationis deficient. Significatio ſingulorum igitur faciei lineamentorum tantummodo comparatione cum motibus inferioribus, quos repetunt, invenietur, et hac tantum viâ ille Proteus, facies dictus certam rationem in variis metamorphoſibus prodet. Usque ad incipientis ſeculi tempus maſſae et carneae et oſſeae capitis ante oculos poſitae iacebant quaſi rudis et indigeſta moles, cuius automatici motus atque formae multiplices et intricatae non comprehendebantur. Lavater quidem, aliique evidenter in eo ſpeculum mentis, ianuamque perſpiciebant, at impotentia Phyſiologiae eius temporis tenebras diſſolvere haud potuit, imo ipſius trunci motuum concentus, quoad Mimicen, quantum ego ſcio, hucusque intactus inter Phyſiologos iacuit. Etiamſi enim eius motus et partes, quae movent, ſingulae cognitae erant, tamen rationem, ex qua in certis animi mentisque motibus provocarentur, excluſis Phyſiologis, tantum mere philoſophi maximam partem inquirebant, qui, phyſiologicis legibus et Organismi metamorphôſi haud reſpectis, ad ſolas ipſorum mentis leges in explicando confugiebant. Quum itaque mihi in conſilio ſit, motum praecipue ad Mimicen et Phyſiognomicen conſiderare et phyſiologicas leges quaerere, procul dubio, antequam ad explicationem ſingulorum faciei lineamentorum et motuum trunci in animi affectibus me accingo, primum metamorphoſis iſtorum organorum moventium examini ſubiicienda et praemittenda videtur. Brevitatem utriusque capitis huius ſcripti deſtinatio, inperfectionem materia ipſa excuſabunt.

I. *Pars anatomica.*

§. 1.

Polaritatis lex, tametsi per omnes vitae processus pateat, clarissime tamen in motu corporum obvenit, unde factum, ut praecipua, quibus generalis antagonismus exprimebatur, Symbola a motus polaritate depromerentur. Organicum motum considerantibus nobis idem in movendo antagonismus in primordiis huius regni obviam venit, quo anorganica iamiam utuntur; tota enim massa inferiorum animalium homogeno muco et gelatina constans duplicem motum exhibet, alterum in semetipsam conversum (centralem, contractivum etc.), alterum externa respicientem (periphericum, expansivum etc.), tota massa contrahitur expanditurve, propriis scilicet organis motoriis nondum existentibus. Partes ad movendum corpus propriae si exoriuntur, linearem imprimis petunt formam, nempe Extremitatum et fibrarum muscularium, ut altiorem metamorphosin formae punctorum, quibus omnia inferiora animalia constant. Dum in intestino vasa oriuntur sanguifera, contra in cute praecipue musculares fibrae quasi arteriae cutaneae enascuntur, non quasi productiones arteriarum et systematis sanguiferi sint, sed potius earum repetitiones in cute. Etiamsi enim hucusque certo nondum liqueat, utrum singulis fibris canalis ut vasis insit, nec ne, tamen Trevirani [1]) observationes annuunt, iis quoddam inesse fluidum, quod gelatinam esse existumat, qua per nervorum actionem coagulata musculus contrahatur. Neque erit certo, qui chemicam in actionibus muscularibus mutationem musculi negaverit, cum omnis vita organica chemico quoque modo agat; at nostri seculi chemici non facile contractum musculum ab expanso discreverint elementorum diversitate.

§. 2.

Si simplicissimam polaritatis muscularis formam in tractu intestinali et vasis sanguiferis consideras, linearem et sphaericam vides, nempe fibras longitudinales et circulares (Sphincteres). Quorum illae praecipue in ano etc. evidenter Antagonistae sphincterum sunt et partem, in qua enascuntur, expandere videntur, cum contra Sphincteres contractionem intestini efficiant. Unde pronum est, intelligere, illas, si cum animali systemate musculari confers, quodammodo Extensoribus etc., hos contra Flexoribus etc. homologos esse. Quod in intestino longitudinalis fibra

---

1) Treviranus Biologie, Bd. 5.

vel levator vocatur, in cute contra plerumque Extenſor, Inſpirator etc.; quod illic ſphincter, in cutis perfectiore muscularitate Flexoris, Exſpiratoris etc. nomen accipit. Etenim fibrae musculares et ſyſtema musculare ut primum in cute oriuntur, eodem antagonismo ſeparantur in duas partes, nihil conſtituentes, niſi repetitionem cohaeſionis et expanſionis, quibus iam anorganica et inferiores Organismi nullis ad motum organis propriis inſtructi gaudebant. Oritur enim latus cohaeſionis (flexionis) et latus expanſionis (extenſionis), quorum primum anteriore ſeu inferiore corporis planitie ventrali dicta, ſecundum dorſo ſeu planitie lumini adverſa repraeſentatur. Ita fit ut e. gr. in vermibus quatuor fibrarum lacerti ſibimet ipſis oppoſiti reperiantur, quorum duo dorſo affixi extenſionem efficiunt, duo ventri adnexi ad flexionem corporis provocandam faciunt. Eadem ſimplex musculorum polaritas in inſectis, ipſisque piscibus cernitur; nam pisces duobus utuntur in quoque latere ſtratis muscularibus, quae per lineam lateralem corporis inter ſe ſeparantur ita, ut perfectiſſime illis inſectorum et vermium musculis ſe accingant per tracheas inter ſe ſegregatis, cum procul dubio lineae lateralis piscium aperturae et ſacci ſecernentes ſtigmatibus et tracheis Inſectorum ſeu, ſi mavis Hirudinis cryptis reſpiratoriis reſpondeant. Qui ſimplices hotum inferiorum animalium musculi, ſi comparationem cum ſuperioribus adiicere lubet, non dubito, quin maxime cum Intercoſtalibus vinculo analogiae coniungantur. Intercoſtales musculi omnium ſunt primarii et fundamentales, unde ceteri originem petunt, ita ut reliquos omnes Intercoſtales tantummodo commutatos et perfectione et libertate excellentes nominare liceat.. Externi Intercoſtales, etſi usque ad anteriora prodeunt, tamen dorſo et extenſioni, interni contra ventri et flexioni magis adſcribendi videntur.

§. 3.

Propria autem membra motoria, ſi ex corpore vermiformi verticaliter poſita procedunt, quae alias pilorum ſpeciem referunt, alias branchiarum fibrillis, alias denique pinnis [a]) etc. repraeſentantur, duas habent partes, et latus flexionis (*vo-*

a) Pinnas piscium et omnes ſuperiorum animalium analogas partes nil aliud puto, niſi branchias oſſium ſcapularium piscium; nam ſtructurâ ſi paullo accuratius inquirere velis, eâdem gaudent ambae; quaeque fibrilla branchialis duabus laminis oſſeis dentatis conſtituitur, quae in pinnarum ſingulis partibus redeunt, ita ut ſinguli digiti cum ſingulis fibrillis arcus branchialis comparandi ex duabus partibus conſtare primâ origine videantur. Tantum abeſt, ut totus arcus coſtalis a dorſo usque ad pectus obſitus ſit

lam) et latus tensionis (*dorsum*), quorum illud ventri obvertitur, hoc autem dorso. Illam musculi flectentes, hoc extensores occupabunt. Seu, si mavis ita dicere, ex illis vermium etc. duobus stratis muscularibus intercostalibus oppositis ad mediam costam fibrae tendunt, ubi pinnarum officula eriguntnr, iisque affiguntur. Ita Adductores et Abductores nascuntur, quorum illi a ventre, hi a dorso originem ducunt. Ergo hos musculos (e. gr. Pectorales, Latissimum dorsi, Adductores femoris et Glutaeos) si accurate definirem, nominaverim Intercostales ad membra motoria relatos, seu Flexores et Extensores humeri et femoris. Quae musculorum strata in piscibus a dorso et pectore usque ad pinnas (digitos) tendunt, neque adsunt singulares pro singulis extremitatum articulis musculi, quoniam, etiamsi humerus, ulna et radius adsint, tamen certe moveri non possunt, exceptis carpi vel metacarpi ossibus. Exortis autem articulis hi duo musculi dorsalis et pectoralis subdividuntur, ita, ut proprium in singulis extremitatum ossibus ortum habentes Extensores et Flexores articulorum nascantur, quorum igitur illos iure Latissimos dorsi vel Spinatos, hos vero Pectoralium continuationes nominari liceat. Uti enim simplicia ossa in multa extremitatum dividuntur, ita musculi etiam Extremitatum e simplicibus Intercostalibus ad mediam costam (acetabulum) directis divisione proveniunt. Inde fit, ut Biceps brachii in ranis adhuc a sterno oriundus caput humeri transcendat et consueto loco affigatur, ut igitur simul Pectoralem minorem repraesentet, qui in superioribus demum animalibus plane a Bicipite separatur. Quorum duorum musculorum confluxus diserte probat, quomodo extremitatum muscularia strata originem ab Intercostalibus petierint; non enim credo ullum fore, qui pectoralibus musculis nomen liberiorum et auctiorum Intercostalium recusaverit. Tantum enim abest, ut singulae horum musculorum portiones ad proximam costam applicentur, ut potius plures costas transilientes co-

---

officulis branchialibus, sicuti in branchiis, ut ad mediam potius costam magis, magisque concentrata officula et numero diminuta denique ad quinque redigantur i. e. ad quinque digitos, qui numerus per Vertebratorum reliquam seriem fere semper constat. Ergo extremitates, si metamorphosin respicis, branchias et ossa respiratoria nominare licet ad motum praecipue efficiendum commutata. Ex hac metamorphoseos aequalitate evenit tantus ille in omnibus animalibus consensus inter organa respiratoria et motoria, ut non solum in multis ambae functiones in uno organo conjungantur, verum in superioribus animalibus motus celer celeriorem reddat respirationem etc.

ſtae ſcapulari (claviculae et ſcapulae) admodum prae ceteris auctae affigantur. Ergo idem intereſt discrimen inter Pectoralem et Intercoſtales, quod in levatoribus coſtarum longis et brevibus videmus, quod porro in multis aliis conſpicere licet. Musculi eo tantummodo liberiores et perfectiores redduntur, ut fili Intercoſtalium ſpatium intercoſtale ſeu ſingularem corporis articulum (qui coſtâ et vertebrâ indigitatur) tranſilientes ad alium remotiorem tendant, maioresque evadant, unde fit, ut ob exiguitatem Intercoſtalium materna dignitas et evolutio omnium musculorum ex his non clare amplius appareat. Bene autem videtis ad Intercoſtales referendos quoque eſſe Interſpinoſos, Intertransverſarios, qui idem valent in dorſo, quod Intercoſtales proprie ſic dicti in anteriore corporis parte. Articulationem vermiformem corporis enim indicant et eo nobiliores fiunt, ut plures articulos transiliant et complectantur.

§. 4.

Itaque per Pectorales et Spinatos etc. Flexores et Extenſores ſuperioris extremitatis nascebantur, quod in piscibus clariſſime apparet. Si duplicia oſſa in antibrachio evolvuntur, alterum profecto ad dorſum, alterum ad ventrem pertinebit, illud humero affigetur, ubi praecipue Extenſores adhaerent, ergo ad condylum externum, hoc contra condylo flexorio admovebitur. Os lateris extenſorii antibrachii *radius*, flexorii *ulna* vocatur. Si procedis ad manum, radius dorſalis continuatur et multiplicatur in tertium, ſecundum digitum et pollicem, contra pectoralis ulna repetitur per quartum et quintum. Antibrachium et manus autem praeter Flexores et Extenſores Pronatores et Supinatores atque Adductores et Abductores habent, quorum Pronatores et Adductores flexionis modificationem conſtituere videntur, cum contra Supinatores et Abductores digitorum extenſionem repetant ſecundum oſſium formam et mobilitatem mutatam.

§. 5.

Flexores autem cohaeſionem repetentes minus nobiles habendi Extenſoribus, quum contractio iam ex idea omnis metamorphoſeos prius exiſtere debeat, quam expanſio, quoniam unitati magis appropinquat quam expanſio. Inde fit, ut latus extenſionis ſeu dorſale extremitatum maiori libertate gaudeat, latere flexorio. Radius inde ſine dubio nobilior habendus ulnâ, et porro, ſi ad digitos deſcendis, dorſales digiti (tertius cum indice et pollice) ex radio nascentes multo perfectiores ab omniquoque anatomo habebuntur quam quartus et quintus. Inde porro ſequitur, ut primâ cuiusque Organismi aetate flexio in univerſum prae extenſione do-

minetur, quae conclusio, si embryonis metamorphosin contemplamur, admodum distincte probatur. Nam totum corpus embryonum vertebratorum et non vertebratorum animalium nonne ad anteriora versus planitiem flexoriam curvatum est? Et quando extremitates oriuntur, nonne statim anteriora petunt et in articulis flectuntur, ita ut omnia versus concavum abdominale latus quasi punctum centrale flexionis trahantur? Sententia enim, quam vulgo doctores obstetriciae artis proponunt, ex qua situs tam curvus embryonis eam tantum ob causam electus est, ut spatium ab embryone impletum quam minimum sit, non vereor, ne longam refutationem requirat. Imo ipsis sensuum extremitatibus ortis, partes saepe ad flexionem se convertunt; ita palpebrae, ortae, concrescunt, quasi sphincter oculi praevaleat. Eandem caussam afferendam puto, cur ipsa Iris membrana pupillari claudatur. Quae enim membrana pupillam claudens nihil aliud mihi esse videtur, nisi indicium maximae in Iride contractionis seu flexionis consensu cum reliquo systemate musculari coniunctae. Uti enim post partum in toto systemate musculari factor extensorius seu expansivus magis magisque praevalet, ita in iride quoque deinde nunquam tanta contractio conspicitur, quam ante partum. Quaeritur autem, quamobrem in embryone nondum trimestri nulla obveniat membrana Wachendorfiana, cur porro in avibus etc. deficiat. Illud facile eâdem caussâ dissolvi putaverim, quae palpebras tertio demum mense claudit. Uti enim palpebrae sine dubio prius concrescere non possunt, quam tam longae sunt, ut altera alteram tangat, sic Pupilla claudi eandem ob rationem non poterit, antequam iris tantopere increvit, ut margines in centro se attingere et invicem concrescere possint, quod tertio mense fieri videtur; nam hic motus, ut omnis fere in foetu motus, est formativus, i. e. nisu formativo et nutritione productus, qualis solus etiam in planta crescente reperitur, non vero musculari actioni innisus. Eadem caussa fortasse proponenda, si secundam de membranae pupillaris in avibus et inferioribus vertebratis defectu quaestionem inquiris. In embryone hominis et mammalium eo demum tempore illa membrana apparet, quo reliquus etiam organismus ab avium classe ad mammalium habitum ascendit i. e. fine tertii et incipiente quarto mense. Quodsi ergo in embryone hominis caussa reperitur in incremento nondum sufficiente, cur ante illud tempus pupilla concludi nequeat, eadem forte caussa in organismo regni animalis, qui cum individuali metamorphosi consentit, statuenda, ita ut in piscium, amphibiorum et avium embryone iris ob parvitatem latitudinis concrescere nullo modo queat; cui accedit, quod quisque facile cognoscere potest, iridem inde a piscibus

usque ad mammalia magis, magisque a peripheriâ ad centrum increſcere, augerique latitudine. In mammalibus igitur iris centrum pupillae aſſequitur, quod in inferioribus vertebratorum claſſibus tantummodo affectaverat. — Si plantam contemplaris, eadem metamorphoſis motus ſe offert. Apertio enim floris et folii, quid aliud eſt, quam transitus plantae a flexione ad extenſionem, quid aliud denique antherarum diruptio, quam expanſio folii?

§. 6.

Non ſolum autem individuum organicum transitum a contractione ad expanſionem monſtrat, verum in organismo animali univerſali ſeu in regno toto animalium eadem lex conſtat. Dici poteſt, quo nobilius ſit animal, eo magis in extremitatibus praevalere extenſionem. Horizontalis enim mammalium etc. ſtatus debilitate tantum extenſorum poſterioris extremitatis producitur. In fine demum regni organici perfecta extremitatum extenſio ſtando nascitur in ſimiis et homine. Status erectus ergo in regno animali indicium maximae expanſionis eſt. — Sunt autem praeterea multa animalia inferioris ordinis, quae caput et os ad terram vertunt, quo contra, branchiis et genitalibus ſurſum directis (Cephalopoda, Teſtacea multa, Meduſae nonnullae etc.) Quorum ſtatum omnium maxime inferiorem habendum putaverim, quippe qui plane oppoſitus eſt maxime expanſivo hominis et quoniam fortaſſe plantarum ſtatum repetit. Radix enim os animalium eſſe videtur in terram et aquam converſum, contra folia et flos cum branchiis et genitalibus ad anum ſitis procul dubio conferenda, ita ut dici poſſit, finem regni organici in homine plane oppoſitum aſſequi ſtatum plantae et inferiorum animalium, et caput a terrâ ad aërem erigi, quaſi centrum organismi ſemper ſurſum ascendere oporteat.

§. 7.

Memoranda mihi denique eſt alia illius in trunco antagonismi muscularis modificatio, quae per reſpirationem efficitur, nempe levatio et depreſſio coſtarum. Quarum illa ſine dubio modificatio extenſionis nominanda, cum clariſſime pateat, in inſpirando non ſolum pulmonem extendi, verum reliqui ſyſtematis muscularis partem extenſivam conſenſu corripi. Contempleris enim alta vel oscitantium vel aſthmaticorum ſpiramenta, in quibus non ſolum caput ſurſum et retrorſum trahitur, ſed ipſa brachia et pedes usque ad extremos digitos extenduntur; quare levatio quoque coſtarum et musculi inſpiratores recte extenſioni et expanſivae muscularitatis parti adſcribendi. Oppoſitam ſignificationem contra depreſſio coſtarum et Exſpiratores habebunt, quum contractio pulmonis in exſpiratione contractivum

quoque motus factorem solummodo in consensum rapere possit. Depressio igitur costarum, flexio, levatio autem extensio quaedam est.

§. 8.

Hucusque extremitates praecipue et truncum consideravi; ad caput nunc transeamus. Cuius habitus et structura, quantopere truncum referat, ab Okenio ita demonstratum est, ut nullum dubium relinquatur. Quo fit, ut non solum costae singularum capitis vertebrarum adsint, verum costae extremitatum, extremitatesque ipsae repetantur maxillarum nomine nuncupatae. Ipsos autem arcus maxillarum magis costis scapularibus et pelvis aequiparandos putaverim, quam singulis extremitatum ossibus, quod praecipue in eorum motu et musculis clarissime patet. Maxime ergo appropinquant Intercostalibus et eo tantum differunt, quod perfectiores et multipliciores redditi sunt, quod idem in costis extremitatum trunci obvenit, ubi fortioribus ossibus fortiores quoque musculi applicantur. Genae igitur repetitionem Intercostalium constituunt. Motus manducatorius maxillarum non recedit a motu costarum; abductio enim et appressio arcuum duorum maxillarium nihil aliud est, nisi expansio et contractio costarum. Motus itaque maxillaris admodum inferior polaritatis in motu est repraesentatio, levationi et depressioni costarum se accingens. Quod attinet ad mobilitatem maxillarum, id in comparatione praecipue mirum accidit, ut contrarium, quam in trunci homologis partibus, observari liceat. Tantum enim abest, ut in trunco pelvis ob ingestionis defectum immobilis, contra scapula multo mobilior reperiatur, ut contra potius maxilla inferior pelvim repetens maxime libera, superior autem cum scapula homologia conjuncta immobilis cernatur. Superioris ergo maxillae motus solam carnem liberam afficit nempe genas et labium superius. Labia in maxillis id constituunt, quod in digitis nonnullorum carnivororum involucra unguium, sed simul procul dubio, tactum subeuntia cum digitorum extremitatibus papillis nerveis abundantibus conferenda, a quibus discedunt ita, ut tactus in digitis in volari planitie exoriatur, in maxillis contra in dorsali planitie digitorum (dentium) efflorescat.

§. 9.

Quod autem harum partium musculos spectat, omnes fere cum serie fibrarum Intercostalium comparari possunt, quae inter ambos arcus maxillarum sitae, a dorso antrorsum directae hic liberiores evadunt. Temporalis similitudinem Levatoris costarum refert vel Rhomboidei, cum a processibus spinosis vertebrarum duarum anteriorum originem ducat et praeterea in ala majore ossis sphenoidei, quo levatori

costarum similior redditur, ita ut, quoniam levat pectus maxillare, ad Extensores referendus esset. Attamen, cum superior maxilla immobilis stat, duas costas apprimit, unde oppositum motum i. e. exspiratorium seu flexorium indicat. Quod in manu flexio digitorum ad pugnum faciendum est, id in maxillis compressione dentium, in costis, earum appressione repraesentatur. Masseter sine dubio nihil aliud est, quam Intercostalis et si motum eius consideras ad Flexores et Exspiratores numerandus. Uti vero Masseter et Temporalis in posteriore parte arcus maxillarum costalis Intercostalium formam ostendunt, ita Buccinator in parte alveolari, qui ab illis nonnisi libertate majore recedit; exinde sphincterico quodam munere fungitur egerendo, exspirando, cavum oris contrahendo, ut notum est. Antagonistae omnium, quos hucusque nominavi Flexorum in sterno colli (osse hyoideo) affiguntur (Mylohyoideus, Geniohyoid. Digastricus etc.) et quoniam os et maxillas aperiunt, Extensoribus adnumerari debent; Platysmamyoides contra, quia fixâ maxillâ inferiore caput maxillaremque thoracem ad latus ventrale detrahit et ad pectus apprimit, Flexoribus adnumerandus, etiamsi eandem intercostalem formam quam musculi intermaxillares et hyoideomaxillares habet. — Ceteri qui ad maxillas pertinent musculi, ad labia movenda conspirant et hîc duplex apparet antagonismus. Alter universalior exstat inter Orbicularem oris et ceteros labiorum musculos (Levatores labiorum, Zygomaticos etc.) quorum ille sphincterico modo agens ad Flexores referendus, hi contra quasi radii in varia huius sphincteris puncta insinuati, eiusque effectui repugnantes Extensores nominandi. Quoad sphincterem omnes igitur homologum motum, nempe expansivum excitant; at vero, hoc universali antagonismo non respecto, quodammodo inter se ipsi repugnant et Depressores opponuntur Levatoribus, sicuti exspiratio et flexio inspirationi et extensioni, et ad quosnam musculos referantur, inde liquet. Ita Levator anguli oris praecipue Depressori opponitur. Levator menti eandem quam ceteri levatores, significationem habet, expansivam scilicet.

§. 10.

Quod attinet ad cranium, Epicranius sine dubio nihil aliud est nisi Interspinosus diruptus, ut Meckel recte memorat, ergo ad Extensores referendus; extensionem columnae vertebralis capitis efficit. Cui opponitur Corrugator superciliorum, ergo Flexoribus adscribendus. Dum Frontalis cutem frontalem ad tergum movens inde extensionem corporis subit, Corrugator contra sphincteris modo faciem flectit et frons ad latus flexorium ventris detrahitur, quasi exspirare velit. Eadem po-

laritas in oculi musculis apparet. Satis enim cognitum est, Orbicularem palpebrarum opponi Levatori palpebrae superioris, atque ille quidem, ut omnes sphincteres, contractionem subit eodemque naturae consensu cum Corrugatore cohaeret, quo Levator palpebrae sup. cum Frontali. Quae autem generalis motus antagonismi repetitio non modo in externis huius organi partibus liquet, verum in bulbi musculis luculentissime etiam apparet. Singuli enim bulbi musculi antagonismo eodem inter se disiunguntur. Rectus oculi superior eadem polari ratione distat ab inferiore, ut Levator palpebrae ab Orbiculari, vel, si universalius enuntiem, ut extensor a flexore, expansio a contractione, dorsum ab abdomine. Memoratu dignum igitur videtur, quod in piscibus obvenit palpebris mobilibus, ut notum est, plerumque destitutis, igiturque oculos concludendi facultate privatis. In nonnullis piscibus animadverti, oculos omnino rhythmicum motum habere et talem quidem, qui nictationi superiorum classium respondet. Rectus oculi inferior enim functionem Orbicularis palpebrarum subiit et oculus satis certis, sed paullo longioribus quam in palpebrarum nutatione temporibus deorsum in orbitam retrahebatur, sed statim praevalente Recto superiore ad statum priorem et tranquillitatem rediit, eadem ergo ratione, qua in palpebrarum nictatione Orbicularis statim a Levatore vincitur. Motus rhythmicus igitur, quem nictationem vocamus, dum in mammalibus etc. palpebris, immobili Bulbo, efficitur, in piscibus contra ipsius bulbi deiectione et retractione fit, immotis plicis cutaneis, quas palpebras nominamus. Quo phaenomeno comparatio etiam illa (Recti super. cum Levatore palp. inferioris cum Orbiculari), licet reapse clara, tamen clarior, evidentiorque redditur. — Quibus intellectis laterales bulbi musculi iure cum Adductoribus et Abductoribus extremitatum trunci comparabuntur. Internum Adductorem seu Pectoralem, Externum contra Abductorem seu Latissimum dorsi oculi nominare licet. Denique ipsa Pronatio et Supinatio extremitatum repetitur per Obliquos. Superior oculum ad pronationem vertit, inferior contra Supinatorem repraesentat. — Quod si denique ad nasum descendis, eandem quam in oculo cognovimus polaritatem non desideras. Contractionem Compressor (quasi Cleidomastoideus), et Depressor narium, expansionem Levator alae nasi et Dilatator proprius curat.

II. *Pars physiologica.*

De Mimice

§. 11.

Poſtquam metamorphoſin ſyſtematis motorii, ſingulorumque musculorum naturam in univerſum examinavi, ad motum ipſum in affectibus animi, mentisque transibo. Neque autem mecum agito, plane novas in his doctrinis obſervationes proferre, ſed id tantummodo in animo eſt, ut experientiarum empiricarum Lavateri, Camperi, Engelii etc. explicationem et leges Mimices et Phyſiognomices phyſiologicas univerſales proponam. Specialia uberius pertexere ſcriptum ipſum vetat, aliisque cedo, quibus plures obſervationes phyſiognomicas facere contigit, quam mihi. Neque enim Lavateri obſervationibus ſpecialioribus niti licet, quod ſaepe plus exclamat, quam iudicat, magis imagines ſingulas confuſe conſiderat, quam leges proponit.

§. 12.

Cauſſa maxime univerſalis, quam ſtatuendam puto, cur uno eodemque irritamento ſingula ſtrata musculorum trunci et faciei in actione conſentiant, ea eſt, quod naturae homologiâ inter ſe coniunguntur. Nemo in quaeſtionem vocat, quamobrem ſingulae unius musculi fibrae ita inter ſe conſentiant, ut unâ contrahantur, unâ expandantur, nemo interrogat, cur in extenſione trunci omnes extenſores musculi ab Interſpinoſis usque ad Cucullarem ad actionem concitentur, quid mirum ergo ſi affecto cerebro cranii atque faciei musculi homologi unâ contrahuntur? Idem enim aderit conſenſus aequalitate effectus cum ceteris trunci musculis, quem in ſingulis fibris nemo admiratur, cuiusque cauſſam nemo interrogat. Conſenſus igitur omnis duorum trunci et faciei musculorum in affectibus animi tantum ſignificationi aequali innititur.

§. 13.

Vidimus autem animalium motum duplicem et ſibi oppoſitam directionem manifeſtare, alteram expanſivam, alteram contractivam, quae in primordiis regni animalis, propriis organis deficientibus, ab una eâdemque maſſa ambae producuntur. Perſpeximus porro, musculis ortis, hanc in movendo polaritatem duabus musculorum ſibi oppoſitorum ſeriebus exprimi, quae Extenſores et Flexores nuncupantur. Unde ſequitur, ut praecipuus adeſſe debeat conſenſus inter ſingulos musculos unius poli, quoniam homologiae vinculum omnes continet. Quum au-

tem eadem polaritas, quae ſyſtema musculare trunci in duas partes principales ſeparat, in capite redeat et ſinguli capitis musculi nihil aliud ſint, quam trunci muscularitatis repetitio, idem conſenſus inter homologos trunci et capitis musculos aderit ob homologiam directionis ipſam neceſſarius. Quid ergo mirum videri poterit, quod in quibusdam animi affectibus, in quibus truncus, actione Interſpinoſorum etc. erigitur, Interſpinoſus capitis (Frontalis), aliique faciei Extenſores ſimul frontem etiam erigant faciemque extendant? Homologus motus, qui truncum corripit, repetitur tantum in capitis muscularitate affectibus animi excitata.

§. 14.

Secunda autem eſt quaeſtio et gravior quidem, quamobrem in certis animi, mentisque motibus *certa* ſtrata muscularia afficiantur, moveanturque, ſeu quaenam ſit cauſſa conſenſus inter certos animi motus et certos musculorum lacertos. Etſi hoc diiudicare difficilius ſit, tamen eadem, quam modo propoſui, lex etiam huic conſenſui ſubeſſe videtur. Tantummodo aequalitas naturae et praecipue directionis motûs cuiusdam animi et muscularis ſtrati cauſſa primitiva eſſe poteſt, unde conſentiant et conſentire queant. Nunquam ergo ita fiet, ut motus aliquis animi musculos antagoniſtico modo ipſi oppoſitos ad actionem excitet, ſed imo potius eundem motum, qui animum agitat, muscularitas ſequetur et ii musculi contrahentur, qui talem motum efficiunt. Inde ſequitur, ut in oppoſitis animi affectibus oppoſita, iisque homologa ſtrata muscularia agere debeant. Tantummodo ea intercedit differentia, ut motus animi in cerebro et nervis pro nerveâ eorum naturâ agat, in musculis musculari, illic praecipue ſenſu, hic motu. — Quum autem (§. 1.) duos in motu polos principales habeamus, alterum ad externa ſe vertentem (expanſivum), alterum in Individuum ipſum directum (contractivum), concludendum, expanſionem animi (i. e. directionem in externa) expanſores musculos in conſenſum tracturam, contractionem animi (converſionem eius in ſemetipſum) contra contractores correpturam. Ergo in affectibus animi expanſivis Extenſores eorumque modificationes conſentient, contra in contractivis Flexores contrahentur, ita ut ſyſtema musculare aequali modo agat et homologo unâ cum animo et motus corporis in animi affectibus nihil aliud ſit, niſi repetitio motus animi in ſyſtemate musculari.

§. 15.

Sicuti qualitas affectus animi in corpore repetitur, ita etiam quantitas i. e. vis eius maior minorve vim quantitativam actionum muscularium in univerſum conſtituet. Vehementior ergo affectus plures musculos ad contractionem incitabit et

tranquillitas animi tranquillitate musculari exprimetur, tenuem affectum tenuis motus sequetur. Motus animi sensim sensimque auctus gradatim plura musculorum strata commovebit, ita ut paulatim ab uno lacerto ad alium homologum, quasi isolatoribus electricis victis transiliat, quod idem saepenumero in spasmis accidere solet. Ita fit, ut saepius denique ipsa organa respiratoria agere incipiant propter magnum inter motum et respirationem consensum et sic vox, loquelaque motum adiuvat, comitaturque. Loquela enim nihil est, nisi Mimice; est Mimice auditus, ut Mimice proprie sic dicta loquela visus habenda. Sicuti haec motum et membra motoria spectat, illa contra respirationem et organa respiratoria. Si Mimice in cute oritur, contra Mimice sonorum praesertim in intestino cuti opposito residet. Quae Mimice in similes leges universales reducetur, quam nostra et diversae linguae in literis, syllabis et vocibus naturam et animum populorum prodent, uti motus corporis animum. Hoc autem non ad meam quaestionem membra motoria solum inquirentem spectat, sed Acustices et Philologorum physiologicorum est. — Propositis nunc universalibus legibus, ad singulos affectus descendam, ut videamus, an illae leges ipsâ natura confirmentur, nec ne.

§. 16.

Affectus animi, in quibus ob simplicitatem naturae polaritas Mimices quam clarissime patesit, primum considerabo, quoniam nimirum illarum legum veritas hic evidentius apparet, quam in compositis, qui ob compositionem motuum quoque mixtionem variam excitabunt.

Duo sibimetipsis oppositi animi motus sunt *metus* et *spes*, quorum alter retractio animi est in semetipsum ob mundum minitantem, alter expansio animi in tempus futurum harmoniâ cum organismo coniunctum. Is, qui metuit, disharmoniam inter se atque mundum et se illo iusto debiliorem esse sentit. Timidus animus ergo recedit ab externis in se ipsum et lubentissime, si posset, correperet usque ad punctum mathematicum, quum contra spes atque desiderium se expandere mavult usque ad spatii temporisque infinitatem. Inde concludendum, metum naturae contractivae, partem quoque contractivam systematis muscularis in consensum tracturum i. e. flexionem. Itaque totum corpus ad latus flexorium converti et adduci debet, nempe ventrale (§. 2). Inde fit, ut in periculis imminentibus jamjam vermes, Iulus aliaque Insecta metu perculsa statim totum corpus antrorsum contrahant, pilaeque instar convolvant; neque in his animalibus solis, quando metuunt, hic motus occurrit, sed omnes bestiae superiores idem plus mi-

nus ostendunt et homo ipse. Quo fit, ut timidi saepissime dorso incurvato incedant, ut mala conscientia caput inclinatum et oculos statim conniventes et demissos prae se ferat. Extremitates si spectas, in omnibus plerumque animalibus Adductores et Flexores agunt omnes. Carabus aeque ac homo extremitates omnes in omnibus articulis flectit et antrorsum contrahit, femora ventri, brachia pectori admoventur ita, ut organismus quasi foetalem positionem petere videatur. Qui autem in trunco conspicitur motus, caput idem occupabit. Omnes igitur faciei Flexores consentient, frons Corrugatore suo contrahitur seu flectitur, sphincter oculi diminuit fissuram palpebrarum 3), nasi Compressor nasum deprimit, eiusque aperturas contrahit, et caput totum detrahitur inter humeros et ad pectus, i. e. costae extremitatum capitis Intercostalibus suis (Platysmamyoideo etc.) attrahuntur costis pectoralibus, quasi exspirare velint. Thorax autem consensu eodem conspirans comprimitur, et in testudinibus, cum caput timide retrahunt, magna etiam, compressis consensualiter pulmonibus, exspiratio editur. Fortasse ex eodem consensu naturae, quem inter Sphincteres et Flexores versari iam pluries commemoravi, evenit, ut in aliis etiam locis, praecipue antem in latere egestivo corporis excretiones augeantur. Ita in Testaceis aqua inspirata ex tracheis et sacco branchiali eiicitur, ita porro ranae, bufones, testudines exspirant vesicam urinariam evacuantes, nonnulli carabi, Aplysia, Sepia etc. succum quendam acrem ex ano expellunt et in homine ipso sat constat, mirum quantum urinae, faeciumque excretio augeatur, nisi forte haec omnia quasi criseos huius affectus signa habere velis. Clare saltem ex his omnibus vides, quanta sit in corpore omnium Flexorum conspiratio, ita ut metum iure motum animi flexorium nominare liceat, qui, uti in aliis quoque praecipue deprimentibus animi affectibus fieri solet, ad dissolutionem paralyticam totius et systematis muscularis et mentis et voluntatis transiens organismum fractum et quassatum mundo irrumpenti submittit.

§. 17.

Contra si sperantem hominem contemplamini, numne idem motus flexorii obviam oculis veniunt? imo contrarium et oppositum movendi modum reperietis, neque mirandum est, cum homologiâ inter se coniungi debeant. Spem expansio-

3) *Adamantius* Physiognomon. Lib. I. (ex ed. Franzii p. 364.) Ὀφθαλμοι σκαρδαμυττοντες, δειλιας κατηγοροι.

nem animi vocavi, ergo expansiva musculorum pars cum eâ consentiat, necesse est. Tantum igitur abest, ut corpus antrorsum ad flexionis latus curvetur, caputque demittatur, ut potius spina dorsi retrorsum tendens erigatur, caput levetur et totum corpus Extensoribus extremitatum inferiorum agentibus tollatur. — Aucto spei sensu in animum fortem transitus fit. Homo animi fortis in externa se opponentia vertitur et regnare mundum credit. Animus tantummodo aucta spes usque ad fiduciam est. Liber ergo fortisque recto, paullulumque reclinato capite, recurvatis humeris incedit, extensoque pectore, quasi mundum irruentem inspiraturus assimilaturusque. Gestus igitur, quibus imperamus, fortasse omnes, motus extensorii sunt. Imperans manum proiicit, digitosque extendit et nisi externa voluntatem sequuntur, similis in extremitate inferiore repetitur extensio, cum vehementer humum pulsat pedum supplosione. Quae extensorum actio, auctâ fiduciâ sensim magis augetur et hoc modo fortis animus transit in superbiam, insolentiamque, quarum rigidi lacerti taedium movent. Superbus enim motibus extremitatum incedit, in quibus vix flexio aliqua animadvertitur, quasi articuli ancylosi sint immobiles. Tota spina dorsi retrorsum vertitur, caput elatum recurvatur, pectus magnos sibi sumit spiritus, expanditurque. Facies autem eundem tumorem extensionemque offert, quae truncum occupat. Non solum enim Interspinosi dorsi spinam dorsalem retrahunt, non solum caput musculis rectis capitis posticis etc. (i. e. perfectioribus Interspinosis) in opisthotono superbiae reiicitur, verum cranii ipsius Interspinosus seu Frontalis contrahitur et frons versus latus extensorium dorsale retracta transversales plicas nobiles et graves ostentat. Genae inflantur ut pectus, et Extensores nasi nares expandunt, levantque, ita ut, quanta quanta in toto corpore versetur Extensorum actio consensualis, luculentissime appareat. Imo linguae ipsae superbiam, fortitudinem, spem talibus exprimunt symbolis quae plus minusve expansionem significant (animus erectus, elatio animi, superbia, tumor etc.). — Spem et animum si vigilem animae statum dicere licet, contra timor somnus eius nominandus. Sicuti in somno magna virium pars retrahitur ab externis ad interna igiturque organismum placida flexio fere universalis tenet sublata conscientiae et sensuum luce, ita in metu quoque flexio organismum, sed spasmodice corripit, quum contra in vigili statu et spe Extensores plus minusve in actionem provocantur.

§. 18.

Superbiae et spei autem proxime in motuum similitudine adstant *curiositas* et

ſtupor. Ambo enim inter ſe expanſiva directione conveniunt. Stupor magnum quid capere ſtudet et in eo appetendo animus defixus riget. Eſt quaſi alta animi inſpiratio retenta. Motus ergo totius corporis inſpirationem, extenſionemque offeret. Inde evenit, ut corpus elevetur ſicuti in ſpe, pectus expandatur, ut porro brachia non ſolum in humero extendantur et retrorſum trahantur, verum ipſi digiti (Abductoribus i. e. Extenſoribus agentibus) diſtendantur, ut taceam capitis motum, quod eodem conſenſu correptum Frontalis contractione explicatur, ut taceam porro faciei extenſionem, quam aperturae eius praecipue oſtendunt. Os enim, nares, oculi attoniti hiant Levatoribus omnibus agentibus. Et nonne ipſam Iridem ſimilis pupillae expanſio occuparet? Ampla ſaltem pupilla perſpicue ſtuporis atque curioſitatis vigorem auget. Neque a veroſimilitudine abhorreret, cum expanſio pupillae motus inſpiratorius vel extenſorius ſit, quod in ſtrigibus clariſſimum evadit, quibus quaque inſpiratione expandi, exſpiratione contra anguſtiorem reddi conſtat. — Quis autem eſt, quin ex hac ſuccincta ſtuporis deſcriptione veritatem conſenſûs inter Extenſores magni intelligat; imo in barbaris populis, quibus, deficiente linguae perfectione, maior mimici motus data eſt vivacitas, etiam vivacius ſtupor exprimitur. Ita Boiesmani, populus admodum beſtialis, quando ſtupor eos invadit, dextra manu in cervicem reiecta, caput penitus in dorſum recurvant. Si admiratio et ſtupor increſcunt, extenſio paulatim tranſit in catalepticam rigiditatem, et hoc momento, cum animus vix amplius externa perferre poteſt, in eo eſt, ut ad contrarium polum transiliat nempe ad metum eiusque motus per *terrorem.* In terrore enim magna musculorum pars extenſionis efficacitatem, animumque attonitum adhuc confirmat, ſed in facie iamiam antagoniſta Frontalis extendentis; Corrugator ſupercilia contrahit, ita ut organismus non amplius cum mundo harmonia coniunctus ab eo recedat et ad timorem incurvatus, conſcientia denique et musculis paralytice labefactis, inimico irrumpenti ſubiiciatur. — *Curioſitas* fere eosdem, quos ſtupor, habet motus nonniſi maiore mobilitate prae eo excellit. Diducitur tota facies et Sphincterum omnium vis frangitur ab Orbiculari oculorum usque ad oris ſphincterem, totum corpus et caput attollitur, quin ipſae aures arriguntur, quod apud animalia ſat perſpicuum eſt. Totus enim organismus ad aliqnid ſentiendum impetrandumque tendit, omnisque a centro ſuo ad externa irritamenta egreditur. Quare non curioſitatem ſolam, ſed omnem cupidinis expanſionem expanſivus muscularitatis factor comitabitur.

§. 19.

Metui vero natura sua arctissime adiunguntur *pudor* et *reverentia*. Ambobus enim sensus inest externorum praestantiae et suimetipsius debilitatis. Pudor autem aeque ac reverentia multo tranquilliores, leniores que, quam anxietas et metus. Quo fit, ut motus flexorii in pudore multo minus totum corpus occupent, quam in metu. Pudicitia solum caput, eiusque Flexores ad consensualem actionem excitat et Aristoteles iam dicit: ἐν ὀφθαλμοις γαρ αἰδως. Pudibundo igitur caput flectitur, deiiciturque vultus, Orbiculares oris et oculorum aperturas contrahunt, sicuti in metu quoque, irruente periculo, antea aperta ora et hiantia plerumque clauduntur. Qui animum cum palpebrarum, orisque Flexoribus coniungit consensus, idem bulbi homologos musculos corripit, ita ut Recto inferiore oculus ipse in terram figatur. — Si *reverentiam* examinas, haud respecta notione, iam verbi etymologia indicat, quantopere ad metum ipsum accedat, ut necessario similes motus provocare debeat i. e. Flexorios; quare evenit, ut signa venerationis fere solis flexionibus, contractionibusque corporis constituantur. Nos Europaei caput denudatum, dorsumque flectimus, vivacis ingenii Orientalis contra totum corpus incurvatum ad terram deiicit. Si ad extremam venerationem ventum est, brachia flectuntur et genua; Orientalis brachia pectori adducta flectit, neque nostra in precando geniculatio et manuum complicatio disciplina quadam ortae sunt, sed natura pòtius vim suam exercuit et necessarium est animi modesti, reverentisque signum, sicuti eosdem motus iamiam in verme et insecto metuente compertos habemus. Ex eadem forte caussa est, quod animus obsequiosus saepius motibus flexoriis exprimitur, quoniam haec animi obsequentia profecto quendam, sed nobilem adhuc, defectûs voluntatis propriae gradum et reverentiam quandam externarum rerum indicat, ita ut metui quodammodo natura accedat. Inde adnutatio capitis, nictatio oculorum etc. ad flexionem pertinentes omnes in plausu obveniunt et obsequendi studio.

§. 20.

Ad *iram* nunc progredior, quae complicatioris iamiam est naturae. In universum directio eius, praecipue si furorem spectas, magis expansiva est. Attamen magnum discrimen est faciendum inter iram suppressam et furorem incendii instar erumpentem. Supressio sine dubio in systemate musculari Flexoribus exprimetur, quod retrahitur vis per voluntatem in Organismum ipsum; inde manus ad pugnum contrahitur, comprimuntur dentes, quatiuntur labia, contrahi-

tur frons, deprimiturque nasus, at in flagrantibus oculis et spasmodice extenso cubito facile directionem primariam expansivam et imminens incendium animadvertis, usque dum flexio irae suppressae ad expansionem furoris subito penitusque transiliat, polis muscularibus repente commutatis, sicuti in saltu, in quo etiam articuli flectuntur, ut extensio eo maior deinde sequatur. Distenduntur digiti, protenduntur brachia, elevatur caput, frons spasmodice explicatur, coniiciuntur in inimicum oculi micantes et prominentes, divelluntur nares et os restrictis dentibus hiat.

§. 21.

Superest praeterea affectus animi ad extensorios vel excitantes pertinens, qui singularem considerationem meretur, nempe *laetitia*. Externae res non infeste in gaudentem agunt, ut in metuentem, sed harmonia maxima inter ambos contingit, eoque gaudium praecipue si quoddam accedit desiderium, spei se accingit in motibus, quasi anima omnia tentacula lubenter emittat ad excipienda externa. Illa igitur gestientis animi elatio expansioque in toto corpore potissimum expansivum factorem musculorum provocabit. Caput ergo levatur perinde ac corpus, frons et facies, consentientibus Extensoribus, explicantur, aperitur os et oculi placide ardent; labium superius autem praecipue in angulo per levatorem anguli oris tollitur, quo modo risus oritur. Risus ergo nihil est, nisi motus quidam extensorius faciei, quoniam extensore quodam praecipue efficitur. Inde fit, ut saepius simul nares transverse uti frons hilaris plicentur, ut porro dentes restringantur, sicuti in ira. Ex quo etiam liquet, quantopere saepe diversi affectus animi, si motum spectamus, hac vel illa parte admodum inter se consentiant et certo eam quidem ob causam, quia ambo eandem directionem habent. Respicias e. gr. restrictionem dentium et in furore et in amoris desiderio, risuque obvenientem, vel rigentes oculos serpentis cupiditate incensae et hominis stupefacti et exspectantis.

§. 22.

Tristitia, quum laetitiae opponatur, animusque a mundo infesto in se recedat, per flexionem praecipue exprimetur, quae denique sicuti in metu ad paralysin omnis vis muscularis transit. Corpus inde antrorsum curvatur, caput compresso pectori admovetur, corrugantur supercilia, deiicitur vultus, figuntur in terram oculi et ad canthum internum retrahuntur 4), labra concurrunt et antago-

4) *Aristoteles* de Physiognomica lib: οἷς δε εἰς τας μυκτηρας κρυπτεται ὀφθαλμος, ὥσπερ τα τραγικα προσωπα και οἱ στρυφνοι, συννοων γαρ το βλεμμα.

nista ridentis, extendentisque levatoris anguli oris angulum deprimit, sicuti Intercostalis colli (Platysmamyoides) maxillares costas pectoralibus admovens detrahebat, ut totus organismus exspirare videatur. — Neque autem etiam in laetitia plane deficit flexio, (sic nasus extremus incurvatur, pulmones ridentes exspirant, palpebrae saepe paullulum connivent), ita ut iam Cartesius similitudinem ridentis cum flente intelligeret, et fortasse eam ob causam, quod gaudium propius ad sensum accedit, quam ad appetentiam, etsi profecto extensio ob eius elationem semper praevaleat necesse est. Si laetitiam et spem recte animi calorem dicimus, contra rectissime tristitiae et metui nomen frigoris animae praebendum esse videtur. Nam uti frigus in anorganicis iamiam corporibus maiorem cohaesionem efficit, sicuti porro ex eadem lege in quoque organismo latus flexionis ut factorem cohaesionis seu contractionis consensuali modo corripit et somnum affert, ita in tristitia frigoris pronitas et universalis flexio corpus invadit, cum contra laetitia auctum calorem vel in universum auctam corporis expansionem producit. Nutritio hic augetur, cum in tristitia contra organismus magis magisque mundo subiectus existentiam propriam amittat, usque dum colliquescat in febri hectica. —

Etiamsi praeterea multa de motu mimico et aliis affectibus animi magis compositis dicenda supersint, haec saltem sat erunt ad perspiciendum consensum, qui inter homologos musculos et animi emotiones intercedit.

De Physiognomice.

§. 23.

Dum hucusque imagines corporis animi motus exprimentes, sed transeuntes i. e. ipsum motum mimicum consideravi; nunc reliquum est, ut easdem leges physiologicas, quibus Mimica innititur, in ipsa forma constante confirmem. Truncus autem minime tantum spiritum et vitam prodit, quam caput, neque potest, cum quaeque pars suorum praecipue intestinorum qualitatem edat, tametsi omnes partes iterum universalis consensus vinculo inter se coniungantur. Ergo facies, caputque, si animum ex forma corporis enucleare volumus, certissime maximi momenti in corpore pars erunt, licet procul dubio, ut notum est, etiam satis implicita. Itaque satius esse videtur animum adiungere magis ad minutam faciei picturam, quam ad lineamenta belgica trunci. Forma

corporis autem eandem legem sequitur, quam motus; interest solum, ut hic figatur, quod illic mobile et transitorium est. Neque solum, ut plurimi dicunt, repetito motu lineamenta fixa proveniunt, verum etiam vitâ internâ ita crystallisantur, formanturque, ut embryoni quoque universalis illa Flexio non musculorum actione ut in nato datur, sed vegetatione potius crystallisante ipsa, sicuti apertio floris non muscularitate, sed aucto turgore vitali i. e. aucta nutritione oritur. Non enim plane diversa haec vis nutritionis a motu musculari habenda, sed ad eam refertur, uti intestinum ad cutem seu ut arteria ad musculum.

§. 24.

Si quid de diversis cranii ipsius formis iudicare volumus, nonnisi obiter fieri poterit, quia formae singulae singularum cranii vertebrarum non prius significationem certam indicabunt, quam cognita singularum subiacentium cerebri partium natura, quod vix assequemur, priusquam metamorphosis systematis nervorum per regnum animale perspecta sit. Ergo nunc temporis multiplex facies mentem et praecipue animum magis perspicue indicabit, quam cranium sola, neque cognita tubera, impressionesque praebens. Ne autem hanc partem capitis gravissimam plane neglexisse videar, saltem universe nonnulla proponam. — Quum tres habeamus vertebras cerebrales et tres quoque, si cerebrum accurate perlustramus, evidenter inter se divisas partes singulis vertebris respondentes, tres etiam iis respondebunt mentis facultates principales. Medulla oblongata cum cerebello, occipitalis vertebrae ganglion, ex quo nervi motorii et auditorius decedunt et cui quartus ventriculus est, vix dubitandum puto, quin appetendi facultatem, voluntatem etc. contineat. Secunda vertebra, si ex nervo sensuali nuncupemus, oculi dicenda, et partes eius praecipuae sunt colliculi optici, corpora quadrigemina, ventriculus tertius etc., quibus accedit basin construens apophysis cerebri, quae prae ceteris encephali partibus cum Sympathico coniungitur. Qui connexus fortasse indigitat, hoc secundum Ganglion vertebrale coenaesthesi, sensui etc. esse et sicuti sensus si accurate inquiris, quoad directionem non diversus est ab intelligentia, quam perspicuitate minore, sic ganglion medium quoque organis suis accuratius ad Hemisphaeras se applicat quam ad cerebellum et cum iis confluit, ita ut duae partes principales encephali stricte inter se distinctae formentur, quae duos mentis polos alterum expansivum (appetendi facultatem, voluntatem) in cerebello etc., alterum contractivum, ingesti-

vum (ſenſum, intelligentiam etc.) in cerebro materialiter repraeſentare videntur. Nam non vereor, quin anteriorem cerebri partem ſeu tertiam vertebram maxime excelſis animae viribus inſtructam eſſe neges. Quid enim dilucidius hoc aſſerto Galli cuique eſſe poteſt, quem non fugit metamorphoſis medullae ſpinalis, cerebrique? Tertia vertebra, in qua Hemiſphaerae praecipue, ventriculi laterales, corpora ſtriata oriuntur, ſagaci olfactui nervos praebens maximam ſenſus acritatem et nobiliſſimas mentis facultates habebit et frons excellens nobilem quoque mentum indicat. Quae ſi ita ſunt, cranioſcopia nunc quidem generalia augurare poterit, de ſpecialioribus autem tuberibus aliquid proferre vix auderem, niſi in meras hypotheſes argumentis deſtitutas incidere vellem.

§. 25.

Si ſpinam dorſi piſcis conſideras, recte a cauda ad naſum vergit et raro incurvationem oſtendit, ſeu, ſi cum motu comparas, nulla undulata ſtructura ſeu oscillationes inter contractionem, extenſionemque in forma eius fixa obveniunt. Quae oscillationes inter planitiem ventralem et dorſalem in altiore animalium typo naſcuntur et quo altiorem gradum animalia aſſequuntur, eo magis oppoſitio flexionis, extenſionisque prodire videtur. Si recte video, in mammalibus ambobus corporis finibus Flexio dominatur, uti in homine, quod in inferiore corporis fine oſſis coccygis inflexione ſat clarum eſt. Medium locum dorſalis incurvatio magna tenet, quam denique ſpinae extenſio in collo ſequitur. In ſuperiore denique corporis fine ſpina vertebralis per cranii vertebras iterum plane ad anteriora ſeu ad flexionem convertitur. In piſcibus immota adhuc et recta ſpina dorſi eadem ratione continuatur in baſin cranii nondum flexam, cum contra, emergente ſtructura ſpinae dorſi undulata, etiam cranium eundem motum ſequatur et eo magis antrorſum vertatur, quo nobilius animal eſt. Cauſa autem, cur coccygis os et ſacrum in altioribus animalibus ad flexionis latus ventrale contrahatur, ea eſſe videtur, quia mortua quaſi pars eſt et reſiduum caudae piscium etc., quae vigoris diminutio ſaepius, ut iam vidimus, flexionem comitem habet. At cranii flexioni haec cauſa ſubeſſe non poterit. An ipſius cerebri vita facit, ut in altioribus organismis magis magisque flectatur? An non haec flexio vertebrarum cum cerebri retracta, ſeque ipſam agitante natura conſentit, an non conſenſualis expreſſio eſt functionum mentis altiorum, quae ſe tantummodo concoquentes ſpectant?

§. 26.

Quod de spina dorsi dictum est, idem repetitur in naso, ut extrema capitis vertebra. Quo inferior enim, eo simplicior erit, si spectas eius formam. Dum primum in piscibus multum recedit post maxillas, paulatim, maxillis sensim magis recedentibus, elevatur et in nobilissimis animalibus super iis eminet. In infante caucasico et speciebus hominum deterioribus valde adhuc ad animalium nares accedit eo, quod obtusior et in radice admodum impressus est, seu, si cum motibus comparas, flexus et incurvatus. Quo magis ad perfectionem homo accedit, eo magis nasus etiam in radice elevatur, ita ut utrumque motum et flexorium et extensorium, repetita, quae in dorso valet, oscillatione, deinde contineat, eoque, ut spina dorsi, perfectior reddatur. In radice ergo retrorsum extensus, deinde usque ad acumen ad flexorium latus et contractionem incurvatur, in quo finis denique placide denuo extenditur, seu dorsum versus elevatur. Tales nasi praecipue viris et caucasicae speciei sunt, cum mulieres contra aut plane rectis utantur naribus aut paullo obtusioribus et impressis, instar infantium et hominis specierum inferiorum, sicuti femina aliis quoque rationibus infanti multo propior habenda, quam vir. Nasus aquilinus femininam, uti infantis faciem, quodammodo irregularem reddit et nauseam quandam movet. Quod autem attinet ad cacumen nasi, regulari statu aliquantulum sursum elevatur, quod auctae extensionis, expansionisve signum necessario constituere iam antea commemoravi. Quo fit, ut iuventus praesertim tale prae se ferat sursum elevatum nasi acumen, dum deorsum contra incurvatum vultui senile quid imprimit et inprimis quoque in senectute reperitur. Caussa horum phaenomenorum sine ullo dubio idem est consensus, qui ceteras vertebras inter se coniungit. Quum enim neminem fugiat, in senectute spinam vertebralem antrorsum incurvari et universe flexionem post decrementi vitae initium dominari, non fieri potest, quam ut superior etiam spinae extremitas i. e. nasus extremus homologum motum sequens flectatur seu incurvetur. Quare evenit, ut decrepiti senes saepe nares praebeant acutas et in acumine curvatas. Conferas e. gr. in Lavateri fragmentis (Bd. 4. p. 252) imagines Alberti Halleri iuvenis et senis, porro (p. 363) gradationem facierum a puero usque ad senem, in quibus hanc diversitatem, consensumque, licet Lavatero haud cognitum, bene repraesentatum vides et infitiari nequis.

§. 27.

Si quid de Semiotice nasi, quod attinet ad animum mentemque indicaverim,

in eius formis necesse est, ut ea repetam, quae antea in universum de significatione diversorum motuum in animi affectibus iamiam pronuntiavi. Praevalentia flexionis vel extensionis formae significationem in universum statuit et si quandam animi directionem indicant, ex legibus antea (§. 14.) prolatis homologam significabunt, non antagonisticam. Quo fiet, ut nasus magis prosiliens (quoniam extensionis maioris et vigoris expansivi signum) directionem animi expansivam, retractus contra et incurvatus (quoniam flexionis indicatio) animum in semetipsum versum seu contractionem eius ac flexionem arguere debeat. Ergo omnes animi status; qui antea in animi emotionibus per motum exprimebantur, hic contra stati et immoti per firmam formam homologam exprimentur, quam musculares in Mimice actiones componebant. Omnes igitur expansivi animi motus, quos infra nominavi, imprimis favebunt naribus prosilientibus; inde fit, ut radix nasi admodum prosiliens animum fortem, superbumque indicet 5), et aquilini nasi hac in significatione sat cogniti sunt. Porro si ad nasi extremitatem descendis, acumen magis sursum elevatum superbum, arrogantem, impudentem 6), nasutulum hominem indicare constat. Animi enim extensio, quae in retrorsum versa cervice inflexibili et in nasi radice aquilina fortitudinem superbiamque indigitat, eadem in acumine elevato levior recurrit per arrogantiam, quasi Interspinosus vel Levator quidam nares, ut in corrugatione narium fit, semper sursum revulsas teneat. Quare fit, ut saepius hanc resimam acuminis formam coniunctam reperiamus cum analogis formis rigidis spinae dorsi, ut in superbo Anglo, cuius rigida spina vertebralis speciem gerit, quasi palus a naribus usque ad coccygem percussus sit. Sequitur porro, ut, si alarum nasi aperturae magnitudine excellunt, necessario similem animi expansionis significationem habeat e. gr. fortitudinis 7)

---

5) *Lavater physiognomische Fragmente Bd* 4. p. 258.: *Oben bey der Wurzel vorgebogene Nasen sind vortrefflich zum Gebieten, Herrschen, Wirken, Durchsetzen, Zerstören.*

6) *Polemon.* Physiogn. (ed. Franz.) p. 287.: ἀναιςχυντου μεν σημεια ταδε· ὀφθαλμοι ἀνεπτυγμενοι, λαμπροι, βλεφαρα εἰςπεπετασμενα, παχεα· παχυπους, παχυρῑν, ἀντιον ὁρων, ἀνω τεινων ἑαυτον etc.

7) *Aristotel.* c. l.: οἱς δε οἱ μυκτηρες ἀναπεπταμενοι, θυμωθεις. *Adamant.* Physiognom. (ed. Franz.) p. 401.: μυκτηρας ἀναπεπταμενους, θυμου και ἀλκης μαρτυρας τιθεσο. — *Lavater* l. c. *Bd* 2. p. 20.: *An unternehmenden, warmen, kraftvollen Männern werdet ihr selten, um nicht zu sagen nie (solche) kleine runde Nasenlöcher antreffen.* — In equis aliisque animalibus idem sat constat.

gloriationis, ſuperbiae, libidinis aeſtus [8]) etc. Contra oppoſitas naſi ſtructuras oppoſitarum quoque animi qualitatum indicium eſſe iam coniectura conſequeris. Si naſus longior et proſiliens ſeu aquilinus animum fortem, ſperantem, ſuperbum etc., ſi porro mentem externa quaerentem, obſervantemque portendit, contra naſus repreſſus et incurvatus animum, mentemque in ſe ipſam ſecedentem, philoſophicam exprimet. Inde Iupiter olympicus ob magnam faciei flexionem vultum ſapientiae perfectae exhibet. Inde Graeci philoſophia, Romani aquilinis naſis inſtructi ſuperbia, animoque imperante excelluerunt. Si in naſo erecto maior appetendi facultas emergit, in modice repreſſo contra ſentiendi facultatem etc. praevalere dixerim.

Cui ſi accedit receſſio quaedam maxillarum, facies modeſtiae aſſequitur ſpeciem, niſi reliquus vultus nimie in contractione conſentiat. Sin vero ipſa naſi extremitas flectitur, ita ut in ea nulla extenſio animadvertatur, quod iam in ſenectute incurvata imprimis fieri adnotavi, ſaepiſſime ipſum metum indicat, ut maximam animi flexionem. At non circumſpecte iudicaverim, ſi ſoli metui hoc phaenomenon acuminis incurvati attribuerem, imo non ſolum ceterae, quae metui affines ſunt, verum omnes fortaſſe, quibus illa directio centralis ineſt, animi qualitates idem ſignum habere poſſunt e. gr. animus paullo obſequioſior, aeque ac animus ſubdolus et abſtruſus, quare interdum in Satyricis hominibus reperitur [9]). Ex eo porro evenit, ut compreſſae, parvaeque naſi aperturae eandem timoris etc. ſignificationem apud phyſiognomicos ſcriptores habeant [10]), ſicuti acumen narium ad flexorium latus reflexum, quaſi hic Depreſſor narium continuo ageret, illic Compreſſor. Sed neque hoc ſolius timoris erit phaenomenon, ſed omnes animi conditiones magis contractivae inde exprimi ſaltem poſſunt, tametſi neceſſario quaeque ſingularis faciei pars ſingularem habeat animum, quem mo-

8) *Lavater Bd* 4. p. 258.: *Sichtbar athmende, offene Naſenflügel, ein ſicheres Zeichen feiner Empfindung, die leicht in Sinnlichkeit und Wolluſt ausarten kann.*

9) *Joannes ab Indagine, Buch der Phyſiognomey* cap. 4.: *Von der Naszen iſt ein gemein, geübtes Sprichwort, dasſz die Menſchen, ſo ein gebogen, krummen Naſen haben gemeinjnklich ſpöttig ſeind und ſelten yemant ungeſpeyt laſszen fürgen.* — Videas porro imaginem poetae celeberrimi *Hans Sachs: Lavat. Bd* 4. p. 298. — In his cavillatoribus naſus incurvatus bene quoque ex riſus motu derivatur (§. 22.)

10) *Lavater Bd* 4. p. 258.: *Kleine Naſenlöcher beinah ein ſicheres Zeichen unternehmender Furchtſamkeit.*

tu ſuo et homologâ ſtructurâ exprimet et cum quo prae ceteris conſentiet; ſic e. gr. radicis narium extenſioni maior vel nobilior fortitudo ineſſe videtur, quam acumini elevato nil niſi naſutulam fortitudinem declaranti. Sed haec ſpecialia non curabo, hic in univerſalibus tractandis ſat feciſſe puto; neque certa vix proferri poterunt, priusquam ſingulorum inferiorum organismi functionum repetitio in animo accuratius indagata erit.

§. 28.

Nihil autem obſtat, quominus in *oculis* easdem leges confirmem, quae hucusque valebant, eoque facilius, quod, quantopere oculiloquium vivacitate ceteris faciei partibus antecellat, quisque compertum habebit. Neque ſolum in ipſo bulbo maxima eſt animi mentisque perſpicuitas, verum etiam in ſuperciliis, ita ut ſint, qui his maiorem tribuant vivacitatem, quam ipſis oculis, et quantopere praecipue triſtitiae et disharmoniae cuiusque ſedes ſint, iam in mimica parte vidimus. Si frons transverſe plicata (i. e extenſa) atque alta ſupercilia et inter ſe diſtantia [11]) (quaſi frontali extenſore ſemper ſurſum elevata expandantur) animum obſervantem, ſaepius vero dubitantem, plenumque hilaritatis etc. indicant, qui celeriter externa aggreditur, arrepta autem non perveſtigat, ſed expleto deſiderio, alio tenetur, quem neque ſcientiae tenebrae, neque fati auſteritas ad flexionem unquam contraxit, contra frons rugis longitudinalibus contracta, et recte deſcendens, profundae inter ſupercilia foveae flexio, ſupercilia depreſſa et coniuncta (omnia flexionis dominantis ſigna) nihil declarabunt, quam mentem, animumque ab externo ſenſuum mundo ſecedentem ſeu flexionem animae. Inde factum, ut ſignificationes ſuperciliorum coniunctorum, etſi variae a variis Phyſiognomicis prolatae, tamen omnes eo inter ſe conveniant, quod illam animi contractionem indicant. Sic a veteribus pro ſigno malitiae, ab aliis pro melancholiae [12]), ab aliis denique pro ſeveritatis, altaeque meditatio-

---

11) *Lavater* Bd 4. p. 255.: *Je entfernter (die Augenbrauen) von den Augen ſind, deſto leichter, beweglicher,* (*ununternehmender*). — *Entfernt von einander — heiterer, offéner, leichter Sinn.* — Porro l. c. *Ich habe noch keinen groſsen Denker, auch nicht einmal einen feſten, klugen Mann mit ſchwachen, hohen Augenbrauen geſehn, die die Stirn gleichſam in zwey Theile theilten.*

12) *Ariſtotel.* l. c. οἱ δὲ συνοφρυες, δυσανιοι; — *Winkelmann* porro ait: *Geſenkte Augenbrauen geben dem Kopf des Antinous etwas herbes und melancholiſches.* — Porro *Lavat.* l. c.: *Zuſammenlaufende Augenbrauen geben einem Geſicht ein etwas finſte-*

nis [13]) indicio habita sunt. Similis significatio, ut ad nasum redeam, impressi dorsi naribus convenit, (ut e. gr. in feminis etc.), quam quae in radice narium impressa et coniunctis superciliis elucet; magis enim passivam ingestionem et contractionem indigitat e. gr. patientiam, sentiendi vigorem etc. [14]).

Si ad palpebras descendo, in earum formis perlustrandis idem redit, quod infra in Mimice dictum est. Quod illic musculis producebatur, hic fixum stat atque crystallisatum. Inde fit, ut rima palpebrarum lata, altaque eandem expansionis animi cuiusdam significationem habeat, quam antea extendentis levatoris palpebrae superioris actioni subesse confirmavi. Iunonis oculo bovino igitur, cuius alti sunt palpebrarum arcus, et ampla rima, tanta inest tranquillitas imperans divina ac superbia, qualem in extensione corporis in universum iamiam cognovimus. Sed et sperantem, animosum, irae praecipitem [15]), apertum animum variis modificationibus manifestabit, praecipue autem cupiditatem, et cupiditatem quidem avaritiae perinde repraesentabit ac, si bulbus paullulum sursum volvitur, desiderium languentis Veneris Uraniae. Contra quando oculum compressum et angusta rima instructum videmus, statim malitiam, astutiam vel timorem etc. auspicamur, quasi nictatio timida sphinctere praevalente fixa sit [16]). —

res Ansehn und von irgend einer Trübe des Geistes und Herzens mögen sie wohl Zeugen seyn. — Huc adnumerandus quoque locus est *Joann. ab Indagine* (l. c. cap. 2.): *Und so die augenbrauen zusammenstossen, das ist ganz ein bösz zeychen dann sye angeben eine tückische Art und Menschenkäuffer, und der genygt ist zu der schwarzen Kunst, der teuffelbeschwerung, des habe ich oft war genommen in ettlychen vil hexen so man verbrennet.*

13) *Lavater* l. c.: *Je näher die Augenbrauen auf den Augen liegen, desto ernsthafter, tiefer, fester der Character.*

14) *Lavat.* l. c. *Bd* 4. p. 258.: *Ich habe die reinsten, verständigsten, edelsten Geschöpfe mit kleinen Nasen von hohlem Profil gesehn, aber diese Vortrefflichkeit bestand mehr im Leiden und Hören, Lernen, Empfangen, Geniessen seiner geistiger Wirkungen (wenn nämlich ihr übriger Bau sein Organ ist).*

15) *Hippocrat.* Epid. Lib. II. S. VI.: ἀσκαρδαμύκται, ὀξύθυμοι.

16) Videas *Erasmi* imaginem paullo timidioris et ex insidiis mordentis. — Porro *Lavat. Bd* 4. p. 452.: *Ich habe noch kein Auge, dessen Lid horizontal auf dem Apfel sich zeichnete und halb den Stern durchschnitt, gesehn, als an sehr feinen, sehr geschickten, sehr listigen Menschen* etc. — porro l. c. *Augen, die, wenn sie offen und nicht zusammengedrückt sind, lange scharfe spitze Winkel gegen die Nase haben, habe ich fast nie als bey sehr verständigen oder sehr feinen Menschen gefunden.*

De Bulbo aliquid proferre fere fupervacaneum effet, nam nota eft generalis fingulorum per mufculos motuum fignificatio, nifi fingulas partes recenfere iam incepiffem. Situs primum in oculos incidit aut fuperficialior (ut in bovino oculo Iunonis), aut profundior. Ille expanfionis animi habere poterit bonas et malas qualitates et ut iam pluries adnotavi, tum fpem, animumque, tum fuperbiam, tum denique omnem cupiendî expanfionem indicabit, hic, ut oppofitus, contrariam animi directionem. Inde Claramontius [17]: „Eft ille (proiectio oculorum) ferventis animi afpectus ut in ira et amore. Huic contrarius afpectus eft retractus. Retrahitur enim vis, quae in contrario afpectu emittitur, in modeftis hominibus erga eos, quos reverentur, in pudibundis adolefcentibus adverfus foeminas.“ Quod ille Phyfiognomon foli pudori ac reverentiae adfcribit, in proclivi eft, praeterea multis aliis affectibus tribuendum effe, qui quantitate tantummodo vel compofitione diverfa difcernuntur. Nam eodem iure oculus in orbitam retractus, anguftusque metum, fraudemque [18]), quam reverentiam et pudorem [19]) fpirabit, quia omnes vinculo directionis inter fe conveniunt. Ita fi hi oculi ardent, vim quidem et efficacitatem indicabunt perinde ac furiofe proiecti, fed profecto quodammodo diverfam, ficuti ira repreffa differt ab erumpente, five ut contractio ab expanfione [20]). Et ipfa denique Iris, uti cum refpirationis rhythmo homologo modo fluctuat, nonne ipfis animi fluctibus non folum volvetur, verum etiam tranquillo animo aeftus vel maiorem acceffum vel receffum maiore vel expanfione vel contractione Pupillae fixum exprimet? Non dubito et fibi quisque fignificationem variam conftituet.

§. 29.

Recurrunt eadem omnia, quae hucusque dixi et in forma nafi, oculorum etc. confirmavi, in ultima denique vultus parte, nempe in maxillis, labiisque.

---

17) Semiotice moralis etc. cura Conring. Lugd. 1704. lib. VI. c. 9.

18) *Ariftoteles* l. c. οἱ δὲ κοιλους ἐχοντες κακουργοι. ἀναφερεται ἐπι πιθηκον.

19) Inde *Paracelfus* (de natura rerum lib. IX. p. 912.) ait: *Augen, die ftets unter fich fehn, zeigen einen fchamhaftigen, züchtigen Menfchen an.*

20) *Paracelfus* l. c.: *Kleine Augen oder die tief im Haupte ftehn, kühn, ftreitbar und unverzagt, tückifch und gefchwind mit böfen thaten, kann viel leiden* etc, — *Adamantius* Phyfiognom. (ed. Franz.) Lib. 1. p. 355.: εἰ δε καὶ μικροτεροι εἶεν και κοιλοι, χειρους, ὠμοφρονες, ἐπιβουλοι, κρυψινοι, παντορεκται.

Quae autem partes multum faciunt ad faciei varium effectum, etiamsi, sicuti physiologice nobilitate ab oculo, nasoque etc. superantur, in significationibus quoque minus nobiles esse videntur. Superior maxilla, labiumque, quod nobilior est ob repetitionem superiorum extremitatum et quod anterioribus, ergo nobilioribus capitis vertebris affigitur, nobiliores, subtilioresque animi qualitates indicabit, quam inferior. Quod si itaque labium superius prosiliens et in medio revulsum (quasi Levatore suo extensum) nasutulum, impudicitiam, insolentiam exprimit, eadem quidem in labio inferiore prosiliente et tumido auspicamur, sed insolentiam lasciviamque rusticam stulta jactatione comitante. Sequitur porro, ut appetendi facultates e. gr. sexualis libido (quam alas narium levare vidimus et quae, quod cupiditas est, extendat, necesse est) hanc tumidam labiorum formam provocent, quod evidentissime per hominis species deteriores probatur. Quanti enim et quam carnei sunt Nigris labeones et quam reflexi? Neque apud nos exempla desunt [21]. In universum notum est, maxillas eo magis procedere, et latiores, longioresque fieri, eo maiorem thoracem maxillarem reddi, quo bestialior hominis species et animal est, quo magis appetendi facultas et cupiditates excellunt prae intelligentia. Ergo, si universaliter dicere vis, extensio seu inspiratio in maxillis recta relatione augetur unâ cum parte animi extensiva seu inspiratoria analoga. Contra contendi in universum poterit, eo magis thoracem maxillarem, quasi ad exspirationem veniat, contrahi et retrahi, quo magis intelligentia prae appetendi facultate excellit. Quodsi igitur ascendente organisatione, non modo spina vertebralis capitis, verum costae etiam thoraxque eius ad flexionem exspirationemque maiorem tendunt, eadem proportione hominis spiritus secedit a cupidine ad altiores mentis facultates praecipue in se retractas et ingestivas. Quo fit, ut facies inferior, si retracta cer-

---

21) *Lavater* Bd 4. etc.: *Sehr fleischige Lippen haben immer mit Sinnlichkeit, Trägheit, Prahlerey zu kämpfen.* *Joann. ab Indag.* l. c. c. V.: *Härwider die übergrossen Leffzen haben und denen der unterlefftz abwertz hangt, also dass ynen die zen härfür blecken, die seynd von natur närrisch, störrig, ungelersam, unrein, unkeusch.* — *Lavat.* l. c.: *Ausgezeichnete, bestimmte grosse, wohl proportionirte Lippen, aus denen die sich sanft auf beiden Seiten gleich schlängelnde Mittellinie leicht herauszuheben ist, — sind nie an schlechten, gemeinen, niedrigen Menschen zu finden, wohl aber an wollüstigen, aber nicht an falschen, kriechenden, boshaften Characteren.*

nitur, toti vultui maiorem praebeat severitatem et sapientiae speciem, quod veteres artis plasticae artifices bene perspectum habebant. Sed et vitia improportionalis recessio indicabit, eaque omnia quandam, si a priori coniicere licet, contractionis animi modificationem spirabunt e. gr. metum, astutiam, animique frigus [22]. Idem in labiis, quae lineae speciem habent, et compressis sat notum est [23].

Si mentem denique examini subiicio, in operibus Physiognomonum eaedem depressionis et repressionis atque proiectionis eius significationes obveniunt [24]; neque aliter fieri potest, cum homologae formae homologam quoque significationem in universum saltem habeant. Ex eodem denique consensu fit, ut ipsius trunci cum capite saepissime magna reperiatur formae similitudo. Ita homines latis humeris, qui igitur latam costarum et convexam constructionem possident, saepius maxillis quoque latis instructi, ita ut facies tota inde latior et quadrata reddatur. E contrario accidit, ut homines phthisicum habitum prae se ferentes, nec gracilem solum thoracem, sed et compressos humeros habentes, gracili etiam facie et longiore utantur. Idem fortasse in ipsa cranii forma evenit, ut, quibus lata est vertebrarum dorsi constructio, eadem repetatur in lato cranio, cum compressum in lateribus caput gracilioribus contra hominibus tribuatur.

§. 30.

Quae cum ita sint, generalis ille motus antagonismus, qui tantum modifi-

---

22) *Lavat.* Bd. 4. p. 188.: *Im Gegentheil wird das eingezogene Untergesicht Verschwiegenheit, Bescheidenheit, Ernst, Zurückhaltung anzeigen und alle Fehler werden in Heimtücke und Verstocktheit bestehn.*

23) *Lavat.* Bd 4. p. 260.: *Verbissener, lippenloser Mund, sicheres Zeichen von Kälte* etc. — porro l. c. p. 188.: *die platt anliegende Oberlippe verkündigt Blödigkeit, die ähnliche Unterlippe Bedacht im Reden.* — *Polem.* Physiognomon. (ed. Franz. Lib. I. p. 258.): Εἰ δε επι μικροις στομασι λεπτα εισι χειλη, δειλον, ἀνανδρον, καὶ δολερον σημαινουσι.

24) Ita *Lavater* aliique haec: *Zurückgehendes Kinn ist selten planvoll und unternehmend. — Spitzes Kinn ist viel öfter Zeichen von heimtückischer List, als zurückgehendes. — Kleines Kinn, Furchtsamkeit.* — Contraria indicant elevatio extensioque menti. *Lavat.* 2. p. 128.: *Vordringendes Kinn ist immer Zeichen von Kraft, Männlichkeit, Ständigkeit, Zurückgehendes von Weiblichkeit. — Bd* 3. p. 218.: *Im aufsteigenden Kinn vom Hals her, Adel, Stolz, Bd* 4. p. 264.: *Hervorstehendes rundes Kinn sitzt da nicht offenbar der Muth eines Helden? — Aristotel.* l. c. ἀκρογενειοι, εὔψυχοι.

catus ubique repetitur, aequali et homologo modo cum ſyſtemate cerebrali eiusque motibus incedit, et Mimioe, quae ſcientia eſt de conſenſu inter cerebrum et musculum, ſeu inter mentem motumque, et Phyſiognomica, quae conſenſum cerebri cum fixa forma amplectitur, tantummodo huic legi innisae ſcientificam evolutionem aſſequi poſſunt. Quod ego hic dixi, generalis tantum tenuisque conſtructio eſt, multumque reſtat, obſervatori, ut conſenſum *ſpecialem* inter certas corporis partes, animique vires reperiat, Phyſiologo autem, ut rationem huius ſpecialis conſenſus ex affinitate maiore et repetitione corporis functionum in cerebro quaerat, etiamſi hoc nunc quidem paullo difficilius eſſet. Nam illius conſenſus, cuius undae a cerebro per craſſum musculum usque ad fibrillam Iridis permanantes volvuntur, ſpecialem partem inſcii ſentimus quidem, ſentimus in flexa facie ſeveritatem, ſentimus in ſuperciliis coniunctis coenaeſtheſin offenſam et in levatione anguli oris laetitiae exſultationem; at ſcientia ipſa, rationes quaerens et evolutionem, *ſpecialis* conſenſus mimici et phyſiognomici cauſas nonniſi ſuſpicatur, neque demonſtrare poterit, priusquam comparativa Phyſiologia latius pateat, etſi univerſalis, ut hic oſtendiſſe mihi videor, conſenſus vinculum clariſſime liquet. —

Una natura, confluxio unica, conſentientia omnia.

XI.

DE INSTITVTO SCRIPTIONIS ACADEMICAE
IN ACADEMIA IENENSI
NVPER IN VSVM REVOCATO
PRAEFATVS
LEGITIMAM MAGISTERII IENENSIS ADEPTIONEM
NVNCIAT
HENR. CAROLVS ABR. EICHSTADIVS
ORDINIS PHILOS. H. T. DECANVS.

Nova reiicere, dumtaxat propterea quod nova ſunt, non magis abſurdum eſt, quam antiqua propter ſolam antiquitatis commendationem tueri. Quamquam, qui hoc faciunt, excuſatius peccant et in eam partem, quae tutior eſt. Solent id academici potiſſimum doctores experiri, qui, quid antiquum, quid novum ſit in litterarum inſtitutione et ſcholis, et vident quotidie, et quo utrumque loco cenſendum ſit, ſi ſapiunt, apud animum reputant. Etenim non temere laudari maiorum his in rebus inſtituta, quum aliis argumentis cognitum eſt, tum maxime eo, quod antiquae quidem Academiae, quo minus ab illis receſſerunt, eo conſtantius floruerunt, recens autem conditae, quae ſubinde deſciverant, poſtquam rebus ſuis proſpicerent, reverti ad antiqua coeperunt. Quod nec mirabitur quisquam, neque ad invidiam noſtrae aetatis, ex novarum rerum ſtudio laudem quaerentis, pertinere exiſtimabit. Inſignis enim maiorum prudentia imprimis in eo elucet, quod neque conſtituerunt, niſi quod diu diligenterque et ſecum mente et cogitatione, et cum aliis, qui rem penitus perſpicerent, communicando ponderaviſſent, nec ſemel conſtituta identidem mutarunt ac refinxerunt: unde non modo inconſtantia quaedam, moleſta ho-

minibus, institutis detrimentosa, sed ingens rerum omnium confusio ac perturbatio exsistit. Sed quo tardiores cautioresque in novando, tanto erant retinentiores eorum, quae usu probata cognovissent, et quanto retinentiores, tanto etiam certiores utilitatis, quae ad rempublicam litterariam proficisceretur. De saeculi autem Genio, quem hodie novum in litteris ducem novo vocabulo appellant, illi ita iudicabant, non ut quod facile promptumque esset omnibus ad expediendum, sed quod iuvaret litteras, veramque et accuratam eruditionem sustentaret, etiamsi factu difficillimum esset, bono Genio acceptum ac dignum existimarent, tenentes Hesiodium illud: Τῆς δ'ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ κ. τ. λ. Quod, ne plura nunc consectemur, ex ea ipsa re satis apparet, quae nobis haec praefandi opportunitatem dedit.

Nam, quod felix, faustum fortunatumque sit, nos quoque vetus institutum iam repetimus, novis nuper Academiae legibus sapienter instauratum, quod, si recte administretur, non modo stimulos admovebit academicis studiis, sed ipsam quoque Academiae famam et gloriam amplificabit. Etenim quum saepenumero conquesti sint viri gravissimi [1]; consuetudinem scriptionis academicae, hoc est, illius quae Academiae nomine et auctoritate ab singulis deinceps doctoribus suscipitur, quo vehementius laetiusque viguerit non solum patrum memoria, verum etiam maiorum, eo graviore cum litterarum damno contemptam nostra aetate et neglectam iacere: singularis cura illorum, qui novis Academiam Ienensem legibus ornarunt, in eo fuit posita, ut vetus illud ac salutare scribendi institutum et in usum revocaretur, et novis opportunitatibus adstrictum, scribentibus pariter atque legentibus iucundius commendabiliusque redderetur.

Quocirca primum diligentius, quam antea, descripta et vero etiam adaucta sunt munia Professoris eloquentiae, novis Prorectoribus bis quoque anno commendandis, scholarum semestrium indicibus prooemio instruendis, indicendis tum Lynkeriani beneficii, tum sacrorum, si qua incidunt, extraordinariorum sollemnibus, certaminum publicorum argumentis promulgandis victoribusque oratione publica renunciandis, condendis Academiae annalibus, scribendis epistolis, quae honoris et officii caussa ad alias Academias mittantur, concinnandis publicis gratulationi-

1) Imprimis Heynius in ipsa fronte Opuscul. academ. p. IV et VI. Neque ego defui querentibus, et meam hac de re sententiam, passim proditam, gravi suffragio adiuvit vir eruditissimus, Car. Frider. Heinrichius, peculiari libello de instituto scriptionis publicae in Academiis tuendo vel revocando, Kilon. 1801. 4. p. VIII.

bus, componendis tabulis, quibus litterarum ſtudioſi in civitatem ſuscipiantur, ſcribendis encomiis, edictis ad diſciplinam pertinentibus, relegationum formulis, aliisque eius generis elogiis atque programmatis per muneris rationem occupatiſſimi: quem quum ſint hodie dicaculi homines et ab litteris remoti, qui latinum Academiae Secretarium vocent, ſortem ipſe ſuam conſolabitur auctoritate maiorum, qui honorifico nomine Oratorem Academiae appellaverunt. Deinde quum venerando Theologorum Ordini impoſitum iam olim eſſet officium, ad ſollemnia Chriſtianorum ſacra, quae ter quotannis redeunt, publicis ſcriptionibus vocandi academicos cives, vocatosque ad pietatem cohortandi: nova nuper lege cautum eſt, ut hic quoque mos maiorum, quo ingenia non minus quam animi exſuſcitantur, ab neglectu et oblivione vindicaretur. Tum ſi qui inpoſterum novi Profeſſores in numerum adſciſcentur, capienda iis ſunt auſpicia muneris ſcripto publico, quo et de ſua quisque diſciplina aliquid expromant, et ad orationem aditialem invitent. Denique diſputationes academicae, non illae quidem inpoſterum a Profeſſoribus pro loco in Ordine obtinendo, ſed a Doctoribus tamen et Magiſtris ἐπιδείξεως cauſſa inſtituendae, denunciabuntur programmate, quod Decanus vel Prodecanus Ordinis ſui auctoritate proponet. Poſtremo nec ſummos in theologia, iuris ſcientia et arte ſalutari honores rite aut tribuere aut capeſſere in Academia Ienenſi licebit, niſi facta quadam litteraria velut inauguratione, quae Decani vel Prodecani ſcripto ſic continebitur, ut, quantum candidati laudis ex legitimis doctrinae ſpeciminibus merebunt, tantum ad eos commendationis ex hoc publico teſtimonio etiam apud exteros redundaturum ſit. Philoſophorum autem Ordo, quum ſollemnem Doctorum ac Magiſtrorum creationem quotannis celebrandam programmate indici oporteat, habebit in hoc inſtituto, quo cum ceteris Ordinibus ſcribendo contendat.

Haec tam ſapienter inſtituta, quis eſt inter nos, quin grato animo accipiat, in iisque novum laetus agnoſcat documentum ſtudii, quod Principes ſereniſſimi in tuenda et augenda Academiae dignitate poſuerunt? Satis enim nunc proviſum eſt, ne accidat huic civitati, quod eventurum Academiis, in quibus nihil geratur publice, neque oratio ulla publice habeatur, nihilque ſcribatur publice, Heynius ominabatur. Datae ſunt cauſſae et opportunitates quam plurimae, quibus ingenia ſtudiaque acuantur, et peſtis Academiarum, veternus ac ſocordia, excutiatur. Cautum eſt, ne Profeſſores aut recens creati, tamquam κωφὰ πρόσωπα cathedris imponantur, aut in ſtatione iam dudum collocati, quotidiana docendi opera Profeſſoris nomen et munus concludi abſolvique arbitrentur, neve ab ſcribendi uſu averſi, in vulgari diſciplinae tradendae

bitu, tamquam in mola circumagenda iumentum, sese contineant, opinionibus dudum explosis se iactent, aut paupere cultu, quem a magistro traditum ornare propriis dotibus non didicerunt, superbi incedant. Denique quum hoc totum scriptionum genus latina sit lingua proferendum, magno cum iuventutis academicae fructu instaurabitur pristina studiorum severitas, a qua valde alieni sunt, qui vel omnino linguarum veterum scientiam vilipendunt, vel latinam certe eloquentiam inter res dudum deperditas numerant.

Quae quum ita sint, Philosophorum Ordini, quem tueri imprimis istam severitatem decet, nihil potuit optatius cadere, quam quod renovandi veteris instituti prima ipsi opportunitas contigit. Quo in Ordine quum ego nunc Decani munus geram, in hac prima scriptione, ut eximiam Principum nostrorum curam praedicarem, de nulla re prius quam de hoc ipso scriptionis publicae instituto scribendum putavi.

Accedit ad publicam caussam privata, quam arrogantiae nemo tribuet, qui me meamque de scriptiunculis meis sententiam norit. Sed quum sint, qui has nugas meas aliquid esse putent, his, quid inposterum de iis exspectandum, quo modo existimandum sit, breviter exponam. Etenim duplex nunc mihi impositum est scriptionis academicae genus: alterum temporarium, pertinens ad Decani vices, quae quarto quintove quoque annno redire solent; alterum perpetuum, quod coniunctum est cum eloquentiae professione. In priore illo si quid peccavero, meum erit peccatum mihique soli imputandum: siquidem his in libellis, quod grata mente profiteor, aequo et pari cum Theologis programmatariis ceterisque et mei et ceterorum Ordinum Decanis iure fruor, ut mihi non sit necesse de iis, quae scripserim, antequam publicentur, rationem Collegis reddere. In his itaque primum continuabo Antoniniana mea, deinde de iis rebus tractabo, in quibus etiamsi erravero, tamen crimen et culpam errorum nolo quemquam mecum participare. Cetera scripta, quae sunt ex posteriori genere pertinentque ad eloquentiae munus, subiecta sunt censurae Collegarum, quibus scriptorum etiam rationem reposcere ab eloquentiae Professore licet. In quo par est revereri providam curam, qua cavere visum est, ne, quod offendat legentes, in tanta publice scribendi et crebritate et necessaria saepenumero festinatione invito excidat. Sed eadem res, ut ingenue fatear, magnum animo nostro metum, magnam sollicitudinem attulit. Nam quum de rebus divinis et humanis, quae mathematica evidentia careant, prope omnibus, et (quod illustribus exemplis constat) de ipsa verborum significatione, non modo

fluxa et mutabilia, ſed etiam diverſa ſint hominum iudicia: vereor ego vehementer, et ſatis iuſta eſt cauſſa verendi, ut, quibus probari cupio, cenſoribus ſatisfaciam. Quamobrem, ne ulla umquam de libellis meis disceptatio aut altercatio renaſcatur cum iis, quorum in favore et amicitia magnam felicitatis academicae partem ponere ſoleo, rem ita moderabor, ut in his quidem ſcriptis, quae et numero plura et tempore frequentiora ſunt, non tam mea proponam, quam aliena, in edictis quidem et annalibus academicis, quae Senatus benigne mecum communicabit [2]), in ceteris inedita quaedam virorum eruditorum, imprimis illius, quem prope ἄπτωτον in ſcribendo iam dudum ſummi homines iudicaverunt. Et abſoluta Ruhnkenii de Antiquitatibus Romanis commentatione, cuius magna pars mihi ſupereſt edenda, per amicorum benevolentiam in promptu ſunt alia, quae ab exteris ſcripta, et adhuc ſcriniis incluſa, non minore cum utilitate, quam Ruhnkeniana illa, in lucem proferantur. Ita quodcumque inpoſterum utroque ex genere edetur, quo quidque referendum ſit, quorum intereſt ſcient: qui ſciunt, ut faveant propoſito, precor: nobis autem, quod Deo iubente reliquum erit academicae vitae, ex animi ſententia, hoc eſt, privatim pacatum tranquillumque, nec publice ἄμουσον atque incaſſum fluet.

His ita expoſitis, faciam quod in praeſenti muneris mei eſt. Teſtandum eſt enim, virum clariſſimum humaniſſimumque, *Carolum Hermannum Scheidlerum, Gothanum*, editis doctrinae ſpeciminibus, Ordini Philoſophorum ita ſatisfeciſſe, ut dignum eum exiſtimaremus, cui Doctoris honoribus iam antea ornato, etiam Magiſterii Ienenſis iura impertirentur, eoque poteſtas fieret ſcholas in hac Academia habendi. Placuit enim optimis Principibus noſtris etiam hac in re inſtaurare morem et opinionem maiorum, qui Magiſtro legitime creato plus dignitatis academicae tribuebant, quam Doctori, omninoque Magiſterii iuribus rite impetratis omnium academicorum honorum gradus tamquam ſolido ac firmo fundamento ſuperſtruebant. Quamquam vero ſunt hodie, praeſertim plebeculae auram captantes, quos unice Doctoris titulus ita delectet, ut Magiſtros ſe appellari paene ignominioſum ducant: tamen optandum eſt vehementer, ut Academiis, in quibus artium magiſteria refrixerunt, mox redeat aurea illa aetas, qua Magiſtri Philippi eruditio

2) Haec ego ſcripſeram paullo poſt quam novae doctoribus Ienenſibus leges perlatae eſſent. Mox Collegae me docuerunt, cenſurae exemptos eſſe Annales. Itaque in his pleraque ex me promere auſus ſum.

non tantum amicissimi sui praeconio efferebatur, sed in cathedra quoque et scriptis, magisterio vere dignis, dominabatur. Ac notum satis est, Lessingius quid responderit Klotzio, qui Magistri ipsum titulo fastidiose traduxerat 3). Sed ad nostrum Magistrum ut revertar, scripsit is luculentam dissertationem argumenti historici *de morte voluntaria:* quam etsi non potuit propter valetudinis rationem ex cathedra defendere, in publicum tamen emittet 4), eaque re efficiet, ut de ipsius in litteris et historia progressibus etiam ii possint pronunciare, qui in censendis ingeniis suum potius iudicium, quam aliorum auctoritatem sequuntur. Faxit Deus O. M. ut haec novi doctoris cooptatio Academiae et litteris salutaris sit. P. P. in Universitate litterarum Ienensi, ipsis Calendis Decembribus, anno a Chr. n. MDCCCXXI.

---

3) *„Der Magister gilt in dem Falle, in welchem wir uns mit einander befinden, sogar mehr als der Geheimderath. — Der Magister macht es, daſs ich mich um den Geheimdenrath bekümmere: und schlimm für den Geheimdenrath, wenn ihn sein Magister im Stiche läſst!" Briefe antiquar. Inhalts II.* p. 276. Denique huc pertinent, quae Wolfius nuper scripsit *Litterar. Analekten* IV. p. 371. *„Bey dem Titel Magister blieb man in England von jeher, und wird wahrscheinlich immer dabey bleiben, ohne Neid auf den nach Sprache (denn wer lehrt nicht?) und nach altem akademischen Brauch weniger bedeutenden eines Doctors, mit dem jemand überdieſs leicht in Gefahr kommt, von Hülfsbedürftigen angesprochen zu werden; denen mit allen sieben Künsten nicht zu helfen steht."*

4) Inserta est dissertatio huic tertiae Parti Annalium No. XIV.

XII.

EXERCITATIO ANTONINIANA
SEXTA.

Creationem Doctorum philosophiae et Magistrorum LL. artium
hoc et proxime superiore semestri rite peractam
nunciat simulque
Candidatis
summorum in philosophia honorum examina sollemnia
ipsis Calendis Februariis habenda indicit
HENR. CAROLVS ABR. EICHSTADIVS
ORDINIS PHILOSOPHORVM H. T. DECANVS.

Quum nostra aetate acciderit, ut honorum non modo tituli sed etiam insignia passim evilescerent, propterea quod magna in iis vel expetendis impudentia, vel tribuendis levitas regnare coepit, habuit Academia Ienensis inde a primordiis suis hanc tamquam propriam sibi et perennem laudem, in ea ut tum ceteri [1]), tum maxime philosophici honores et ambirentur quam plurimis, et qui eos rite adepti essent,

1) Ceteros illos intelligi volumus non tantum de iis, quos Doctoratus titulo singuli Academiae Ordines impertiunt, sed etiam de aliis, qui proprii sunt Academiae Ienensi. In his memorabile imprimis est, Villoisonum, quum aeternum studii doctrinaeque suae monumentum, Iliada, in lucem ederet, spretis honorum titulis, quos plurimos habebat tum a patria sibi, tum a plerisque Europae Academiis et Societatibus litteratis tributos, in fronte operis non nisi Vpsaliensis Academiae et *Societatis Latinae Ienensis* sodalem se professum esse.

his praecipuum quoddam afferre decus atque ornamentum existimarentur. Sed rite consequi honores in Academia nostra non licet, nisi probata Ordinibus ea doctrina, quae candidatos tali decore dignos praestet. Qua de re quum ab Ordine Philosophorum adhuc intra privatos fere parietes iudicatum fuerit, non quo pronunciare sententiam reformidaremus, sed quod eius generis scripta iam dudum apud nos, nescio quomodo, in desuetudinem venerant: nunc, restitutis nuper et ipsa lege sancitis publice scribendi opportunitatibus, faciundum putavimus, ut etiam hanc muneris nostri administrationem ad notitiam publicam celebraremus. Itaque huic rei programma destinavimus, a Decano vel Prodecano quotannis edendum. Erit autem duplex illius materies: una inserviens renunciationi Doctorum, qui intra anni spatium, quo duo deinceps Decani Ordini praesunt, legitime sunt creati; altera pertinens ad invitationem illorum, si qui iunctim velint ad sollemnia examina admitti, exploratаque litterarum scientia iunctim honores philosophicos adipisci. Quamquam enim etiam inposterum singuli antiquo ritu Doctores creabuntur, quotiescumque nomina sua professi, quae praestanda ex legibus sunt, praestiterint: tamen annua quoque panegyris instituetur, qua honorum consequendorum cum facilitate celebritas augeatur.

Quod dum ita instituimus, non rem novam suscipimus, sed veterem renovamus. Memoriae enim proditum est, inde ab ipsis huius Academiae incunabulis sollemnes exstitisse Magistrorum creationes, primam quidem Victorino Strigelio Cancellario et Brabeuta celebratam die 11 Iulii a. 1558: quam deinde singulis annis sequutae sunt ceterae, usque dum funestissimum illud triginta annorum bellum cum aliis Academiae institutis etiam hoc turbaret. Postquam vero ista feralis et inimica Musis Bellona furere desiisset, publicam Doctorum philosophiae renunciationem non modo restitutam esse, sed etiam bis quoque anno peractam, ex actis constat. Quem morem, Io. Andr. Bosii morte rursus interruptum, eius successor, Caspar Sagittarius, sic instauravit, ut in programmate, his sollemnibus scripto [2]), reducem Salanae Academiae et philosophicae imprimis Facultati felicitatem gratularetur, quae per integrum decennium ei non obtigisset. Et produxit illo tempore in conspectum collegarum decuriam, ut ait, iuvenum, singulari doctrina probatorum, quibus accessit absens septenarius, non minori eruditione excultus: in quos cunctos

2) Historia templi Ienensis academici cum epitaphiis et inscriptt. sepulcralibus eius templi, Ien. 1685. 4. p. 4 sqq.

ſummi philoſophiae honores more maiorum in acroaterio publico delati ſunt. Sed quam diuturna fuerit reſtituta illa felicitas, non traditum eſt. Quo magis nos oportet curare, ut mos eo iam tempore revocatus, quo ſuum Decanatus orbem redintegrat, ne rurſus exoleviſſe citius, quam revixiſſe videatur.

Et proxime quidem ſuperiore ſemeſtri, quo vir perilluſtris, *Io. Henricus Voigtius*, Mathematum et Phyſices Profeſſor, Decanatum geſſit, Prorectore Academiae Magnifico, *Paullo Chriſtophoro Gottl. Andreae*, Anteceſſore, decem candidati honores noſtros capeſſiverunt: in quibus nullus fuit, quin aut graviſſimorum virorum auctoritate, aut doctrinae, miſſis ſpeciminibus cognitae, propria commendatione adiuvaretur. Doctores quo ordine creati, quibus elogiis ornati ſint, ſupra diximus Part. II. p. 142.

Hoc autem, quod iam vergit, ſemeſtri qui Prorectore *Io. Friderico Fuchſio*, viro perilluſtri, Ordinis Medicorum Seniore, Decano Eloquentiae ac Poeſeos Profeſſore, qui hunc ipſum libellum conſcripſit, ſummos philoſophiae honores impetrarunt, decem candidati, eorum et nomina et eruditionis ſpecimina eodem loco p. 147 commemorata ſunt: additi etiam ii, qui habitis in curia Academiae praelectionibus ἐπιδεικτικαῖς, quum Doctores antea creati fuiſſent, Magiſterii iura eoque poteſtatem ſcholas in hac Academia habendi obtinuerunt.

Renunciatis his philoſophiae Doctoribus, atque artium liberalium Magiſtris, iam ad vos me converto, viri humaniſſimi, qui exempla illorum ſequuti, ſtudiorum in litteris adhuc poſitorum publica ab Ordine Philoſophorum praemia petere decreviſtis. Humaniſſimae voluntati veſtrae Ordo nulla re deerit, quam et rogare honeſtum, et concedere aequum eſt. Dictae ſunt examini ſollemni Calendae Februariae: cui examini quo plures intererunt, eo non tantum iucundior, ſed etiam glorioſior erit contentio. Quicumque ergo veſtrum, optimi Commilitones, hanc ſtudiis ſuis veram commendationem, haec vitae academicae ornamenta quaerere volent, eos, ut ante dictam diem ſua apud me nomina profiteantur, oro, quo ipſos Ordini ampliſſimo commendare poſſim. Vehementer laetabor ſi hac cohortatione excitentur quam plurimi, qui propoſita doctrinae praemia ſibi petenda arbitrentur.

Iam quum conſilio huius ſcriptionis ſatisfecerimus, revertimur ad Antoniniana noſtra, ut huic quoque officio, quod libellos academicos expertes vetat eſſe doctrinae, ſatisfaciamus. Subſtitimus nuper eo in loco, ubi quaerebatur de compara-

tione, quam inter M. Aurelii Antonini commentarios et Novi Testamenti libros, Bruckero duce, nonnulli instituerunt. Comparandi alia vero caussa fuit Bruckero, alia eius sectatoribus. De illa nuper diximus: haec qualis sit, nunc uberius explicandum est. Antoninum enim non alienum fuisse a Christianismo demonstrare voluerunt, ita quidem, ut quem adhuc ex ipso eius libro Christianorum adversarium cognovissemus, eum tecte tamen libros illorum sacros imitando expressisse, et Christianae religioni clanculum favisse nobis persuaderent.

Itaque comparationem illam primum traducunt ad singulas loquutiones et dicendi formulas, quae vel ipsa origine sua Hellenisticam rationem arguant, vel a sacris potissimum scriptoribus usurpatae, et in usum sacrum introductae, mox a Stoicis imprimisque Antonino inde transsumptae sint. Ex hoc genere formulas censent esse πόλις θεοῦ ἐπουράνιος et ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ, quibus Paullus caelestem beatorum mansionem 3) indicaverit. Hinc Antoninum, quamquam sensu Stoico, non tantum Διὸς πόλιν 4) memorasse, sed etiam homines dixisse πολίτας πόλεως τῆς ἀνωτάτης 5). Sed non animadverterunt viri doctissimi, ex diversis utrumque scriptorem fontibus hausisse, Paullum ex Hebraica, Antoninum ex Platonica illa dicendi ratione, quam Stoici recentiores frequentaverunt. Hebraeis quo sensu dicta fuerint *supera Hierosolyma*, Lightfootus, Scheidius, Schoettgenius aliique 6) dudum docuerunt: Plato autem quum πόλιν dixisset de ea civitate, quae verbis solum, in terris autem nusquam exstaret, et cuius exemplar in caelo fortasse conspicuum esset 7), mox imitatores eius imagine πόλεως et πολιτείας descripserunt universum, quod di-

---

3) Verba sunt Bruckeri (qui, ut obiter moneamus, has formulas loquendi nimis augusto sensu cepit) Temp. Helvet. T. III. p. 270. Loca Paulli sunt Hebr. XII, 22. Galat. IV, 26. Patrum Graecorum loca citavit Suicerus in Thesauro ecclesiast. p. 1447.

4) IV, 23 (p. 29. ed. Coray, qua in textu citando uti solemus). Sed istud quum prorsus alio sensu dicatur, consultius erat afferre ex IV, 3. p. 24. ὁ κόσμος ὡσανεὶ πόλις. Quod idem repetitur IV. §. 4. p. 25. Gatakerus bene comparat Epictet. III, 24. ὅτι ὁ κόσμος οὗτος μία πόλις ἐστι, καὶ ἡ οὐσία, ἐξ ἧς δημιουργῆται, μία, et Cic. Parad. 2. *Exsilium non est eis terribile, qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt.* Num haec quoque petita sunt ex libris sacris Christianorum?

5) III, 11. p. 21.

6) Illorum libros laudavit, et summam disputationis diserta, uti solebat, brevitate exposuit optimus olim praeceptor meus, Morus, Acroas. in Ep. Paullin. ad Gal. et Ephesios p. 98.

7) Cfr. de Rep. IX. extr. T. VII. p. 281. ed. Bip.

vina mente continetur, aeternisque legibus et aeterno consilio gubernatur 8). Cui quidem doctrinae, ut alios 9) silentio praetermittamus, imprimis Proclus suos in Platonis philosophiam libros veluti fundamento superstruxit.

Afferunt porro ex M. Aurelii commentariis voc. κόσμος, positum de hominibus malis, sensu, uti Bruckerus ait, prorsus Hebraeo et sacris tantum scriptoribus familiari. Imperator enim haec scripsit 10): Μέμνησο, ὅτι, ὥσπερ αἰσχρόν ἐστι ξενίζεσθαι, εἰ ἡ συκῆ σῦκα φέρει, οὕτως, εἰ ὁ κόσμος τάδε τινὰ φέρει, ὧν ἐστι φορός. In his, etiamsi concedamus, similitudinem a ficu desumptam respondere sermoni Christi, qui est apud Matthaeum 11), quamquam ea similitudo est, quae et mihi, et tibi, et cuivis alii in mentem possit venire: ipsa tamen interpretatio, quam Bruckerus addidit: *Memineris, aeque turpe esse, mirari quemquam, quod ficus ficum ferat, quam quod mundus sit ferax eorum, quae profert,* satis declarat, κόσμον h. l. proprie dici de mundo, qui bona, mala proferat, non de hominibus, qui in mundo sint, omnium nimime de iis solummodo hominibus, qui mali sint.

Non maior vis persuadendi in illa inest similitudine de ramo avulso, quam a Paullo sumpsisse Antoninus censetur. Hic ista scripsit 12): Κλάδος, τοῦ προσεχοῦς κλάδου ἀποκοπείς, οὐ δύναται μὴ καὶ τοῦ ὅλου φυτοῦ ἀποκεκόφθαι. Οὕτω δὴ καὶ ἄνθρωπος, ἑνὸς ἀνθρώπου ἀποσχεθείς. ὅλης τῆς κοινωνίας ἀποπέπτωκε — ἔξεστι γὰρ πάλιν ἡμῖν συμφῦναι τῷ προσεχεῖ, καὶ πάλιν τοῦ ὅλου συμπληρωτικοῖς γενέσθαι. Improbat igitur omnem dissociationem hominis ab homine, propterea quod quae ab singulis fiat, pertineat ad societatem universam, nec nisi aegre resarciri ac restitui possit. At haec quantopere abhorrent ab allegoria, qua Paullus 13) *defractos ramos* dixit eos

---

8) Auctor libri de mundo c. 6. de politia humana sic progreditur ad universum: Οὕτως ὑποληπτέον καὶ περὶ τῆς μείζονος πόλεως, λέγω δὲ τοῦδε τοῦ κόσμου. Νόμος μὲν γὰρ ἡμῖν ἰσοκλινὴς ὁ θεός, οὐδεμίαν ὑποδεχόμενος διόρθωσιν ἢ μετάθεσιν· κρείττων δὲ οἶμαι καὶ βεβαιότερος τῶν ἐν κύρβεσιν ἀναγεγραμμένων. Ἡγουμένου δὴ ἀκινήτως αὐτοῦ καὶ ἐμμελῶς, ὁ σύμπας διοικονομεῖται διάκοσμος οὐρανοῦ καὶ γῆς. Clemens Alex. Strom. IV. extr. p. 543. Λέγουσι γὰρ καὶ οἱ Στωϊκοὶ τὸν μὲν οὐρανὸν κυρίως πόλιν, τὰς δὲ ἐπὶ γῆς ἐνταῦθα οὐκέτι πόλεις· λέγεσθαι μὲν γάρ, οὐκ εἶναι δέ. Σπουδαῖον γὰρ ὁ πόλις, καὶ ὁ δῆμος ἀστεῖόν τι σύστημα καὶ πλῆθος ἀνθρώπων ἀπὸ νόμου διοικουμένων.

9) Stoicorum loca congessit Gatakerus ad Antonin II, 16. p. 56. III, 11. p. 84. IV, 23. p. 110 et VI, 44. p. 198.

10) VIII. 15. p. 76.

11) VII, 26. cfr. Jacobi ep. III, 12.

12) XI, 8. p. 112.

13) Rom. XI, 17.

Abrahami posteros, qui discesserant ab eius familia, h. e. qui desierant esse genuini posteri tum, quum Messiam repudiarent, et tamquam hominem rebellem ad supplicium agerent. Non possunt profecto in rerum natura ita inter se differre arborum rami, quemadmodum allegorica illa, si verborum non sonum sed sensum spectes, diversa sunt.

Deinde provocant ad formulam loquendi, qua Antoninus dixit omnia ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς diis esse committenda [14]), similem Hebraicae בְּכָל־לְבָבְךָ וּבְכָל־נַפְשְׁךָ, quae ex versione Alexandrinorum in libros N. T. [15]) fluxit. Poterant etiam provocare ad alia loca, Gatakero iam laudata, quibus Antoninus ἀσπάζεσθαι ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς τὰ συμβαίνοντα, item ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς τὰ δίκαια ποιεῖν et ἀπὸ καρδίας εὐχάριστος scripsit: neque tamen caussam vicissent. Nisi forte ex libris sacris etiam hauserunt Xenophon, qui ὅλῃ τῇ ψυχῇ κεχαρίσθαι, Demosthenes, qui παντὶ θυμῷ φιλεῖν, Aristophanes et Lucianus, qui ἐκ τῆς καρδίας φιλεῖν, Pindarus, qui αἰνεῖν τὸν ἐχθρὸν παντὶ θυμῷ scripserunt: quorum loca iamdudum ab iis congesta sunt, qui dictionem Novi Testamenti cum classicis scriptoribus contulerunt [16]).

His Bruckerus formulam Marci Imperatoris φιλεῖν ἀληθινῶς [17]) sic apposuit, ut dubium sit, illustrandi causa an ad eamdem cum N. T. similitudinem demonstrandam fecerit. Quamquam haec ne similitudo quidem est, et Petri [18]) φιλαδελφία ἀνυπόκριτος, quam Gatakerus attulit, ad aliud scribendi genus pertinet.

Haud dispar est ratio formulae loquendi ἀθλητὴς ἄθλου μεγίστου, qua Imperator [19]) ex Stoicorum more eum appellavit, qui domare didicit et vincere cupiditates. Recordatus est Bruckerus Paullini illius [20]), ἀγωνίζεσθαι τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως· vellemus meminisset Demosthenici, τῶν καλῶν ἔργων ἀθλητήν, quod Gatakero [21]) laudatum, Philo aliique imitati sunt, aut Theopompei illius, ἀδικίας καὶ βδελυρίας ἀθλητής, quod Polybius [22]) citavit.

Tum quod Apostolus [23]) dixit de trino deo, ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν

---

14) IV, 31. p. 31. Cetera loca sunt III, 4. XII, 29. II, 3.

15) Matth. XXII, 37. Marc. XII, 30. Luc. X, 27.

16) Cfr. imprimis Iac. Elsneri Observatt. sacr. p. 158 et Io. Alberti Observatt. philol. in sacros Novi Foederis libros p. 128.

17) VI, 39. p. 56.

18) Epist. I, 1. 22.

19) III, 4. p. 18.

20) Epist. ad Timoth. I, 6. 12. II, 4. 7.

21) p. 70.

22) VIII, 11. 8. T. III. p. 28. ed. Schweigh.

23) Rom. XI, 36.

πάντα, id Antoninum Bruckerus censet fidenter usurpavisse de Stoico deo, quum scriberet [24]), ὦ φύσις, ἐκ σοῦ πάντα, ἐν σοὶ πάντα, εἰς σὲ πάντα, manifesta verborum cum Apostoli sententia συμφωνίᾳ. Sed nonne huc referenda potius erat vetustissima illa formula, iam in Orphicis decantata, ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τελευτή? Aut si quando Antoninus, quod alii aliis verbis significarunt [25]), dicto quodam N. T. expressisset, num quid aliud inde sequitur, quam quod supra [26]) iam concessimus, eum more aequalium legisse Christianorum libros, neque secus, quam alios, si quid forte memoria ex iis offerret, in usum adhibuisse?

Ceterum, ut rem paucis absolvam, Gatakeri in locis afferendis diligentia (quamquam ea copia magis fuit et indigestae molis congestio, quam diligentia) videtur saepenumero obfuisse Bruckero, qui, sicubi in huius annotatione loca N. T. laudata inveniret, illico in rem suam traxit, cupidiusque iis ad diabolicam illam, quam finxit, Antonini imitationem arguendam abusus est. In quo tanto etiam facilius in fraudem poterat incidere, quanto erat alienior ab accurata linguae Graecae scientia: quippe qui ingentis aedificii, quod animo sibi informaverat, exstruendi, quam fundamenti ponendi studiosior, in corradendis potius quam exigendis atque interpretandis veterum locis, ad historiam philosophiae componendam utilibus, totam vitam consumpserit.

Quo maior cautio atque circumspectio in verbis explicandis iure poterat ab iis exspectari, qui Bruckeri vestigia sequuti sunt. Sed doctissimus Agapes auctor (quem quum vivum semper honoris caussa, nunc rebus nostris nuper ereptum non sine magno animi desiderio nominamus) Kestnerus igitur, Bruckeri consilium oblitus, non tantum nimis facilem sese praebuit amplectendis eius commentis, verum etiam per nimium opinionis suae de clandestino Christianorum foedere amorem ea adiecit, quae non minus a veritate abhorrerent. Veluti scripsit Antoninus [27]): "Ἄφες τὰ βιβλία· μηκέτι σπῶ· οὐ δέδοται ἀλλ' ὡς ἤδη ἀποθνήσκων, τῶν μὲν σαρκίων καταφρόνησον, ac paullo post [28]): τῶν δὲ βιβλίων δίψαν ῥίψον, ἵνα μὴ γογγύζων ἀποθάνῃς, ἀλλὰ ἵλεως, ἀληθῶς καὶ ἀπὸ καρδίας εὐχάριστος τοῖς θεοῖς. Haec Kestnerus non dubi-

---

24) IV, 23. p. 29.

25) Velut Empedocles ap. Pseudo-Plutarch. de placit. philos. I, 18. p. 31 ed. Beck. Οὐδέ τι τοῦ παντὸς κενεὸν πέλει, οὐδὲ περισσόν, aut Seneca Ep. 93. *Omnia, quae usquam erant, clusit* (natura), *et seipsam sui finem fecit.*

26) Exercitat. V. p. 12.

27) II, 2. p. 10. Locum male citavit.

28) II, 3. p. 10.

tavit de Bibliis ſacris interpretari, quae legentis animum novis ſuis ac verioribus decretis ita perculerint, ut, quum deſerere patriam religionem patriosque deos aut nollet aut non poſſet, invitus ac velut deſperatione quadam adactus, libros ſacros Chriſtianorum abiecerit. Cui explicationi tria quam maxime repugnant, uſus loquendi, ſententiarum nexus, loca quae vocantur parallela. Ac de uſu loquendi certum nobis videtur, quod collega coniunctiſſimus, Baumgartenius Cruſius, monuit, voc. *βιβλία* de corpore librorum ſacrorum prioribus religionis Chriſtianae ſaeculis neque in uſu fuiſſe ſcriptoribus, neque omnino eſſe potuiſſe, quandoquidem illo tempore Evangelia et ſcripta Apoſtolorum neque omnibus Chriſtianis aequaliter uſurparentur, nec corpus librorum efficerent. Appellationis origo quaerenda videtur in loco Paullino qui eſt II. Timoth. IV, 13, et ſignificatio derivanda ex eo, quod *γράμμα* vel *γράμματα*, de Vet. Teſt. dicta, illis opponebantur. Nam quem Suicerus 29) nominis auctorem laudat Chryſoſtomum, is tamen non ſimpliciter ſcripſit *βιβλία*, ſed neceſſum putavit explicationis cauſſa adiicere *φάρμακα τῆς ψυχῆς*, quo librorum ſacrorum notionem exprimeret. Sed poſt Chryſoſtomi aetatem Homiletarum Graecorum conſuetudo videtur effeciſſe, ut vocabulum *κατ' ἐξοχὴν* diceretur de corpore librorum ſacrorum. Ad ſententiarum tenorem quod attinet, in priore loco quae verba ſequuntur, *τῶν μὲν σαρκίων καταφρόνησον· λύθρος, καὶ ὀστάρια, καὶ κροκύφαντος, ἐκ νεύρων, φλεβίων, ἀρτηριῶν πλεγμάτιον*, in poſteriore quae praecedunt, *ταῦτά σοι ἀρκείτω, ἀεὶ δόγματα ἔστω*, aperte oſtendunt, Antoninum non dixiſſe de libris ſacris, praeſertim ſi tantum iis, quantum Keſtnerus exiſtimat, pretium ſtatueret, ſed ex Stoicorum ſententia dixiſſe omnino de copia et lectione librorum philoſophicorum, quae opinionem magis quam mentem augeat, oneret diſcentem non inſtruat, omninoque animum avocet 30) ab ſimpliciſſimá Stoae doctrina, quae non niſi naturalia et neceſſaria complectebatur. Idque etiam comprobant, in quibus tertium dixi obſtaculum eſſe novae interpretationis, loca parallela,

29) Theſ. Eccleſ. ſ. v. *βιβλίον*, p. 687. et ſ. v. *βιωτικός*, p. 696. Chryſoſtomi locus eſt Homil. IX in Epiſt. ad Coloſſ. p. 137. Alibi, Homil. X in Geneſin, appellat *τὰ θεῖα βιβλία*.

30) Conſimilia ſunt et ad eumdem ſententairum nexum compoſita, quae II, 5. p. 11 leguntur: *Σχολὴν σαυτῷ ἀπὸ πάσων τῶν ἄλλων φαντασιῶν πορίζειν. Ποριεῖς δὲ, ἂν, ὡς ἐσχάτην τοῦ βίου, ἑκάστην πρᾶξιν ἐνεργῇς κ. τ. λ.* Adde III, 14. p. 22, ubi ſuos ipſe commentarios atque ex veterum ſcriptis excerpta inter *κενὰς ἐλπίδας* numerat, quibus non opus ſit ad finem feſtinaturo.

diligenter Gatakero ad hunc ipſum locum commemorata [31]), quae eamdem, quam dixi, ſententiam habent.

Denique quod vir doctiſſimus [32]) Antonini illam admonitionem [33]): *διὰ τί συγχέουσιν ἄτεχνοι καὶ ἀμαθεῖς ψυχαὶ* [34]) *ἔντεχνον καὶ ἐπιστήμονα;* ſcriptam pronunciat contra Apoſtolos, eosdem quos Caecilius apud Minucium Felicem [35]) tamquam *rudes litterarum*, *profanos*, *expertes artium* perſtrinxerit, id nullo prorſus argumento demonſtravit. Et obſtant alia loca, etiam Epicteti, unde clariſſime intelligitur, ſcriptorem id unice ſpectaſſe, ut firmaret in propoſito et adverſus calumnias defenderet ſapientes, qui non curarent indoctos, ſi in eo, quod fas et nefas, iuſtum et iniuſtum eſſet, ab ipſis diſſentirent [36]). Sed Keſtnero accidit ſaepenumero, ut, quum iſtius opinionis ſuae praeſidia undique conquireret, eamque perſuadere indoctioribus conaretur, quibus maxime perſuaſit, velut impatiens morae, neque ad ambitum alicuius verbi univerſum ſatis attenderet, et nexum ſententiarum tenoremque locorum parum curaret. Qua re vir egregius, quamquam non conte-

---

31) In his Photii Cod. 242, ex quo Iſidorus; ſophiſta Damaſcio referente, *βιβλίων τὸν ὁμαδὸν παρῃτεῖτο, πολυδοξίας μᾶλλον αἴτιον ὄντα, ἢ πολυνοίας.* Sed plura huius generis apud Senecam reperiuntur.

32) „*Bey dem mangelhaften Erfolge ſeiner mühſamen philoſophiſchen Beſtrebungen beleidigte es vielleicht ſeinen Denkerſtolz, daſs er über die höchſten philoſophiſchen Syſteme, welche er jahrelang vergebens in ſeiner Seele umhergeworfen hatte, in den chriſtlichen Schriften mit einer Gewiſsheit abgeſprochen fand, welche ihm als anmaſsend erſcheinen konnte, weil ſie nicht in Begleitung künſtlich geführter philoſophiſcher Beweiſe einhertrat. Darin mag der Grund liegen, warum er ſich ſo oft* (?) *im Leſen der heiligen Schriften und vom geiſtigen Umgange mit den* m a n g e l h a f t e n, n i c h t s w e n i g e r a l s k u n ſ t g e r e c h t e n M e n ſ c h e n (*den Apoſteln*) *ernſtlich abrief — von denen er ſich in ſeinen naturphiloſophiſchen Betrachtungen geſtört ſah.*“ Agap. p. 392 ſq.

33) V, 52. p. 46.

34) Mirum eſt, *ψυχάς* h. l. intactas reliquiſſe eos, qui Novi Teſt. dictionem in Antonini commentariis venarentur, praeſertim quum Gatakerus vocabulum ex Hebraeis et Hebraiſantibus explicaviſſet.

35) C. V.

36) Ita plane Epictetus I. 29. Vol. I. p. 161. *Εἶτα μουσικὸς μὲν οὐκ ἐπιστρέφεται αὐτοῦ ἀποφαινομένου περὶ τῆς νήτης, εἶναι ὑπάτην· οὐδὲ γεωμετρικός. ἂν ἐπικρίνῃ τὰς ἀπὸ κέντρου πρὸς τὸν κύκλον προσπιπτούσας μὴ εἶναι ἴσας; ὁ δὲ ταῖς ἀληθείαις πεπαιδευμένος, ἀνθρώπου ἀπαιδεύτου ἐπιστράφησεται, ἐπικρίνοντός τι περὶ ὁσίου καὶ ἀδίκου καὶ δικαίου; Ὦ πολλῆς ἀδικίας τῶν πεπαιδευμένων.* Cetera loca citavit Gatakerus p. 166.

mnendas doctrinae et acuminis dotes probavit, tamen hoc potiſſimum nobis optandum reliquit, ut paullo lentius feſtinaſſet.

Sufficiant haec de ſingulis verbis et loquendi formulis. Progrediendum eſt nobis ad univerſas ſententias, ſive ad dogmata, ſi forte in his maior Antoninianorum cum Novi Teſtamenti libris conſenſio et conſpiratio agnoſcatur. Quae quidem libelli per aliam occaſionem ſcribendi materies erit.

XIII.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
NATVRA AFFINITATIS CHEMICAE

AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
D. XII. M. SEPT. MDCCCXXI
PRO VENIA DOCENDI RITE IMPETRANDA
PVBLICE DEFENDIT
AVCTOR

GODOFREDVS GVILIELMVS OSANN,
VIMARIENSIS
PHILOS. D. ET SOCIET. MINERALOGICAE IENENSIS AB EPISTOLIS.

PROOEMIVM.

Naturae ſcientiarum eam partem, qua affinitas chemica continetur, nemo erit, qui graviſſimi eſſe argumenti non dicat. Quod etſi omnes, qui has litteras tractant, optime ſe intellexiſſe eo profeſſi ſunt, quod hunc Chemiae locum variis explicandi rationibus dedita opera illuſtrare laboraverint, tamen ipſa argumenti obſcuritas omnibus offeciſſe eorumque conatus ita eluſiſſe quaſi videtur, ut luce iuſta ſua adhuc careat. Quod autem imprimis agendum eſt, ubi aliqua ſcientiae doctrina novo illuſtrandi tentamine augetur, ut ſuperiorum ſententiae accurate inter ſe perpendantur et quare haec illave reiicienda videatur, demonſtretur, ſi quis miratur cur a me hoc in libello prorſus omiſſum ſit, meminiſſe eum iubeo, promi mea in

scriptiuncula academica, cuius spatium finibus tam angustis circumscribi soleat, ut id meae sententiae declaratio iam videatur superare. Utar tamen occasione hac in prooemio oblata, ut de ea ratione nostris maxime temporibus usitata iudicium meum interponam, qua explicandae affinitati chemicae vis electrica adhiberi solet; qui explicandi modus, quum obiter eum examinaveris, etsi aptissimus quidem esse videatur, tamen frustra ac falso eum esse adhibitum, hoc potissimum argumento demonstratur. Caussa enim, propter quam corpora duo coniunguntur, si in electrica utriusque vi ponenda esset, in ipso coniunctionis actu utriusque vires se invicem necessario consumerent, quibus sublatis simul caussa coniunctionis periret; coniunctio autem si qua esset, non chemica, sed mechanica efficeretur. Novam igitur viam ingressi, qua extremum recessum naturae penetrare studemus, speramus fore ut inventa nostra ii, quorum interest, aequo animo iudicent, et si humani quid mihi acciderit, recordentur, humanum esse errare.

Quo nihil turpius physico, quam fieri sine caussa quidquam dicere.
Cicero de finib. L. I. Cap. 6.

§. 1.

Quamquam multos Chemiae locos eosdemque saepe difficillimos ad hoc usque tempus acute explicatos esse, nemo nisi harum litterarum rudis inficias ire potest, tamen non nisi ab eo inde temporis momento, ex quo Richtero auctore phaenomenis recte intelligendis stoechiometria est adhibita, dici potest, Chemiam scientiarum ordini iure ab aliqua certe parte adscriptam esse. Si qua igitur est pars Chemiae, quam legibus regi intelligimus et rationes, quibus regant, perspicimus, tamen temerarium eum ego quidem dixerim, qui ab una parte scientiae culta et cognita coniecturam in scientiam ab omni parte cognitam facere vellet; nam etsi de argumento, in quo singulae Chemiae partes versantur apud omnes constat, tamen principium sive rerum natura, e quo phaenomena regantur omnino, cognitioni nostrae adhuc non aperta est. Tamdiu igitur Chemia nomine scientiae carebit, quamdiu cuiquam denegatum erit, rerum caussam nosse; quare ei, qui in scientiae nomine Chemiae vindicando persistit, qualiscumque legum farrago interno nexu carens eodem iure appellanda erit: qui homo magnopere vereor, ne parum, quo contineatur scientia, perspexerit, ut quae intuitu non membrorum disiectorum, sed in unum corpus collectorum cernitur.

§. 2.

Caussa autem, qua factum est, ut omnes conatus ad constituendam scientiam Chemiae frustra instituti sint, occulta esse minime videtur; fallebantur enim in ratione, qua ad efficiendam theoriam utebantur. Nam quum ita agerent, ut theoriam e singulis phaenomenis tum temporis cognitis formare iam studerent, facile est intellectu, subitaneam theoriam tamdiu solummodo valere potuisse, quamdiu nova non essent reperta phaenomena, quibus superiora refutarentur. Quod quum de die in diem ita fieri animadvertimus, ut de nulla alia litterarum disciplina Ciceronis illud rectius dici possit, diem diei commenta delere, nihil mirum profecto, theoriam, quae naturae phaenomena amplectatur, ad hoc usque tempus desiderari. At meo quidem iudicio tandem reperta feliciter est alia ratio priori accuratior et certior, quae phaenomenis explicandis et ad communem caussam et fontem referendis a Chemicis, quantum ego quidem sciam, nondum adhibita est. Haec nova ratio eo tendit, ut priores conditiones et notiones, quibus hoc illudve phaenomenum oriatur, tamquam legibus inserviant, e quibus phaenomena necessario deriventur. Quam methodum accuratioribus age iam finibus suis describamus.

§. 3.

Priusquam autem conditiones illae, quibus rerum caussa cognoscitur, dedita opera a nobis enarrantur, necessarium mihi videtur ante omnia exponere, utrum propria sit phaenomenorum chemicorum indoles, quae per se illustranda sit, an phaenomena chemica aliis naturae viribus efficiantur, ita ut aliunde explicari debeant; nam si haec phaenomena ope alius disciplinae intelligi possent, omnis noster labor frustra susceptus esset, quippe quod Chemia tum non scientia in se clausa, sed aliis contenta esset.

§. 4.

Si qua est vis, quae phaenomenis explicandis extrinsecus videri possit adhiberi, est profecto attractionis universalis. Quantumvis autem haec lex recte assumi videatur, tamen aliter habere hanc rem facile demonstrari potest, immo reperiri proprias quasdam virtutes phaenomenorum chemicorum, quae ab illa derivari nequeant. Qualia sunt haec duo, quae ubique fieri animadvertimus, corpora coniuncta aliis intercedentibus perfecte secari et corporum coniunctiones certis rationibus sive proportionibus fieri.

§. 5.

Secundum enim legem attractionis universalis corpora vi multitudinis agunt,

ita ut exempli gratia A a duplice B dupliciter attrahatur. Haec igitur lex, si recte in coniunctiones chemicas transferretur, duarum substantiarum inter se coniungendarum altera, quae alteri attractionis vi specifica haud par est, multitudine eius aucta, aut par reddi necessario deberet, aut cum eius multitudo etiam magis augeretur, altera fortior redderetur, unde eveniret id, quod adversus omnem experientiam pugnat, alteram ab altera secerni. Illud unum igitur phaenomenum, de quo supra dictum, e lege attractionis universalis explicari haud posse, cum demonstraverimus, videndum an res de altero, quem proposuimus, loco nobis melius cedat. Substantiae cum attractionis lex iubeat qualibuscunque rationibus coniungi, permultae autem reperiuntur, quae non nisi certis quibusdam rationibus coëant, assumenda necessario fuerit vis, quae illa attrahendi facultate potior sit: unde apparet attractionis universalis legem explicando illi phaenomeno non nisi ex parte adhiberi posse.

§. 6.

His demonstratis eas conditiones iam sum expositurus, quae necessario quibuscunque phaenomenis chemicis efficiendis communes sint, quae mihi duae maxime esse videntur. Nimirum in omnibus phaenomenis chemicis, sive substantiarum coniunctionis sive disiunctionis speciem habeant, substantiae quae iunguntur vel disiunguntur, a se diversae quotiescunque agunt; nam coniunctionem vel separationem globulorum hydrargyrii nemo sanus chemicam appellaverit. In diversitate igitur materiarum una conditio sita nobis esse videtur. Alteram contra in sublatione status solidi arbitror contineri. Nam cum quodque phaenomenum chemicum aliter non fiat, nisi substantiae plus minusve misceantur, haec autem mixtio non nisi soluto soliditatis utriusque vel alterius substantiae statu efficiatur, facile patet, sublationem status solidi hanc alteram esse conditionem, cuius veritas Chemicorum decantatissimo illo proverbio dudum declaratum est, ex quo corpora non nisi fluida agant.

§. 7.

His conditionibus, e quibus illa Chemiae phaenomena derivari arbitramur, in universum iam indicatis, unum horum phaenomenorum elegimus hac in dissertatione accuratius considerandum, num ex iis vere derivari et explicari iure nos suspicati simus. Alterum phaenomenum, cum eius tractatio iustum scripti academici ambitum (proh dolor) nimis arctis finibus descriptum inique protru-

deret, nunc mittimus, in libello vernacula lingua concepto in lucem brevi emittendo fusius expositurі.

§ 8.

Posita iam materiae diversitate tanquam prima cuiusvis actionis chemicae lege, inquirendum primum est in substantiarum diversitatem, vt qua ratione inter se differant, probe appareat. Quaevis autem differentia e comparatione cognoscitur. Quae corporibus insunt facultates, omnibus aut communes, vti extensio, aut singulis tantummodo propriae sunt. De his posteriori loco allatis, cum de materiae diversitate agitur, dicendum est. Duae autem substantiae vel omnibus qualitatibus, vel singulis, vel denique una alterave inter se differre possunt. Quae diversitatis natura ut ad duas ita ad innumerabiles omnis generis substantias pertinet. Has omnium substantiarum facultates in unum collectas finge iam in unum corpus transferri posse, ita ut iis tanquam propria sua natura et indole gaudeat: contra autem singulas has facultates in singulas substantias ita distribui posse, ut singula quaevis hac separata facultatum portione tanquam sua ipsius indole praedita sit.

§. 9.

Ratione, qua substantiae in universum a se differant, indicata, restat ut peculiare earum discrimen exponatur. Nempe eo tantummodo inter se differre possunt, quod altera alteri opposita sit; quem diversitatis modum rectius ita possis percipere, cum duas substantias tibi finxeris qualitatibus inter se diversas, quarum diversitas vel facultatum oppositione vel solo substantiarum discrimine vel denique utraque hac discriminis indole contineatur. Necessario igitur substantia facultatibus substantiarum oppositis praedita multum ab ea differt, quae in iis substantiis locum habet, quibus diversae non item oppositae facultates insunt; quare illa peculiari quadam facultate carebit omnino. Nam substantia omnibus facultatibus alteri opposita facultatum, quibus altera gaudet, inopia laborat; iam cum et alterius inopia alteriusque copia in corpore coniuncta fingitur, non poterit non in eo coniunctio utriusque substantiae facultatum i. e. copiae et inopiae exoriri. Cuius meae sententiae veritati omne, si quid relinquitur, dubium exemplo facile erepturum me puto ex arithmetica petito. Sicuti enim numeri 3 et 7 a se ita differunt, ut alter non sit idem alter, ita numeri 3 et 3 oppositum valorem pendentes inter se distant.

§. 10.

Explanata iam illa una diverſitatis conditione, ad alteram progredimur conſiderandam, quam in ſublatione ſtatus ſolidi conſiſtere ſtatuimus. Hic ſtatus ſolidus ſubſtantiarum aut ipſo accedente calore, aut adhibitis ſubſtantiis calore iam liquefactis tollitur. In qua diſquiſitione duo potiſſimum conſideranda eſſe videntur, nimirum quo modo calor in ſolvendis ſubſtantiis agat, denique cuius generis ſtatus ſit ſubſtantiarum ſolutarum.

§. 11.

Quod ad priorem quaeſtionem attinet, facile patet, calorem niſi ſublata attractione partium ſubſtantiae ſolidae agere non poſſe, quippe cum in ſtatu fluido particulae ſubſtantiarum mobiles ſint, quod fieri haud poſſet, ſi adhuc cohaererent. Exponendum igitur nunc eſt, quales ſint partes ſubſtantiarum ſolidarum et quomodo cohaereant inter ſe. Cum experientia patefactum ſit, ſubſtantias vi mechanica diſcerni poſſe, atque hanc ſecretionem ſecundum modum cryſtalliſationis fieri, particulas autem has, parietibus earum inter ſe appoſitis, in unam conglutinari poſſe, alia profecto vis cogitari non poteſt niſi attractiva, quae particulas parietibus earum ſe tangentibus in unam coniungat. Quod ſi ita habet, caloris effectum in eo poſitum eſſe oportet, ut contractionem parietum tollat.

§. 12.

Maiori autem difficultate altera quaeſtio premitur: in qua primum videndum, utrum ſubſtantiarum ſtatus fluidus in caloris et corporum unione dynamica, an potius mechanica verſetur. Quamquam haec unio dynamica, in qua ſubſtantias in infinitum dividi poſſe apud omnes conſtat, ex analogia ſpatii in infinitum diviſibilis praeſumi poteſt, tamen cum vix intelligatur, quomodo duo corpora eodem in ſpatio verſari poſſint, opinio illa relinquenda tum erit, cum demonſtrabitur, aſſumtionem mechanicae unionis cum ſana mente non pugnare. Sunt tamen quidem, qui ut hypotheſin de mechanicae corporum ſolutione falſam eſſe convincant, hoc argumento utantur, modum ſolutionis niſi ſimul conceſſa circulatione particularum ſolutarum perpetua intelligi non poſſe, quia alioquin particulae hae propter ipſarum pondus delaberentur, circulationem autem ſolutionis nullam animadverti. Quod ſi hoc argumentum a circulatione petitum cum fructu adhibitum eſſe haud negamus, tamen ipſam eorum opinionem ſtatim concidere oſtendemus, mechanicam ſolutionem etiam ſine circulatione eſſe poſſe, demonſtraturi.

§. 13.

Cum enim ſubſtantia e ſolutione, calore remoto, in priſtinum eius ſtatum i. e. ſolidum reſtitui poſſit, manifeſtum eſt, eius vires, quibus in ſtatu ſolido retinebatur, calore admoto non prorſus extingui, at tantummodo in tempus tolli vel debilitari. Nam ſi plane extinguerentur, ſubſtantia, ſimulac in eodem ſolutionis ſtatu calorem demeres, neceſſario in ſtatum abiret, in quo ſingulae particulae internam ipſarum cohaeſionem exuerent, id quod experientiae non conſentaneum eſt. Particulis igitur ſubſtantiarum calore ſolutarum neceſſario concedenda eſt vis attractiva, qua efficitur, ut eae calore ſublato in priſtinum ſoliditatis ſtatum redeant. Cum autem ea caloris indoles ſit, ut ſubſtantias in partes ſolvat, ei facultati prorſus adverſatur, qua partes ſubſtantiarum in ſtatu ſolido ſe invicem attrahant ſive apprehendant. Repertis igitur duabus viribus ſibi adverſariis, videndum eſt, an ſtatus quidem medius inveniri poſſit, cui utraque inſit coniuncta. Iam cum calori vis expanſionis inſit, contra cuiusvis ſubſtantiae ſolidae natura in facultate attrahendi ſive cohaerendi verſetur, per ſe patet, ſtatum, in quo utraque haec vis ſimul exiſtat, medium illum eſſe, quem nemo neſcit eſſe fluiditatis. Quodſi has vires adverſarias in ſtatu fluido ſimul coniunctas verſari recte contendimus, fieri non poteſt, ut particulae ſubſtantiarum ſolutarum dilabantur, cum mutua virium intentione retineantur. Quam tamen meam ſententiam eum tantummodo ſtatum attinere adiicio, qui calore prorſus amoto in priorem reduci poteſt, ut ſupra iam ſignificavimus

§. 14.

Harum autem particularum, in quas caloris ope ſubſtantias ſolvi diximus, non eas intelligi volo, quae tanquam atomi diviſibiles non ſint, uti tales, quae maiori caloris gradu accedente denuo in etiam minores dividi poſſint: unde ſit, ut varii fluiditatis ſtatus oriantur, in quos accuratius inquirere, huius loci non eſt. De hac diviſione mechanica hoc advertendum, ſubſtantias ſecundum ipſarum cryſtalliſationis naturam diviſas certis cuiusvis propriis formis prodire.

§. 15.

Expoſitis tandem conditionibus, quibus veluti fundamentis noſtrae aſſertionis uſuros nos praemonuimus, rationem explanabimus, qua phaenomenum illud ſupra electum derivari hinc recte poſſit. Ex iis, quae de diverſitate ſubſtantiarum ſupra enucleavimus, cum quale diſcrimen inter varias ſubſtantias exiſtat, apertum ſit, quaeritur, quibus modis ſubſtantiae iungi poſſint, quod age iam perquiramus.

§. 16.

Subſtantiarum autem ſolutarum cum particulae, ut diximus, certa quadam forma gaudeant, ac ſubſtantiarum variarum particulae tales eſſe poſſint, ut earum parietes, ſi non perfecte, tamen partim ſe aut nihilum tegant, ſequitur ut eae ſubſtantiae, quarum particulae ſimilitudinem inter ſe habent, recte conglutinari poſſint. Talis igitur duarum ſubſtantiarum coniunctio neceſſario ſtatuenda eſt, in qua omnes unius particulae ſubſtantiae cum omnibus alterius arctiſſime coeunt: quibus particulis ita iunctis per ſe patet alias poſſe iungi, quae parietum ſimilitudinem habeant. Qui ſtatus is eſt, de quo §. 8. diximus, in quo ſubſtantias inter ſe diverſas in unam coniungi poſſe poſueramus.

§. 17.

Expoſita iam doctrina de generali ſubſtantiarum diverſarum coniunctione videndum eſt, an leges, quas ibi animadvertimus, etiam iis ſubſtantiis applicari poſſint, quae non ſolum diverſi ſed oppoſiti generis ſint. Quod ita non habere; hinc perſpici poteſt, quod etiam cum ſubſtantiae oppoſitae aliquo modo coniunctae ſunt, alia intercedente ſubſtantia ſecernantur; ſtatuenda igitur eſt vis quaedam, quae quo minus coniunctio perficiatur; impedit. Quae vis nulla alia niſi propria ſive individua cuiusvis ſubſtantiae per ſe exiſtendi eſſe poteſt. Quia autem ſubſtantiae ex adverſo ſibi oppoſitae, cum aliquo modo coniunguntur, ſecerni iterum poſſunt, ſequitur, vim illam per ſe exiſtendi in coniunctione non extingui prorſus potuiſſe.

§. 18.

Has autem ſubſtantiarum ex adverſo oppoſitarum coniunctiones ex mutua earum inopia apparet eſſe iis multo arctiores, in quibus ſubſtantiae diverſi tantummodo generis copulantur; unde ſequitur, ſubſtantias duas ſibi haud oppoſitas accedente tertia alterutri adverſaria ſecerni.

§. 19.

Quaeritur iam quo modo ſubſtantiae inter ſe oppoſitae, cum iunctae ſunt, disiungantur. Quam ſecretionem etſi facillime effici poſſe, ſi rem obiter ſpectas, videri tibi poſſit, tamen re accurate perpenſitata apparebit rationibus, quarum ope ad ſecretiones inſtituendas viri docti hucusque uſi ſint, non ſolum nihil profici, ſed hanc quaeſtionem argumenti omnino eſſe tam intricati, ut ab difficultate eius excuſari me poſſe credam, ſi in explicando illo minus cederet. Quae ad explicandum hoc argumentum hucusque allata ſunt, ad duas cummaxime ſententias referri poſſunt. Harum altera in eo verſatur, ut ſubſtantiae duae ſibi oppoſitae accedente

tertia quadam eaque iis fortiori et vehementiori fecernantur. Quae fententia eo refutatur, quod tertia fubftantia, cum oppofita alterutri cogitatur, non nifi ea ipfa effe poffit, quae alteri oppofita fit; nam tertia, quae duabus his oppofita et ab iis fimul diverfa fit, cogitari non poteft. Alteram fententiam nihil in fe habere, quod fibi adverfetur, ftatim demonftrabo. Cogitari enim poffunt fubftantiae duae fibi oppofitae ac tertia facultatibus alterius prioris inftructa, quae etiam aliis praeterea viribus gaudeat, quae pofteriori adverfentur: fierique igitur poteft, ut tertiae ope pofterior a priori fecernatur. Quae his refelluntur: coniunctionem has tres fubftantias etfi nemo negarit inire poffe, tamen quo minus tertiae auxilio fecretio duarum fiat, id cohibet, quod tertiae ea, qua illis adiungitur, vis non nifi eas prioris facultates attingat, quae pofteriori non opponantur. Duabus his argumenti explicandi rationibus fortiter reiectis, de tertia inquirendum eft, num potior illis videatur.

§. 20.

Quae fupra de fubftantiarum folutione tanquam de neceffaria cuiusvis phaenomeni chemici conditione ftatuimus, non ita intelligi oportet, ac fi fubftantiae folutae eandem generalem folutionis naturam et habitum quafi omnibus communem induant. Nam fubftantia quaevis propter innatam ipfius naturam propriam, licet foluta, tamen naturam hanc, qua ab aliis discernitur, denegare prorfus nequit, fed ubivis retinebit: unde fit ut altera fubftantia fluiditate alteram minori aut maiori fuperet. Maius etiam tum erit fubftantiarum difcrimen, cum id earum genus, de quo fupra diximus, mifceatur, quarum altera fluida, altera folida fit. Iam igitur cum demonftraverimus, alterutri fubftantiarum coniunctarum naturam maioris aut intentionis aut extenfionis ineffe, utriusque autem particulas in actu coniunctionis quantum ad earum naturam affimilari, quo fiat, ut utriusque natura in ftatum a fibi proprio alienum cogatur, ac cogitari denique poffe tertiam fubftantiam viribus ab alterutra oppofitam, quae quantum ad naturam utriusque fubftantiae extenfivam medium quendam extenfionis ftatum fimul obtineat, fequitur ut duarum fubftantiarum cum tertia illa propter fimiliorem et affinem eius naturam coire neceffario praeferat, quam cum altera, quam propter magis adverfariam eius naturam deferet. Hanc meam fententiam, quae vereor ne nimis obscure a me prolata effe nunnullis videatur, fequentibus illuftrabo. Cum fingis tres fubftantias fluidas, quarum A extenfior fit quam B, C autem quoad extenfionem medium inter utramque fubftantiam ftatum obtinere fimulque fubftantiae B ex adverfo oppofitam effe, fequitur propter ea, quae modo protulimus, B et C coire, A autem quod

cum B coniunctum erat, secerni; eandem ob caussam necessarium videtur, A tum secerni, cum substantia C densior est quam B, quae tamen substantiae C densitas, vt quivis intelligit, non nisi ad certum quendam gradum producta locum habere potest. In qua lege secretionis annotandum est, hic non de variis densitatis gradibus, qui uni eidemque substantiae calore admoto accidunt, agi, sed de absoluta substantiarum cohaerendi, secundum quam e. g. acidum sulphuricum maiorem acido muriatico cohaesionem habeat.

§. 21.

Derivatione problematis nostri e conditionibus supra expositis iam peracta, priusquam sententiam nostram ipsis naturae phaenomenis adhibeamus, generalem nostram doctrinam de affinitate substantiarum chemicarum ex tota hac disquisitione derivatam uno verbo age iam declaremus: substantiarum diversarum non quidem sibi oppositarum eandem coniunctionis esse rationem, quam inter eiusdem substantiae particulas animadvertamus, contra modum coniungendarum substantiarum ex mutua utriusque substantiae oppositae inopia se invicem explendi vel tollendi constitui; coniunctas autem duas substantias sibi oppositas tertia accedente extensionis vel contractionis ratione substantiarum agentium secerni.

§. 22.

Progredimur nunc ab exposita naturae lege ad ipsa naturae phaenomena, quae an cum illa accurate conveniant, exemplis quibusdam adhibitis explanabo. Experientia docemur, nonnullas substantias non solum diversas, veluti sales in aqua solutos, sed etiam ex adverso oppositas veluti acida et sales alcalinos coniungi, easque posteriori loco dictas vim habere in se fortiorem. Quae eventa illi legi consentanea prorsus esse patet.

§. 23.

Quod ad secretionem attinet, itidem experimentis institutis manifestum fit, coniunctas substantias diversas tertia alerutri opposita accedente secerni posse. Huius generis est solutio calcis et aquae, in qua, cum acidum sulphuricum accedit, calx ab aqua secernitur.

§. 24.

Ad corroboranda ea, quae de secretione substantiarum oppositarum contendimus, sufficiant haec exempla.

Calx cum acido nitrico, carbonico et acetico et aliis huius generis iuncta secernitur, simulac admovetur acidum sulphuricum. Quod phaenomenum nostra

cum sententia admodum consentit, ut quae acida sublimioris sint naturae acido sulphurico.

Item secernuntur acida nitrica, muriatica, carbonica, acetica et alia huius generis cum talcia, baryta et strontia iuncta, acido sulphurico admixto; item acida carbonica, hydrothionica, hydrocianica cum iisdem terris iuncta acido muriatico accedente; item iungit se acidum oxalicum cum calce et acida illa modo indicata secernit; item separatur plumbum aceticum et nitricum adhibitis acidis muriaticis, sulphuricis, arsenicis et hydrothionicis. Quod ad acidum hydrothionicum attinet, annotandum est, vim secernendi ipsius naturae propriae non inesse, sed sulphuri et hydrogenio in acido hydrothonico contentis; item secernitur argentum nitricum acido muriatico et sulphurico accedentibus.

Haec sufficiant exempla. Ceterum hoc animadversum velim, in duabus secernendis substantiis coniunctis, ubi tertiae vires non sufficiant et quarta adhibenda sit, secretionem iisdem legibus regi.

XIV.

DE

MORTE VOLVNTARIA

DISSERTATIO HISTORICO-PHILOSOPHICA

SPECIMEN I.

CONTINENS PARTEM HISTORICAM

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

PRO VENIA DOCENDI RITE IMPETRANDA

PROPOSUIT

AVCTOR

CAROLVS HERRMAN. SCHEIDLER,

GOTHANVS

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

„Der Selbstmord ist ein Ereigniss der menschlichen Natur, „welches, mag auch darüber gesprochen und gehandelt seyn, „so viel als da will, doch einen ieden Menschen zur Theilnahme „fordert, und in ieder Zeitepoche wieder einmal verhandelt „werden muss."

Goethe.

(Aus meinem Leben Th. III. p. 335.)

PROOEMIUM.

Satis constat inter omnes, qui philosophiae historiam quodammodo noscunt, ab antiquissimis inde temporibus usque ad hodiernum diem philosophos in nulla

paene re, cui perscrutandae et indagandae operam navarunt, inter se consentire. Quae sententiarum systematumque diversitas [1]) praecipue quidem in parte philosophiae theoretica (uti vocatur) locum habet, atque in ea usque eo processit, ut non solum de singulorum metaphysicae capitum (ex. c. de Dei, mundi, animique libertatis et immortalitatis) natura ac indole, sed de ipsius quoque philosophiae eiusdemque finis (veritatis nempe) notione et definitione acriter inter sese discrepent philosophi; unde quoque evenit, ut philosophiae, augustae illius scientiarum et disciplinarum reginae omniumque artium matris [2]), imperium in effrenam anarchiam, in qua alter alterum Thersitae modo impudenter allatrat et mordet, mutatum esse videatur. Sed in practica quoque (uti vocatur) philospphiae (sive in Ethica sensu lato), in qua de actionibus humanis earumque laude aut vituperatione agitur, plures occurrunt, quarum respectu habito philosophi in diversas sententias eunt, controversiae. Nec mirum! Practica enim philosophia quoad fundamenta et principia plane pendet a philosophia theoretica,[3]) ita ut ex. c. is, qui materialismo, vel realismo, vel pantheismo addictus est, nullo modo existentiam philosophiae vere practicae seu ethicae agnoscere possit [4]). Huc accedit, quod philosophi de ipsius ethicae natura et summis principiis secundum varias, quas de summo bono vel de fine vitae animo fovent opiniones inter sese cummaxime discrepant, unde saepe evenit, ut una eademque actio humana vario modo iudicari soleat et ab aliis pro licita et ethicae praeceptis non repugnante, ab aliis autem pro illicita et vituperabili habeatur [5]).

Cuius quidem discrepantiae egregium suppeditant exemplum variae illae, in quas philosophi tam veteres, quam recentiores, de morte voluntaria (sive de au-

---

1) Necessaria sane et in ipsius philosophiae natura et indole fundata; uti bene docuit *Bachmann Ueber die Philosophie meiner Zeit*, p. 120 et Idem *Ueber Geschichte der Philosophie*, *2te Ausg.* p. 7 seq.; cf. quoq. *Hülsen Prüfung der aufgestellten Preisfrage etc.* p. 29, et *Krug Fundamentalphilosophie*, *Vorr. zur erst. Ausgabe.*

2) *Cicero* Tusc. quaest. I. I. c. 26.

3) *Bouterwek Lehrb. d. phil. Wissensch. Th. I.* p. 6. *Fries Neue Kritik der Vernunft*, *Th. III. p.* 159.

4) *Schleiermacher Kritik der Sittenlehre.* p. 487. *Krug* l. c. p. 92; *Fr. Schlegel von der Sprache und Weisheit der Indier*, p. 97, 127.

5) Is enim, uti iam *Cicero* (de fin. I. V. c. 1.) bene monuit, qui de summo bono dissentit, de tota philosophia dissentiat, necesse est.

tochiria, uti ab Iureconsultis plerumque vocatur) iverunt, sententiae. Historia enim philosophiae nos docet, mortem voluntariam ab aliis (*ex. c.* a *Platone*, *Aristotele* [6]), *Kantio* [7]), *Fichtio* [8]), *Hegelio* [9]) *et Schopenhauero* [10]), pro actione illicita et pessima, ab aliis (ex. c. a *Stoicis*, *Montaignio* [11]), *Montesquieuo* [12]), *Voltario* [13]), *Humio* [14]) *et Friesio* [15]) pro actione, quae per se spectata nullo modo ethicae praeceptis contradicat, esse habitam. At non philosophi tantummodo, sed etiam Iurisconsulti et legislatores diversorum populorum de morte voluntaria, num iuri et legibus congrua sit, nec ne, diverso modo statuerunt, ita ut apud alios populos (ex. c. apud Graecos nationesque plurimas Christianismo addictas) crimen haberetur, apud alios autem (ex. c. apud Romanos) inter crimina nullo modo numeraretur.

Cum igitur res ita sese habeat, ut quaestio illa, utrum mors voluntaria ethicae et iuris praeceptis repugnet nec ne, nondum ad umbilicum perducta, immo potius adhuc in medio relicta sit, illa ipsa autem aliquid in se contineat, quod uniuscuiuscunque hominis, qui nihil humani a se alienum esse putat, multum intersit [16]), eandem iterum in disceptationem vocare atquae pro virili parte accurate retractare, operae pretium esse videbatur. Huc accedit, quod diversarum apud diversos populos de morte voluntaria latarum legum perscrutatio et indagatio omnino ad legum naturam et indolem (*ésprit des lois*) explicandam quodammodo inservire et valere videtur, cum de magna vi et momento, quod morum religionis et philosophiae diversitas ac discrepantia semper et ubique in iuris quoque instituta habuit habebitque [17]), perspicuum suppeditet exemplum. Quae cum ita

6) Loca ap. Plat., Aristot. et Stoic., eorum de morte voluntaria sententias continentia vid. infra.

7) *Kritik der pract. Vern. p. 74; Grundlegung z. Methaphis. der Sitten*, p. 57, 67; *Tugendlehre*, p. 71.

8) *Sittenlehre* p. 556.

9) *Grundlinien der Philosophie des Rechts* p. 75.

10) *Die Welt als Wille und Vorstellnng* p. 672.

11) Essais l. II. ch. 3.

12) Lettres persan. l. 76.

13) Ouevr. compl. vol. IV. p. 86.

14) On suicide (London 1739.)

15) *Neue Krit. d. Vern. Th. III.* p. 196; *Handb. d. pract. Philos. Th. I.* p. 353.

16) cf. Motto.

17) et vice versa; quam ob caussam iuris et legum cognitio veri philosophi quoque plurimum intersit, necesse est. Bene in hoc sensu monuit vir doctissimus, I. D. *Meyer* (*ésprit origine et progrès des instit.*

sint, erit nostra haec disputatio tripartita. Primo enim ex historia iuris et philosophiae diversas de morte voluntaria apud plures populos latas leges earumque naturam et indolem (sive caussas, uti Ernestius vocem „*esprit des lois*" vertit [18]), et nonnullorum de eadem philosophorum sententias earumque caussas exponemus; deinde utrum mors voluntaria ethicae, denique utrum iuris naturae praeceptis repugnet nec ne, disputabimus.

In hoc autem dissertationis specimine primo tantummodo de eo loquemur, quod de morte voluntaria Graecorum et Romanorum tam legislatores quam philosophi iudicaverunt.

Apud Graecos mortem voluntariam iam antiquissimis temporibus pro actione illicita habitam fuisse, ex pluribus scriptorum veterum locis colligi posse videtur. Sic aetatibus heroicis Aiaci Telamonio, celeberrimo illi Iliadis heroi, qui sibimet ipsi manus intulerat, a Graecis sepultura denegabatur [19]); similiter in famoso illo bello septem contra Thebas Haemonidi [20]). Sed haec, ut fabulosa forsan in incerto relinquamus, et vertamus nos ad leges Graecas Graecorumque philosophorum sententias, quae in veterum scriptorum libris huc illucve dispersae inveniuntur.

Athenis autochirorum cadaveribus manus dextra abscindebatur atque separatim alio loco humabatur. (Citat hanc legem celeberrimus Atheniensium orator Aeschines in oratione contra Ctesiphontem de corona his verbis: ἐάν τις αὐτὸν διαχειρήσηται: τὴν χεῖρα ταῦτο πράξασαν χωρὶς τοῦ σώματος θάπτειν [21]).)

---

iudic. etc. tom. I. p. IV.) „*De tous les monumens, qui nous retracent les siècles passés, il n'en est point de plus intéressans pour le veritable historien que les lois et les institutions iudiciaires des peuples. — En relation immédiate avec les moeurs et les usages, les lois sont la source la plus pure à laquelle on puise la philosophie de l'histoire.*" „Ea autem, (ut *Baco* (de augm. scient.) l. II. c. 13. ait) vera est philosophia, quae mundi ipsius voces fidelissime reddit et veluti dictante mundo conscripta est, et nihil aliud est, quam ejusdem simulacrum et reflectio, neque addit quidquam de proprio, sed tantum iterat et resonat."

18) In opusc. philol. crit, cf. Montesq. *Geist. d. Ges., übers. v. Hauswald. Th. I. p. XVI.*

19) *Sophocl.* Aiax Act. V. sc. 2. v. 1527 seq.

20) *Statius* Thebaid. l. III. v. 97.

21) *Aeschines* opp. ed. Basil. p. 509. *Petitus* de leg. Attic. VII. 1. *Meurs.* Them. Att. I. 17, 19; *Alex. ab Alex.* gener. dier. l. V. c. 28.

Thebis eorum corpora ignominioſa ratione ſepeliebantur, atque in plurimis Graeciae civitatibus lex ea ſepeliri vetabat [22]), eademque ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν οἰωνοῖσί τε πᾶσι (uti poeta ait). Utrum apud Spartanos mors voluntaria licita fuerit nec ne, incertum quidem eſt, quia nullus in veterum ſcriptorum libris locus, qui hoc reſpiciat, invenitur. Quodſi autem conſideremus, Spartanos cives pro reipublicae ſervis quaſi [23]) habitos fuiſſe, ita ut iis ne peregre quidem pro lubitu proficiſcendi data fuerit facultas [24]), cummaxime veriſimile videtur, nulli Spartano licuiſſe hoc facere, ut morte voluntaria ex vita migraret.

Quae quidem de autochiria Graecorum ſententiae primo ex eo explicari poſſe mihi videntur, quod ab eorum legislatoribus religionis morum et iuris praecepta non ſicuti a noſtris ſeparabantur [25]). Noſtrae quidem hodiernae leges tantummodo ius ſtrictum reſpiciunt, ethicae et religionis nullo reſpectu habito; immo ipſum ius naturae, quod (uti bene iam docuerunt viri doctiſſimi [26])) nihil aliud quam pars ethicae eſt, a plerisque Iureconſultis et multis philoſophis ethicae contradictorie opponitur. Apud Graecos autem res longe aliter ſeſe habebat. Eorum leges cummaxime civibus religionem et mores commendabant, quod non ſolum ex egregiis illis, quae adhuc exſtant, legum prooemiorum fragmentis intelligi poteſt [27]),

---

22) *Heinecc.* Iurispr. Rom. et Att. tom. III. p. 627.

23) *Manſo* Sparta I. p. 148; *Filangieri Syſt. d. Geſetzg. Bd. VII.* p. 22 ſeq. *Fr. Jacobs: des Demoſthenes Staatsreden*, p. 87 ſeq.; *Fr. Ancillon Ueber die Staatswiſſenſchaft*, p. 158 ſeq. („*Sparta war nichts als ein groſses militäriſches Kloſter; die s. g. Familien waren nur Kinder-Fabriken, die ihre Waare dem Staate überlieferten, nachdem ſie, gleich bei ihrer Erſcheinung, die ſchlecht Gerathenen getödtet und die Beſſern aufbewahret hatten; die politiſche Freiheit war ſehr gering, und bürgerliche Freiheit fand gar nicht*
ſtatt etc.")

24) *Gronov.* Theſaur. antiq. graec. vol. VI. p. 3824; cf. quoq. *Plutarch* Agis c. 11.

25) *Heyne* opusc. acad. tom. II. p. 14, 63, 193. *Köppen Politik nach Platon. Grundſätzen* p. 12 seq. *Heeren Ideen üb. d. Pol. etc. Th. III.* a. p. 235. 238.

26) *G. E. Schulze Principien des bürg. u. peinl. Rechts* pag. 18 seq. *Fries philoſ. Rechtslehre* p. 27. *Bouterwek* l. c. *T. II.* p. 187. *Köppen* l. c. *Idem Rechtslehre n. Plat. Grundſ.* p. 21 seq. *E. Henke Streit der Strafrechtstheor.* p. 67. *Idem Ueber das Weſen der Rechtswiſſenſchaft*, p. 126.

27) *Heyne* lib. cit. *Ariſtoteles Politik überſ. v. Garve. Th. II.* p. 276 ſeq.

ſed etiam ex nonnullis Platonis [28]) et Ariſtotelis [29]) locis, in quibus claris verbis declarant, legum finem eſſe civium virtutem. Quae cum ita eſſent, mirum ſane non eſt, Graecorum leges theocratiam, quae apud eos, ſicut apud omnes paene populos antiquiſſimis temporibus praepollebet [30]), quodammodo quaſi redoluiſſe [31]); (quo pertinet quoque, quod eaedem, uti ex. c. Lycurgi, Zaleuci et Charondae, a Diis ipſis latae dicebantur [32]). Theocraticis autem principiis mortem voluntariam repugnare in aperto eſt [33]). Secundum ea enim quaecumque homini ſunt, ideoque et vita humana, Dei optimi maximi dona peculiariter iudicantur [34], quam ſua ſponte et pro lubitu abiicere et repudiare, ingratitudo erga benevolum donatorem et crimen contra Dei, mundi gubernatoris et rectoris, maieſtatem habetur, quia autochirus officia, quibus in hac vita fungi debebat, contumaciter negligit et deſerit [35]). Hoc autem theocratioum (ut ita dicam) in diiudicanda morte voluntaria momentum apud Graecos revera valuiſſe, facile poteſt demonſtrari. Nam teſte Cicerone [36]) iam Pythagoras, qui primus inter Graecos de moribus philoſophatus

---

28) „ζητοῦμεν γὰρ ἀεὶ τί δὴ τῶν τιθεμενῶν πρὸς ἀρετὴν Φέρει, καὶ τί μή,“ de leg. lib. VIII. p. 414. (Bip.) cf. de republ. lib. V. p. 30, 33. *Tennemann-Syſtem d. platon. Phil. Th. IV.* p. 174.

29) Eth. Nicom. l. V. c. 3. — „*Les politiques Grecs, qui vivoient dans le gouvernement populaire, ne reconnoiſſoient d'autre force, qui pût le ſoutenir, que celle de la Vertu. Ceux d'aujourd'hui ne nous parlent que de manufactures, de commerce, de finances, de richeſſes et de luxe même.*“ *Monteſquieu eſprit des lois liv. III. ch.* 3. cf. *F. H. Jacobi Werke Th. II.* p. 357.

30) *Herder Ideen z. Phil. d. Geſch. d. Menſchh. Buch XII.* 6. *Filangieri* lib. cit. *Th. III.* c. 11, p. 802.

31) *Welker, die letzten Gründe von Recht, Staat und Strafe,* p. 344, 401.

32) Negat hoc *Fries* (*Beiträge zur Geſch. d. Philoſ. H. I.* p. 4. „*der griechiſche Geſetzgeber trat frei aus dem Volke hervor, ohne ſeine Geſetze durch Götterſpruch zu heiligen,*“) ſed hoc falſum eſt, uti ſatis ſuperque ſequentibus veterum ſcriptorum locis apparebit; *Herodot.* I. 65. *Plato* de leg. I. (Bip. p. 4.) *Diod. Sic.* I. 94. *Dionys. Halic.* II. 61. *Cicero* Div. I. 43. Tuſc. quaeſt. II. 14. *Lactant.* Inſtit. I. 22.

33) Cur in Judaeorum Theocratia res aliter ſeſe habuerit, bene oſtendit *Michaelis Moſaiſches Recht, Th. VI.* p. 3. ſeq.; nec audiendus eſt *Hugo Grotius* de jure b. et p. l. II. c. 19. §. 5: qui Judaeos autochiris ſepulturam denegaſſe, falſo dictitat.

34) *Plato* Eutyphr. (Bip. vol. I. p. 33.)

35) Praeclare hoc ſenſu *Cicero* (Somn. Scip. c. 3.): Piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis, nec injuſſu ejus, a quo ille nobis eſt datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum, aſſignatum a Deo, defugiſſe videamur.“

36) Cato maj. de ſenect. c. 73.

est 37), vetabat iniussu imperatoris, id est Dei, de praesidio et statione vitae decedere 38). Plato porro in celeberrimo illo dialogo, cui nomen inditum est Phaedoni, eandem ob caussam mortem voluntariam vituperat, dum ait: non prius decere se ipsum interficere, quam Deus necessitatem aliquam mortis subeundae imposuerit; sapientes enim decere graviter mortem ferre, insipientes vero libenter; nos esse mancipia quasi Dei, nec pro lubitu stationem nostram deserendi nobis ius competere." 39) (Alio loco, in libro de *Legibus* 40), idem *Plato* legem proposuit, secundum quam autochiris sepultura solitaria fiat, ubi alius nemo condatur, nec eorum sepulcra statua vel inscripto nomine notanda sint.) Huc denique spectat mythus ille celeberrimus de Zagreusio, de quo uberius egit Creuzerus 41).

Porro ob id quoque mors voluntaria apud Graecos pro actione illicita et vituperabili habita fuisse videtur, quod non apud eos, sicuti apud Romanos, unicuique pro lubitu e patria migrandi ius fuerit et facultas, immo potius eorum leges 42) patriam relinquere prohibuerint. Quae cum ita essent, is, qui sibimet ipsi mortem consisceret, patriam vel civitatem quasi iniuria quadam afficere putabatur; quod

---

37) *Aristotel.* Magn. moral. I. 1. (ed. Casaub. Lugd. 1690. tom. II. p. 85.)

38) Consentaneum hoc quoque erat philosophicis Pythagoreorum de anima dogmatibus, cui a Deo certa ex uno in alterum corpus migratio secundum illa dogmata praescripta fuit. *Diog. Laert.* VIII. §. 31 seq. *Aristot.* de anima I. c. 2. (tom. I. p. 381.) *Cic.* Tusc. quaest. I. 17.

39) *Phaed.* (Bip. vol. I. p. 141. 142.) cf. *Fr. V. Reinhard* opusc. acad. vol. I. p. 73 seq. Nec aliter *Plato* de moralitate (uti vocatur) mortis voluntariae iudicare poterat, cum summum eius ethicae principium esset similitudo Dei cf. Theaet. I. p. 121, 123; *de republ.* VI. p. 112, 124. I. VII. p. 163. *Schleiermacher Krit. d Sittenl.* p. 59.

40) l. IX. (vol. IX. p. 44.)

41) *Symbolik und Mythologie, Bd. III.* p. 341, 387: „*Auch diese Anwendung ward von diesem (in fast ganz Griechenland, wo nur das System der orphisch-cretischen Dionysuslehre aufgenommen war, verbreiteten) Mythus gemacht: wir sollen uns nicht selbst aus diesem Leib heraus führen und befreien; denn unser Leib ist ein Dionysischer Leib, wir sind ein Theil von dem Gotte; denn aus dem Schwall oder verdicktem Dunst der vom Jupiter mit dem Blitz erschlagenen und verwesenden Leiber der Titanen, welche den Zagreus zerstückelt und verzehrt hatten, ist die Materie entstanden und aus dieser die Menschen; daher das Titanische, das Ungeschlachte, Rohe der Menschennatur.*"

42) *Ovid.* Metam. XV. 29. *Stobaeus* Serm. XLII. p. 280. *Heyne* l. c. p. 26, 99. *De Spartanis* vid. supra.

claris verbis ait *Aristoteles* 43), qui hanc ob caussam autochiros ignominia, cadaveribus scilicet iniungenda, censuit esse puniendos. Liberum autem pro lubitu e patria migrandi ius eam ob caussam Graecis competere non poterat, quia rempublicam sive civitatem non pacto sociali (uti vocatur) fundatam esse iudicabant 44). Graeci enim non omnes homines secundum ius naturae pares (iuris scilicet respectu habito,) et aequales esse putaverunt, immo summi eorum totiusque orbis terrarum philosophi claris verbis declaraverunt, quosdam homines ad imperandum, quosdam autem ad obediendum immo ad serviendum natura natos esse 45). Quocirca illi philosophi sine omni scrupulo servitudinem rem iustam et necessariam esse putasse, et apud *Thucydidem* 46) oratores saepius ad famosum illud ius fortioris (uti vocatur) 47) provocavisse videntur. Quae cum ita essent, non est mirum, apud Graecos liberam civitatis relictionem ideoque et mortem voluntariam pro actione illicita et poena digna fuisse habitam.

Non defuerunt autem Graeci philosophi, qui mortem voluntariam actionem ethicae praeceptis nullo modo repugnantem iudicarent, immo eandem discipulis commendarent, suoque ipsorum exemplo iis in morte sibi consciscenda praeirent; ex. c. *Hegesias* 48) *Cyrenaicus*, qui sic mala vitae depingebat, ut eorum miseranda imagine audientium pectoribus impressa multis voluntariae mortis oppetendae cupi-

---

43) Eth. Nicom. V. 15. (tom. II. p. 41.) cf. Eudem. III. 1. (p. 130.) Eth. Nic. III. 11. (p. 21.)

44) *Köppen Polit. n. Plat. Grunds.* p. 21: cuius autem verba, *„von keinem Urvertrage ist bei den Alten die Rede,“* tantummodo ad Graecos restringenda sunt; nam apud Romanos (ut infra apparebit) res aliter sese habuit.

45) *Plato* de republ. III. (p. 319.) de legib. III. (p. 133.) *Aristoteles* Polit. I. 5. (tom. II. p. 179 seq.) 6; III. 13. (p. 213.) VII. 14. (p. 267.)

46) Bell. Pelop. I. 76. (ed. Bauer. p. 140.) V. 89, (p. 796.) 105. (p. 804.)

47) Quod quidem ius fortioris vel nostris temporibus philosophus quidam, (*Wagner Syst. d. Idealphilosophie* p. 166.) appellat, *„das erste und heiligste Recht, welches sich geltend machen wird, wie man es auch zu hemmen bestrebt sey; denn dieses ist Recht der Natur, dass der besitze, der zu geniessen versteht!!“* Similiter iam *Spinoza* Tract. theol. polit. c. 16. (tom. I. p. 359. ed. Paul.) tract. polit. c. 2. §. 4. (tom. II. p. 307.); Ethic. IV. 37. schol. 2. (p. 231 seq.)

48) Val. Max. VIII. 9. ext. 3. *Cic.* Tusc. quaest. I. 34. cf. q. *Garve Anmerkungen zu* Cic. de offic. Th. I. p. 211.

ditatem ingeneraret, unde cognomen ei inditum est „ὁ πεισιθάνατος 49).“ (*Hegesias* quidem sicuti ceteri Cyrenaici summum bonum in voluptate positum esse putabat 50), at persuasum sibi habebat, nullo modo homines in hac vita id bonum attingere posse). Porro *Epicurus* 51), (quia nullam providentiam agnoscebat 52) et mortem non malum esse iudicabat 53)) et *Zeno*, *Cleanthes* atque *Chrysippus* 54) huc pertinent.

Similiter apud plures Graecorum populos mors voluntaria nullo modo puniebatur, sed libere unicuique competens actio habebatur. Sic celeberrimi mortis voluntariae perpetrandae moris, qui apud Massilienses 55) locum habuit, a *Valerio Maximo* fit mentio 56). Venenum ibi cicuta temperatum publice custodiebatur, dabaturque ei, qui collegio sexcentorum virorum (Timurchorum) suas, propter quas mors sibi esset expetenda, aperuisset caussas, in quas illi viri sedulo investigabant, et nonnisi accurate et rite omnibus rationibus dubitandi et decidendi ponderatis, mortis Candidato veniam ex hac vita migrandi dabant. Similis fuit apud Ceos consuetudo, ut ii, qui senio plane confecti essent, tanquam ad convivium sese mutuo invitarent, aut ad quoddam solenne sacrificium convenirent, ibique coronati cicutam biberent, cum sibimet ipsis conscii essent, se ad promovenda patriae commoda inutiles amplius esse 57).

Sed haec, tanquam exceptiones, confirmare videntur regulam, secundum quam a Graecis mors voluntaria tanquam actio illicita et punienda diiudicata fuit; quod, nisi fallor, ex iis, quae proposui, satis superque apparet.

Aliter res sese habuit apud Romanos. Apud eos quidem, sicuti apud ceteros populos, antiquissimis temporibus theocratica principia magnam in iuris quoque et legum instituta habuisse vim, ex *Taciti* 58) verbis „nobis Romulus ut libitum

---

49) *Diog. Laert.* II. 86, (edit. Longol. p. 220.) 94. (p. 227.)

50) *Tennemann Gesch. d. Philos. Th. II.* p. 113. 129.

51) *Gassendi* Synt. phil. Epic. Pars 3. c. 21. p. 469.

52) *Diog. Laert.* X. 142. (p. 1223.) *Lucret.* V. 100 seq. II. 180 seq.

53) *Lucret.* III. 855 seq. *Diog. Laert.* X. 81. (p. 1162.)

54) *Diog. Laert.* VII. 29, (p. 695.) 130, (p. 793.) 176 (p. 840.)

55) Vel potius *Massalienses*, cf. *Barth teutsche Urgeschichte*, p. 86.

56) *Val. Max.* II. 6, 7; cf. q. Hendreich Massil. II. (in *Gronov.* thes. cit. vol. VI. p. 2960.) *Welker* l. c. p. 424.

57) *Aelian.* Var. hist. III. 37; cf. q. *Montaigne* Essais, l. II. ch. 3. *Bayle Diction. art. Zia.*

58) Annal. III. 26.

imperitaverat, dein Numa religione et divino iure populum devinxit," satis patere videtur. (Huc referendum sine dubio quoque est, quod apud Romanos ad Augusti usque tempora homines bestiarum more Diis mactabantur 59)). Hinc possit forsan colligi, etiam apud Romanos mortem voluntariam pro actione illicita fuisse habitam; quae quidem opinio etiam eo confirmari videatur, quod legimus, Tarquinium Priscum, cum cloacas populum facere coegisset, et multi cives ad intolerabilem hunc laborem effugiendum sese ipsos interfecissent, edixisse, ut corpora ita defunctorum cruci adfigerentur et, feris volucribusque laceranda, insepulta relinquerentur 60). Sed religiosa et theocratica illa principia, quorum respectu habito forsan mors voluntaria crimen haberi potuisset, parum congruebant Romanorum bellicosae et mere politicae naturae et indoli 61), ita ut iam mature in recessum quasi abirent, et ipsum ius divinum iam in XII tabulis pars subordinata (ut ita dicam) humani iuris consideraretur 62). Quod autem attinet illud factum, cuius fidem et auctoritatem nemo sane in disceptationem vocaturus erit, nullo modo ex eo colligi posse mihi videtur, autochiros omnino illo tempore inhonesta sepultura fuisse punitos. Nam non solum ipse huius narrationis auctor *Plinius* 63) appellat Tarquinii iussum „novum et inexcogitatum antea posteaque remedium"; sed in aliis quoque veterum scriptorum locis, quae exempla mortis voluntariae memorant 64), nusquam inhonestae sepulturae aliusve poenae 65) fit mentio. Immo ex exemplo Licinii Macri, quod *Valerius Maximus* enarrat 66), apparet, tantum abfuisse, ut mors voluntaria puniretur, ut etiam ipsi repetundarum rei bonorum confiscationem (quae eiusdem criminis damnatos manebat poena) eadem effugere

59) *Sueton.* Oct. c. 15.

60) *Plin.* Hist. Nat. l. 36. c. 15. *Servius* (ad Virg. Aeneid. l. XII. v. 603.) adscribit hoc edictum Tarquinio *Superbo* (cf. *Otto* Thes. jur. rom. t. III. p. 1187; *Gronov.* ad Aul. Gell. l. XV. c. 10.)

61) *Welker* l. c. p. 459. *Herder* l. c. B. 14, II, 6.

62) *Welker* l. c. p. 479. *Hugo röm. Rechtsgeschichte* §. 54.

63) l. c. ed. Hard. tom. V. p. 311.

64) cf. *Liv.* I. 59. III, 58. L. 4. *Corn. Nep.* in Pompon. c. 22. *Val. Max.* IX. c. 12. nro. 4, 5, 6.

65) Ait quidem *Livius*: „Bona Claudii Opiique (qui semet ipsos interfecerant) tribuni publicaverunt." Sed hoc non mortis voluntariae causa factum esse, e continuo sequentibus verbis Livii satis superque apparet: „Collegae eorum (qui non sibi manus intulerant) exsilii causa solum verterunt: bona publicata sunt." Liv. III, 58. (vol. I. p. 412. ed. Doering.)

66) l. c. nro. 7.

potuerint. Ex his omnibus ſequitur, niſi fallor, mortem voluntariam illis temporibus a Romanis nullo modo pro actione illicita et poena digna habitam fuiſſe.

Sed florente adhuc republica romana mors voluntaria raro eveniſſe videtur. At poſtquam maxime amabilis ille omniumque, qui unquam ad imperium adſpiraverunt, longe praeſtantiſſimus tyrannus, Iulius Caeſar, omnia „praeter invictum animum Catonis [67]“ ſibi ſubiecerat, et reipublicae formam et conſtitutionem (uti vocatur) revera everterat, Brutus et Caſſius autem „ultimi Romanorum [68],“ eandem ſervare et reſtaurare Caeſaris caede perpetrata [69]) fruſtra tentaverant, et funeſta primorum imperatorum tempora ingruerant: tum permulti nobiles Romani prae-

67) *Hor.* Od. II, 1. v. 23.

68) *Tacit.* Annal. IV, 14. *Sueton.* Tib. c. 61.

69) An Caeſaris caedes: „*die abgeſchmackteſte That, die je geſchehn*“ (uti *Göthe* (*Farbenlehre Th. II.* p. 126.) ait) fuerit, valde dubito, immo plane nego. Non solum enim apud Graecos ſed etiam apud Romanos (loca vid. ap. *Welker.* l. c. p. 105. 356, 463. cf. q. D. *Hume polit. Verſ. überſ. v. Kraus* p. 306.) tyrannicidium ſecundum leges unicuique perpetrare licuit (et iuris quoque philoſophi illam actionem iuſtam eſſe, affirmant, cf. *Bodin.* de republ. h. II. 5. *Lips.* Polit. VI, 5; *Hume üb. d. menſchl. Natur, überſ. v. Iacob. Bd. III.* p. 181. *Feuerbach* Antihobbes p. 177. ſeq.), ſed patriae legibus congruam actionem, quae ſimul nobilem et generoſum animum patefacit, equidem ſtultam appellare nollem. („*Did not great Iulius bleed for iuſtice sake?*
„*What villain touch'd his body, that did ſtab,*
„*And not for iuſtice?*“
Schakspeare Iul. Caeſ. Act. IV. sc. 3.)
Praeterea illi id, quod appetebant, ſcilicet libere vivere et libere mori, revera adepti ſunt, nec iis ſane imputandum eſt, quod populus Romanus poſtea in multo intolerabiliorem depellebatur ſervitudinem, (nam (uti bene *Herder* l. c. B. IX, IV. (*Bd. I.* p. 369. ed. Luden) monet), *man kann es als einen Grundſatz der Geſchichte annehmen, daſs kein Volk unterdrückt wird, als das ſich unterdrücken laſſen will, das alſo der Sclaverei werth iſt;*“ ſimiliter *Kant* (*Tugendlehre* p. 98.) „*wer ſich ſelbſt zum Wurm macht, kann nachher nicht klagen, wenn er mit Füſsen getreten wird,*“ et *F. H. Iacobi* (*Werke Bd. II. p.* 365.) „*es iſt unmöglich ein Volk in die politiſche Sclaverei zu ſtürzen, das nicht schon tief in die moraliſche Sclaverei verſunken iſt*).“ — Ceterum Goethei iudicium de viro nimis acerbum mihi eſſe videtur, quem ſummus ille omnium, qui unquam fuerint, et princeps poetarum talem fuiſſe iure meritoque dictitat:
„— — *that nature might ſtand up,*
„*And ſay to all the world: this was a man!*“

clarum illud Catonis Uticensis exemplum sunt secuti [70]. Quod quidem eo saepius accidebat, quo crebrius nobilissimi Romani, ideoque tyrannis suspectissimi, criminis laesae maiestatis, („criminis illius unici et singularis eorum, qui crimine vacant [71]“) quod tum, uti *Tacitus* [72]) ait, omnium accusationum complementum erat, accusarentur, nec aliter nisi morte voluntaria carnificum crudelissimas effugere possent manus; plures quoque pudore tam depravatae conditionis reipublicae, cui prodesse non possent, nec amplius superesse vellent [73]. Sed tantum aberat, ut vel tum temporis mors voluntaria crimen haberetur, ut potius teste *Tacito* [74]) eorum, qui de se statuebant, corpora humarentur, manerentque testamenta „pretium festinandi!“

At cum imperatores romani postea quo nequitiores eo avariores evasissent [75]), mors voluntaria autem et ingenium ad eandem patrandam capax quid in se habeat, quod tyrannis semper invisum fuit eritque [76]), eadem inter crimina punienda coe-

---

70) „*Als die Welt einem Einzigen diente, da war Freiheit nur, wo Cato sie fand.*“ *Joh. Müller* (*Reisen d. Päbste*, p. 51.)

71) Verba *Plinii Sec.* in Panegyr. c. 41.; cf. *Tacit.* Annal. I, 72, 74; III, 38, 67; IV, 6, 28; *Seneca* de benef. III, 26; *Sueton.* Tib. c. 58.

72) Annal. III, 38.

73) Exempla ap. *Tacit.* Annal. III, 15; IV, 19, 26, 35; V, 7; VI, 9, 14, 18, 23, 26, 29, 38, 39, 40, 48; XII, 59; XIII, 30; XV, 35, 59, 71; XVI, 11, 14; Hist. IV, 11; *Plin.* epist. I, 12, 22; III, 16. *A. W. Schlegel* (*dramaturgische Vorlesungen Th. I.* p. 190.) appellat hanc nobilium Romanorum ad mortem voluntariam patrandam proclivitatem „*einen theoretischen Lebensüberdruss;*“ fuit illa autem, ut mihi videtur, tum temporis simul „*sehr practisch.*“

74) Annal. VI, 29.

75) *Montesquieu* l. c. *liv.* 29. *ch.* 9.

76) Nam „qui mori didicit, servire dedidicit; supra omnem potentiam est, certe extra omnem.“ (*Seneca* epist. 26.) Similiter *Joh. Müller* (*Briefe an Bonstetten, herausg. v. Fried. Brun, Th. I.* p. 257.) „*In der Verachtung des Todes besteht die wahre Personalfreiheit. Wo du auch seyn magst, sagte Omar, willst du reich seyn ohne Schätze, Unterthan ohne Herrn, Herr ohne Unterthanen, verachte den Tod! Könige werden vor Dir zittern, Du aber wirst Niemand fürchten;*“ et *Shakspeare* (Jul. Caes. Act. I. sc. 3.)

„*Therein, ye gods, you make the weak most strong,*
„*Therein, ye gods, you tyrants do defeat:*
„*Nor stony tower, nor walls of beaten brass,*
„*Nor airless dungeon, nor strong links of iron,*
„*Can be retentive to the strength of spirit;*

pit enumerari. Erat enim statutum, ut eorum, qui, cuiusve criminis rei, mortem sibimet ipsis consciviſſent, bona fisco vindicarentur 77). Attamen poena haec peculiaris mortis voluntariae paulo post abrogabatur, dum ex rescripto Divi Pii (Antonini) statuebatur 78), ut eius tantummodo, qui in reatu mortem sibi consciverit, bona fisco vindicanda essent, si eo crimine nexus fuerit, ut, si convinceretur, bonis carere debuisset; atque insuper nominatim pluribus legibus sancitum est, ut eius, qui taedio vitae vel impatientia doloris vel pudore aliave ex caussa voluntarie extrema ferro venenove secutus esset, bona nulla modo fisco vindicarentur, sed ad heredes defuncti transirent 79). Quae cum ita sint, secundum ius romanum novissimum ipsa mors voluntaria nullo modo per se spectata crimen habetur, nec poena ulla adfici potest 80).

Praemissis his ex historia iuris, restat, ut in caussas investigemus, propter quas mors voluntaria a Romanis non crimen vel actio illicita et poena digna sit habita.

„*But life, being weary of these worldly bars*
„*Never lacks power to dismiss itself.*"
Idem alio loco (*Antony and Cleopatra* Act. V. sc. 2.)
„— — — — *It is great,*
„*To do that thing that ends all other deeds;*
„*Which shackles accidents and bolts up change;*
„*Which sleeps, and never palates more the dung,*
„*The beggar's nurse and Caesar's.*

77) *Paul.* Recept. sentent. V. tit. 12. §. 7. (in *Schulting* Jurisprud. anteiust. p. 476.)

78) l. 3. §. 1 D. de bon. eor. qui ante sent.

79) l. 45. §. 1. 2 D. de jure fisci; l. 4. §. 7 D. de inj. rupt. l. 1. Cod. de bon. eor. etc. cf. *Feuerbach Lehrb. d. peinl. Rechts* §. 241; *Grolman Grundsätze der Criminalrechtswiss.* §. 283; *Tittmann Handb. d. gem. t. peinl. R. Th. III.* p. 504 seq. —

80) Nisi forsan quis putet, autochirorum cognatis ne nostris quidem temporibus licere, eosdem lugere (secundum l. 11. §. 3 D. de his qui not. inf.); quod autem nemini facile in mentem veniet. Origo hujus legis vel e placito Tiberii (*Sueton.* Tib. c. 61.) quo omnium capite damnatorum propinquis luctus interdictus erat, seu ex fictione juris derivanda mihi esse videtur, quia teste *Festo* (voc. carnifex) carnificis loco habebatur is, qui se ipsum interfecerit, quasi carnifex sui. (Similiter apud Britannos mors voluntaria inter crimina enumeratur, quibus nomen „*felonies*" inditum est, quia autochirus quasi „*felo de se*" habetur, cf. *Blackstone Comment. on the laws of Engl. Book. IV. ch.* 14. §. 3. et *Tomlins the law-dictionary* vol. I. sub. voce „homicide.") De poena militum sese ipsos interficientium, cf. l. 6. §. 7 D. de inj. rupto: l. 24 pr. D. de test. mil. l. 6. §. 7 D. de re milit.

Supra iam vidimus, theocraticum illud momentum, secundum quod autochiria laesio officiorum erga Deum, mundi rectorem et gubernatorem, consideratur, apud Romanos defecisse. Sed ne laesio quidem officiorum erga rempublicam mors voluntaria haberi poterat, cum omni tempore unicuique civi Romano (immo ipsis damnatis ob crimen quodcunque [81]) liberum patriam pro lubitu relinquendi competierit ius et facultas [82]); (quod etiam in iure romano novissimo valet [83].) Cohaeret autem hoc ius liberae migrationis cum eo, quod Romani civitatem vel rempublicam pacto sociali fundatam esse putaverunt [84]). Quae cum ita essent, is, qui morte voluntaria patriam reliquisset, ei hac re iniuriam intulisse nullo modo poterat censeri.

Huc denique accedebat magna, quam in iuris romani instituta et leges habuit, stoicae philosophiae vis ac momentum [85]); quam quidem vim peculiariter mortis voluntariae respectu habito locum habuisse, satis superque ex Ulpiani [86]) verbis: „quod si quis taedio vitae, vel valetudinis adversae impatientia vel iactationis, *ut quidam philosophi* in ea caussa sunt, etc." apparet. Secundum Stoicorum autem iudicia et sententias mortem voluntariam nullo modo actionem ethicae praeceptis repugnantem esse habitam, e multis veterum scriptorum locis possumus colligere [87]). Quod quidem cum ipsius philosophiae stoicae dogmatibus bene congruebat [88]). Erat enim summum eorum ethicae principium „naturae convenienter vivere (ὁμολογουμέ-

---

81) Loca huc respicientia ap. *Welker* l. c. p. 545, quibus add. *Liv.* 25, 4; 26, 3 et *Polyb.* VI, 14.

82) *Cic.* pro Balbo c. 11, 13; pro Caec. c. 34; *Welker* l. c. p. 507.

83) l. 5. §. 1; l. 12 D., de captiv. et postlim., l. 20 et 27. §. 2. l. 31 D. de lib. hom.

84) *Cic.* de off. II, 12. *Welker* l. c. p. 507.

85) *Cuiac.* Observ. l. XI. c. 37; l. XXVI. c. 50; *Tennemann Geschichte d. Philos. Th. V.* p. 140; *Ortloff Ueb. d. Einfluss d. stoisch. Phil. auf die röm. Jurispr.* p. 89 seq.

86) l. 4. §. 7 D. ini. rupto.

87) *Diog. Laert.* VII, 106; *Cicero* de off. I, 31; Tusc. quaest. I, 40, V, 40 41; Fin. I, 15; III, 18; *Seneca* ep. 12, 17, 22, 26, 54, 58, 70, 89, 90, 91; de provid. 2, 6; de ira III, 15; *Plin.* Hist. Nat. II, 63; XXVIII, 1; *Plin. Sec.* epist. I, 22. *Plutarch.* Stoic. repugn. p. 1042; *Antonin.* de se ipso III, 1; V, 29; VIII, 47; X, 2; XI, 7; *Epict.* Enchirid. 22. —

88) Negat hoc. *Erh. Schmid* (Adiaphora p. 575.); sed melius de hac re iudicant *Feder* (*Untersuchungen üb. d. menschl. Willen*, *Th. IX.* p. 364 seq.), *Schleiermacher* (*Kritik der Sittenl.* p. 421.) et *Schopenhauer* (*die Welt als Wille und Vorstellung.* p. 135.)

νως τῇ φύσει ζῆν)"89); naturam autem ipſam interdum mortem voluntariam perpetrandi auctorem eſſe putaverunt (in quo enim, uti Cicero ait 90), plura ſunt, quae ſecundum naturam ſunt, huius officium eſt, in vita manere; in quo autem aut ſunt plura contraria, aut fore videntur, huius officium eſt, e vita excedere). Quam ob rem accurate ab iis conſtituti ſunt caſus, in quibus officium ſit ſapientis, deſciscere e vita 91), quae, cum in virtute exercenda exercitii ſive brevitas ſive crebritas eſſet ἐν ἀδιαφόροις 92), ab illis, uti Tacitus ait 93) nec bonis nec malis annumerabatur.

---

89) *Diog. Laert.* VII, 89; *Cic.* fin. III, 6. *Seneca* de vita beata 3, 8; ep. 5.

90) *Cic.* fin. III, 8.

91) *Tiedemann Syſt. d. ſtoiſch. Philoſ. Th. III.* p. 312 ſeq.

92) *Diog. Laert.* VII, 102; *Stob.* ecl. eth. 172; *Cic.* fin. III. 3, 8, 15; *Seneca* de vita beata, 22, 25; epiſt. 10, 73, 74, 93.

93) Hiſt. IV, 5.

XV.

CORNELIVS NEPOS
E THVCYDIDE EMENDANDVS ATQVE IVDICANDVS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS AVCTORITATE

DIE VIII MENS. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXI

PVBLICE DEFENDENDAM SVSCEPIT

AVCTOR

CAROLVS HEINZE

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

Multi quidem recentiſſimis temporibus exſtiterunt viri docti, qui illas excellentium imperatorum vitas, quae vulgo a Cornelio Nepote ſcriptae eſſe dicuntur, in uſum tironum edi curarent: verum tamen nullus inde a Boſii aetate earum editor prodiit, qui huius emendatoris veſtigia premens, aequalium admonitionibus obſequens, comparationem, iam inſtitutam inter illas vitas et fontes e quibus auctor, quicumque tandem eſt, illorum virorum hiſtoriam excerpſerit ſive omnino hauſerit, continuaret. Quantum lucri inde capiatur et ad auctoris aetatem perſonamque diiudicandam, et ad textus verba conſtituenda, neminem, qui Graecarum Romanarumque litterarum non prorſus expers eſt, fugere poteſt. Ut ea, quae modo dixi, rectius de poeticis Romanorum ſcriptis dicta valeant, nemo

tamen negabit, eos quoque ſcriptores, qui ſoluta oratione uſi ſunt, paſſim Graecorum imitatos eſſe exempla, illorumque veſtigiis ita inhaeſiſſe, ut deprehendere imitatores liceat. Salluſtius, quod ad gravitatem et acutam brevitatem ſtyli, Cornelius, quod ad materiem attinet, Thucydidem dignum habuerunt, quem ſequerentur, ſaltem imitarentur. Cf. Themiſt. IX, 1. Uterque: „Graeca exemplaria nocturna verſaſſe manu, verſaſſe diurna" videtur; utrique igitur e graecis exemplaribus lux afferenda eſt. Neque tamen ubique eadem ratione Thucydidem ſequutus eſſe Cornelius putandus eſt; ſed diligenter diſtinguendum inter ea, quae breviter narrata a graeco auctore, et ea, quae ab eodem fuſius expoſita invenit Cornelius, quum in illis accuratior ſit integris recipiendis, in his diligentior videatur corripiendis. Itaque, quum ad poſteriora referenda ſit Alcibiadis vita, ad priora Pauſaniae, Themiſtoclis vitae ſint redigendae, cavendum eſt, ne una ratione trium illorum virorum vitas e graeco exemplo explicandas atque emendandas cenſeamus. Nam dum in Alcibiadis vita vix Thucydidis hiſtoriam agnoſcere poſſumus, in illorum duorum imperatorum vitis verba quoque graeci auctoris reperimus; itaque illa vita vix graecis comparari poteſt, harum explicatio et reſtitutio ſuo iure e graeco exemplo inſtituatur, neceſſe eſt.

Eſt autem tanto diligentius inquirendum, ubi Cornelius a vero aberraverit et ſcribae in multiplicandis exemplis peccaverint, quo rectior ad genuinam illarum vitarum formam reſtituendam, ut viri docti monuerunt, iſta via ducit [1]). Ipſi vero illius libri textui curam, quae ſufficeret, ut integer reſtitueretur, nondum eſſe adhibitam, noviſſima editio, quae recentiorum optima dici poteſt, Bremiana teſtatur iis, quae lectorem offendunt, emendationibus, criticis lacunis et quae paſſim leguntur explicationibus. Ita e. g. ad verba, quae Pauſan. V. 5. leguntur „*cuius mortui corpus quum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo hi, qui ad ſupplicium eſſent dati, displicuit pluribus, et procul ab eo loco infoderunt, in quo mortuus erat.*" Bremius Boſio antecedente haec monuit: „particulam *non* ad vocem *procul* deletam videri, propterea quod Thucydidis verba „πλησίον που" haec ita commutari iubeant." Uterque vero auctor nulla vocula mutata

1) De his fortaſſe Moſchius disputavit in programmate, quod inſcriptum: Quaenam reſtant in Cornelio Nepote facienda, Lubeccae prodiit. Tamen neſcio, quaenam illud programma contineat; quum mihi quamquam maximopere inveſtiganti nusquam ſit repertum. Serius tandem mihi innotuit, a Matthiaeo et Eichhoffio cuncta haec programmata eſſe nuperrime edita Francofurthi.

vel intrusa facillimo negotio alteri conciliari potest. Multo minus, ut Staveren contendit, inde intelligitur, Cornelium e Thucydide non esse emendandum. Vox *procul* ubique ut Servii verbis ad Virg. Aen. VI. 10. utar, *iuxta et longe*, seu *maiorem et minorem* distantiam significat, utram significationem verborum contextus suadet, ita ut verba „*procul ab eo loco*" eodem sensu dicta sint, ac si scriptum esset, *alio*, non eodem loco, in quo mortuus est. Hanc significationem huic voculae inesse, iam tritae istae formulae, Procul, procul este profani Virg. Aeneid. Procul hinc, procul ite nocentes Stat. Syl. III, 3.. Innocui veniant, procul hinc procul impius esto. Ovid. Fast. II, 258. probare videntur. His in locis idem est *procul* esse ac *recedere*, abesse, quum illi formulae opposita sit vox *accedere*. Itaque illud *procul* de loco plus minusve remoto intelligi, Thucydidisque testimonio maxime consentaneum reddi potest.

Aliud falsae explicationis, qua Bremius seductus ipsa textus verba mutanda censuit, exemplum legitur Ages. VI, 3. ad enunciationem: „*Namque illi aucto numero eorum, qui expertes erant consilii commovere se non sunt ausi.*" Bosius, Bremius, Bardili verbo *aucto* offensi, illud in *aucti* commutandum censuerunt. Uterque varias interpretandi rationes protulit, quarum tamen nullam lubentius, quam illam emendationem amplexus est, Quantum equidem vidi, neque emendatio illa neque ulla utriusque interpretis explicatio admitti potest, quum omnis loci difficultas hac simplici interpretatione expediatur: Nam illi de fuga cogitantes, quum numerus eorum, quos Agesilaus consilii expertes reliquerat, aliis accedentibus auctus esset et Agesilai adhortatione excitati atque eorum, qui accesserant, animi virtutisque praestantia ita sunt commoti, ut eos sui ipsorum consilii poeniteret. Itaque non fuga salutem petierunt, sed pro patria pugnantes remanserunt. Iam Tschuckius et Heusingerus hanc explicandi viam ingressi sunt, quamquam illos ablativos *aucto numero* parum curasse videntur, qui retineri non possunt, nisi ponamus, illis iuvenibus, qui collem extra urbem occuparent ut transfugerent, alios iuvenes illius consilii expertes esse adiunctos, quorum numerus quum aliis insuper accedentibus auctus esset, illi non sunt ausi se commovere.

Alium locum prorsus depravatum continet Alcib. vit. I, 2. Auctor quum enumerat Alcibiadis virtutes et vitia haec scripsit: *disertus fuit ut in primis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere; dives; quum tempus posceret, laboriosus, patiens.* Pro *dives* in nonnul-

lis libris ſcriptis legitur *deinde*, quod in illo ſummo laudandi fervore ferri non poteſt. Sed quod Bremius monuit, vocem raro eſſe a Cornelio uſurpatam, id quid ſit, fateor me non ſatis intelligere. Multo minus vocula *dives* Lambino iam ſuſpecta ab aliis defenſa quadrat. Nam nemo quidem negabit Alcibiadem divitiis abundaſſe; ſed quaeſtio difficillima inde exoritur, quo nomine Cornelius inter Alcibiadis vitia et virtutes, quas tantum recenſiturus eſt, divitias referre potuerit. Lambini coniectura *idem* hac in periodo, quae ſequenti opponitur, languere, quin etiam ſuperflua eſſe mihi videtur. In ipſa vero ſententia quae continetur illis verbis „*ut nemo ei dicendo poſſet reſiſtere*" nimium quid ineſt. Nicias ei reſtitit, ſed quaeritur quamdiu reſtiterit, id quod in illa enunciatione, etſi ſubtilius ſit quaeſitum, deſideratur. Hac de cauſſa ſuſpicor illud vocabulum *dives* e voce *diutius* ortum eſſe. Verborum collocatio, ex qua factum eſt, ut hic comparativus in fine legatur, partim aliis probatur exemplis ut Chabr. III. „*quos eminere videant altius*" partim orationis vim, illa voce ſub finem reſervata auget. Res ipſa a graecis hiſtoriae auctoribus, utrum vera ſit nec ne, extra omnem dubitationem poſitum eſt.

In eadem vit. Alcib, cap. VII, 3. vulgo haec leguntur: „*Itaque huic maximo putamus malo fuiſſe nimiam opinionem ingenii atque virtutis.*" In plurimis iisque optimis codicibus haec verba ſunt: „*maxime imputamus malo cauſſam fuiſſe nimiam etc.*" Boſius confeſſus eſt, locum haud dubie eſſe corruptum, qui vix ſanandus ſit ſine meliorum codicum auxilio, paucaque addidit de illa ſatis nota dicendi formula, *res eſt calamitati*, neque tamen aliquid his proficitur. Dictio illa „*malo cauſſa eſt nimia opinio*" inepta et ſoloecismum redolere Lambino viſa eſt, neque ei placuit vox *imputamus*. Quamobrem Heuſingerus haec legenda propoſuit: „itaque huic maxime malorum putamus cauſſam fuiſſe nimiam opinionem." Iam vero codices huic verborum transpoſitioni, qua quidem omnis difficultas removetur, non ſatis favent, neque illa vocis *malo* commutatio in *malorum* neceſſaria eſt. Lambini ſententia et Bremii auctoritas Cornelii dicendi uſui neceſſe eſt cedant (Bremius quoque addita voce *cauſſa* legendum cenſet malorum). Nam ſcripſit auctor Pauſ. IV, 5.: „*Quaerit, cauſſae quid ſit tam repentino conſilio.*" Haec quoque, ab optimis libris probata, a ſcribis dicendi uſus imperitis commutata eſſe in verba: *repentini conſilii*, veriſimile eſt. Quamobrem hoc loco formulam „*opinionem malo fuiſſe cauſſam*" defenderim. At quaeritur, quomodo explicetur vox *imputamus*. In ea nil niſi ſyllaba *im* lectorem offendit; hanc vero ad vocem *ma-*

xime quae antecedit, pertinere puto, ita ut textus verba sic constituerim: „*Itaque huic maximam putamus malo caussam fuisse istam nimiam opinionem ingenii atque virtutis.*" Haec, quae cuilibet sedulius in hanc rem inquirenti mirum in modum augere licet, sufficiant ad ea quae supra de recentissimis Cornelii emendatoribus proposui comprobanda.

Iam vero mihi redeundum est ad meum propositum, quo demonstraturus sum, Cornelium e Thucydide partim esse emendandum. Partim, inquam, ex illo auctore emendandus, quod non omnium, quorum vitam expositurus erat, imperatorum notitiam inde haurire, sed de Pausania tantum, Themistocle, Cimone atque Alcibiade, quippe quorum aetatem complexus sit Thucydides, hoc duce edoceri poterat. At vero, ut iam supra dixi, ne in his quidem omnibus exponendis et constituendis pari modo consulendus est auctor graecus. Quo minus autem ea, quae Thucydides de Alcibiade retulit, Cornelius diligenter servavit, eo magis curasse videtur, quum de ceteris exponeret, ne quid omitteret, quod ex illo auctore ad haec valereat dilucidanda. Quae quidem adeo diligenter recepit, ut saepissime iisdem, quibus Thucydides usus erat verbis, ad ea exprimenda uteretur. Utrum haec vera sint nec ne, infra videbis, ubi aptior de hac imitandi ratione disputandi occasio dabitur. Qua vero negligentia recentiores emendatores haec omiserint, ut non solum ea, quae Thucydide duce restitui possent, non restituerint, sed etiam ea, quae nullo modo suspecta erant, graeco libro neglecto, pessumdederint, e Bremii annotationibus ad Paus. III, 5. elucet. Ibi, quum haec in textu legantur „*licet enim eorum cuivis Ephoro hoc facere regi*", laudatus interpres adnotavit: Verisimile esse, ut haec enunciatio additamentum sit, quippe quae non uno modo displiceat. Haec ad illum versum spurium demonstrandum nullo pacto valere, ne suspectum quidem eum reddere possunt; etenim tota fere Pausaniae vita e Thucydidis lib. I. cap. 128 — 134. paene ad verbum exscripta est, ita ut illa sollicitata verba, his Thucydides „ἔξεστι δὲ τοῖς Ἐφόροις τὸν βασιλέα δρᾶσαι τοῦτο" respondere existimem, quibus eadem antecedunt et addita sunt, quae in Cornelio isti loco addita leguntur.

Item in eadem vita ep. II, 4. quum codices in nonnullis voculis inter se diversi sint, Bremius a vero aberrasse mihi videtur. Etenim vulgo haec ibi scripta sunt: *id si feceris et Spartam et ceteram Graeciam sub tuam potestatum se, adiuvante te, redacturum pollicetur.* Viri docti pronomine *te* offensi sunt, quod in aliis libris ante vocem *adiuvante*, in aliis post eam positum est. Hac variatione

commotus Bremius verba *adiuvante te* ſuſpecta facere conatus eſt dicens: praeterquam, quod codices diſſentiant, Thucydidem nil, quod illis verbis expreſſum ſit, commemorare. In quo ſi equidem recte video, Bremius non recte vidit. Nimirum Cornelius extremam Pauſaniae orationem corripuit, eamque ex ſua leviori ſcribendi ratione, de qua infra plura referam, modo amplius modo brevius, ut ut libuit, reddidit. Thucydides ſcripſit: *δυνατὸς δὲ δοκῶ εἶναι ταῦτα πρᾶξαι μετὰ σοῦ βουλευόμενος.* Primo obtutu iam apparet, unde illa *adiuvante te* profecta ſint, ex additamento *μετὰ σοῦ βουλευόμενος.* Neque omiſſa vocula *te* tantae auctoritatis eſſe poteſt, ut ad hunc locum ſpurium demonſtrandum apta ſit; facillime omitti poterat, quum antecedentis vocis ſyllaba ultima occaſionem praeberet. Ceterum quo minus iam Boſius haec omiſit, eo magis mirum eſt Bremium ea non curaſſe. Easdem negligentiae poenas luit Barthius qui in Pauſ. ep. IV, ubi Cornelius expoſuit qui fuerit ille Argilius, verba *amore venereo* gloſſam eſſe contendit, quamquam his, ut iam Tſchuckius annotavit huic loco, graecum *παιδικὰ* redditum eſt, quod ut Scholiaſtes tradidit, *τινὲς ἐπὶ ἀγαθοῦ ἔρωτος, τινὲς δὲ ἐπὶ αἰσχροῦ λαμβάνουσι.* Quam quidem poſteriorem explicationem eo confidentius amplexus eſt Cornelius, quo magis latinis vocibus inde derivatis congrua eſſet; ſicuti plerumque proximam quamque graecae vocis ſignificationem arripuiſſe videtur. Ita e. g. nomen *Ἀργίλιος* non *ἐθνικὸν* ſed *κύριον* eſſe ſtatuit, quamquam *ἀνὴρ* in Thucydide adſcriptum et *ἄνθρωπος* ſaepius pro Argilio repetitum veriſimilius redderent eſſe nomen gentile non ab Thraciae, ſed Macedoniae oppido (*Ἄργιλος*) profectum Cfr. Cellarii geog. ant. T. I. p. 1052. Ab aliis iam errorum huiusce generis accuſatum eſſe Cornelium, patet ex Schlegelii annotat. crit. p. 70. Quum vero non ſolum Pauſaniae vitam maxima ex parte accuratius in graeco auctore ſatis laudato a Cornelio hic repetitam legamus, ſed etiam in Themiſtoclis vitae et conſuetudinis imagine (inde a cp. VI—X.) graecus auctor ita emergat, ut non agnoſci nequeat, hanc quoque illius vitae partem e graecis, ubi neceſſe eſt, in integrum reſtituendam cenſeo. Cornelius paullulum tantum abfuit, quin Themiſtoclis epiſtolam verbum ad verbum in latinam linguam verterit. Graeca haec ſunt: *Θεμιστοκλῆς ἥκω παρὰ σέ, ὃς κακὰ μὲν πλεῖστα Ἑλλήνων εἴργασμαι τὸν ὑμέτερον οἶκον, ὅσον χρόνον τὸν σὸν πατέρα ἐπιόντα ἐμοὶ ἀνάγκῃ ἠμυνόμην.* Cornelius haec exhibuit: *Themiſtocles veni ad te, qui plurima mala in domum tuam intuli, quum mihi neceſſe fuit adverſum tuum patrem bellare patriamque meam defendere.* In his textus codicum variat. Cod. Daniel. pro *quum mihi* exhibet verba *quamdiu*, Cod. Boecl. *quod mi-*

hi. Primo obtutu *quamdiu* Thucydide probari, quin etiam verborum concinnitate, quum in Latinis sequatur *postquam*, in graecis ἐπειδὴ postulari videtur. Attamen vero negari non potest voculae *quum* eam significationem quam contineat *quamdiu* inesse. Cf. Hor. Turs. Lips. 1669. p. 63. His ipsis autem probatis, pronomen *mihi* remotum esset, quod nullo modo abesse potest. Se ipsum enim his litteris excusatum voluit Themistocles; qua de caussa in Thucydidis loco saepius legitur ἐμοί. Itaque in Cornelio quoque *quum mihi*, retinenda censeo. Ceterum *quamdiu* explicationem voculae *quum* continent atque glossema haberi possunt.

Pari modo ut hic *quum* servandum, in cap. X. pronomen *ei* delendum existimo. Nam ibi haec vulgo scripta sunt „*ex qua regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant.* In his haec graeca conspiciuntur: ἣ προσέφερε πεντήκοντα τάλαντα τοῦ ἐνιαυτοῦ; neque tamen adest αὐτῷ; neque optimi libri scripti id habent. Igitur quum iteratum hoc pronomen etiam taedium paret, ex scribae nimio interpretandi studio profectum esse videtur. Item sub extremam Themistoclis vitam haec nuper a Bremio sollicitata verba leguntur: *Huius ad nostram memoriam monumenta manserunt duo, sepulcrum prope oppidum, in quo est sepultus; statuae in foro Magnesiae.* Bremius, qui in verbis: *in quo est sepultus* posteriorum temporum additamentum latere suspicatur, quod illud pronomen *quo* neque ad sepulcrum referri possit [Cornelium enim narrare, eius ossa ab amicis in Attica, itaque non Athenis sepulta esse] addidit; quum haec ita sint, de ossibus in urbe sepultis agi omnino non posse. Res aliter se habere mihi videtur. Themistocli duo monumenta revera fuisse exstructa, alterum Athenis, alterum Magnesiae, partim e Plutarcho (Themist. vit. sub fin.) partim e Pausania (in Atticis) elucet. Quod igitur oppidum istis verbis designatum sit, dubitari non potest, immo potius Bremius illa verba sensum ceteris, quae leguntur, contrarium exhibere ex illa supra memorata caussa putat. Iam vero ea, quae Cicero ad fam. IV. cp. 12. de quadam Atheniensium lege retulit, bene sunt consideranda. Ibi haec scripta sunt: „*ab Atheniensibus locum sepulturae intra urbem ut darent, impetrare non potui, quod religione se impediri dicerent; neque tamen id antea cuiquam concesserunt.*“ Ex his apparet, illius ossa in urbe ne potuisse quidem sepeliri. Nemo igitur Athenis in ipsa urbe, nemo Romae sepultus est; verum tamen dici potest, aliquem Athenis vel Romae sepultum esse. In aprico est, haec non nisi de agris suburbanis esse dicta. Neque Thucydidis verba τὰ δὲ ὀστᾶ φασὶ κομισθῆναι αὐτοῦ οἱ προσήκοντες οἴκαδε ita quisquam intellexerit, ut in illo οἴκαδε de Athenis ipsis cogitarit.

Ipſos vero illos amicos Athenis eſſe verſatos, Thucydidis verba (lib. I, 137.) comprobant „ἦλθε γὰρ αὐτῷ ὕστερον ἔκ τε Ἀθηνῶν παρὰ τῶν φίλων καὶ ἐξ Ἄργους ἃ i. e. χρήματα ὑπεξέκειτο. Huc accedit, quod vix ac ne vix quidem quisquam probarit, additamentum ſubdititium huiusce generis usquam in Cornelio reperiri. Veriſimile igitur eſt, illa verba eſſe genuina, quippe quae ex leviori ſcribendi genere, quo uſus eſt Cornelius, profecta eſſe poſſint.

Quamvis autem haec aliaque plura, quae mihi pro tempore ac viribus eruere non licebat, e Thucydidis libro ſerventur atque reſtituantur: tamen bene cavendum eſt, ne quemlibet locum, in quo Cornelii libri ſcripti huc illucve discedunt, temere graeci auctoris verbis accommodatum reddere ſtudeamus. Quum enim, ut iam ſupra monui, alio modo in Pauſaniae et Themiſtoclis, alio modo in Alcibiadis vita ſcribenda Thucydidem ſequutus ſit Cornelius, quin etiam in illorum duorum imperatorum rebus geſtis percenſendis paſſim rerum ordinem Thucydideum paullulum immutarit: cautius agendum eſt, ubi haec intercedunt, atque e generalioribus critices regulis res diiudicanda mihi videtur. Huius generis locus eſt in Themiſtocl. VIII, ubi Boſius his, quae vulgo leguntur: *Hic in navem omnibus ignotus aſcendit*, ante vocem *aſcendit* verbum *nautis* pluribus codicibus nixus recepit, idque receptum Thucydidis verbis ἦν γὰρ ἀγνὼς τοῖς ἐν τῇ νηΐ genuinum eſſe demonſtrare voluit. In hoc lapſus mihi videtur propterea quod in Thucydide aliam, aliam in Cornelio rerum ſeriem eſſe ſervatam non ſatis conſideravit. Cornelius refert: aſcendens in navem omnibus fuit ignotus; Thucydides, quum narrat, Themiſtoclem, dum navis in Naxon tempeſtate ageretur, quam Athenienſes oppugnarent, anxie timuiſſe, ne in Athenienſium poteſtatem veniret, pergit ἦν γὰρ ἀγνὼς κ. τ. λ. δείσας φράζει τῷ ναυκλήρῳ ὅστις ἐστί. Quum res tam diverſimode inter ſe iunctae ſint, non poſſum, quin illa verba quoque ab auctore Romano non ſatis accurate reddita cenſeam. Accedit, quod in graecis τοῖς ἐν τῇ νηΐ abeſſe non poſſunt, latinum *nautis* deletum nemo deſiderabit. Bremius ſine dubio iisdem ex cauſſis illud *nautis* omiſit, neque tamen eius rei mentionem fecit.

Diligentius Alcibiadis vita, ampliori ambitu iam conſpicua, ſcripta eſſe videtur. Multa, ne dicam plurima, e graeco auctore collecta ſunt, pauciſſima autem huius imaginem referunt. Tamen e Thucyd. lib. VI. cap. 26. ἐν δὲ τούτῳ ὅσοι Ἑρμαῖ ἦσαν λίθινοι ἐν τῇ πόλει τῶν Ἀθηναίων μιᾷ νυκτὶ περιεκόπησαν, quibus Cornelii verba Alcib. III, 2. „*id quum appararetur, priusquam claſſis exiret, accidit, ut una nocte omnes Hermae qui in oppido erant Athenis deiicerentur*“ reſpondent, pro-

bari posse mihi videtur, vocem *Athenis* esse genuinam, quod Bremius contra Bosium defendit. Quod Cornelius interdum *oppidum* posuit pro *Athenis*, nullo modo ne caussam quidem praebere potest, ob quam vereamur, ne hic illa vox irrepserit. Saepius positum est a Thucydide verbum πόλις solum, neque quisquam de nomine Ἀθηναίων, quod in loco Thucydidis parallelo additum est, delendo cogitabit. Igitur in Cornelio quoque illud *Athenis* servandum censeo, atque eo magis, quo minus superfluum est. *Athenis* enim oppidum designat, in cuius parte aliqua i. e. *in oppido*, non in arce, non intra τείχη μακρά, Hermae sunt deiecti. Quo nomine Athenae ita dividi potuerint, vid. in Barthelemy les voyages de ieune Anacharsis Tom. II. Ipsa verborum positio, sicuti rerum natura, hanc explicationem commendat.

Ceterum etiam ad Cimonis vitam conscribendam auctorem Thucyd. libr. I. cap. 98. consuluisse e. cap. II. v. Conon. verbis „Scyrum quam eo tempore Dolopes incolebant vacuefecit" apparet, quippe quibus Thucydidea „ἔπειτα Σκῦρον τὴν ἐν τῷ Αἰγαίῳ νῆσον, ἣν ᾤκουν Δόλοπες ἠνδραπόδισαν, sicuti verba, πρῶτον μὲν Ἠϊόνα τὴν ἐπὶ Στρυμόνι πολιορκίᾳ εἷλον καὶ ἠνδραπόδισαν Κίμωνος τοῦ Μιλτιάδου στρατηγοῦντος his Cornelianis, *primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit, oppidum Amphipolin constituit eoque decem millia Atheniensium in coloniam misit*, expressa sunt. Quam ob caussam in eodem Cornelii capite, quum in nonnullis codicibus legatur pro *Scyrum* Cyprum, illam lectionem ab auctore profectam, id quod iam Bosius ex historia probaturus erat, contenderim. Quodsi haec fortasse valeant ad ea, quae de Cornelio e Thucydide emendando professus sum, firmanda, multo magis ex his ipsis apparuisse dici potest, quantopere Cornelii verba e Thucydide sint interpretanda. Liceat mihi unum, nisi fallor, nondum satis hac ex ratione consideratum exemplum apponere. Viri docti ad hunc usque diem dubitaverunt, utrum in Pausan. v. cp. V. χαλκίοικος de Minerva an de eius aede intelligendum sit. De illa iam Perizonius ad Ael. 9, 41., de aede Bosius, Bremius aliique propterea intelligi voluerunt, quod alii huius rei auctores, etsi posterioris aetatis sint, illam vocem de aede usurparint. Constat, aedem ita esse vocatam; sed inde, quod tota fere Pausaniae vita Thucydide exscripta esse videtur, qui de Minerva tantum illa voce usus est, equidem putaverim, hoc Cornelii loco de dea intelligendam esse; quam explicationem loci natura comprobat. Bremius addidit: auctorem non Minervam, immo aedem satis distincte signa-

turum fuisse: iam vero res eadem est, quum de Minerva χαλκιοικος scriptum putamus, quod non nisi aedis ratione habita de dea scribi poterat.

Denique etiam interpungendi signa in illis vitis e Thucydide passim constituenda esse, uno probem exemplo. Bremius iam in Themist. cp. VI. verba „*interim omnes, servi atque liberi, opus facerent*", ita distinxit, ut hic exhibui, quum priores editores verba „omnes servi atque liberi" coniunctim scripserint. Illa vero interpungendi ratio quum rei natura tum Thucydide confirmatur. Hic enim hoc quoque loco Cornelio materiem verbaque praebuit: τειχίζειν δὲ πάντας πανδημεὶ τοὺς ἐν τῇ πόλει καὶ αὐτοὺς καὶ γυναῖκας καὶ παῖδας, ita ut Cornelius πάντας πανδημεὶ illo *omnes* videatur expressisse, quod hac de caussa per *omnes* incolas explicandum est. Ex his iterum iterumque comparatis atque consideratis quilibet sibi facillime persuadebit, Cornelium, quod pertinet ad verba, illum graecum hominem sedulius interdum habuisse dignum, quem sequeretur, itaque Thucydidis librum, qui Cornelii temporibus esset, in huius vitis partim esse servatum.

Quam ob caussam ab hac re non prorsus alienum puto de nonnullis Thucydidis locis, quibus emendandis latinus ille auctor inservire videtur, verba facere, quorum primus scriptus est in Thucyd. lib. I. cap. 128. Παυσανίας ὁ ἡγεμὼν τῆς Σπάρτης τούσδε τε σοί χαρίζεσθαι βουλόμενος ἀποπέμπει δορὶ ἑλών. In his Stephanus verbum ἀποπέμπω, vulgari textu deleto, scribendum censuit, quippe quae prima persona in ceteris retineatur. Huic emendationi omnes libri scripti contrarii sunt; textus verba, quae vulgo eduntur, partim ipsius Pausaniae superba se gerendi ratione probantur, quae quum Pausanias τὸν ἡγεμόνα τῆς Σπάρτης se ipsum commendet, illa tertia persona magis conspicua redditur, ut in Xerxis responso ὧδε λέγει βασιλεὺς Ξέρξης, partim Cornelii verbis servantur, qui Pausaniam ita exhibuit, ut in illa epistola de se ipso dum agebat, tertia, quum de rege, secunda uteretur persona. Idem vero Stephanus in cap. 130. lib. 1. verba τράπεζάν τε Περσικὴν παρετίθετο defendit, eamque rem acu mihi videtur tetigisse, quamquam et libri scripti sunt qui pro Περσικὴν vocem Μηδικὴν habeant. Totum enim locum in Cornel. Pauf. cap. III. legimus: „*apparatu regio utebatur veste Medica; satellites Medi et Aegyptii sequebantur; epulabatur more Persarum.*" Pari modo ac in his Cornelii liber consulendus est in text. libr. 1, 134. constituendo; ubi haec scripta sunt: καὶ αὐτὸν ἐμέλλησαν μὲν εἰς τὴν Καιάδαν, in quibus alii libri exhibent ἐμέλλησαν, quod Scholiasta probat. Textum vero vulgarem, qui plurimis nititur codicibus, brevi Thucydidis dicendi genere probatur, et Scholiasta huius rei non satis gnaro vocis in ἐμέλλησαν commu-

tandae occasionem praebet (cf. Poppo obs. in Thucyd. Lips. 1815. p. 97.), simplici, quam habet, sententia iam commendatum extrema Pausaniae vita magis comprobat. Cornelius enim, quamquam illam amplius describit, de dissecto corpore prorsus nullam fecit mentionem, quam rem, si legisset, quum Pausaniae „turpem mortem" illustraret, non omisisset.

Denique etiam ad illustrandum Thucydidem passim aptus est Cornelius, e. g. in verbis I, 138. δόντος βασιλέως αὐτῷ Μαγνησίαν μὲν ἄρτον κ. τ. λ., quam dicendi brevitatem, etsi Thucydidis nomine esset excusata, his verbis illustravit (Them. X.) *„hanc urbem ei rex donarat his usus verbis: quae ei panem praeberet."*

In his locis defendendis, constituendis et explicandis fieri potuit, ut passim a vero aberrarem; attamen vero ex iisdem satis luculenter apparet, Thucydidem ad hunc usque diem in illius latini auctoris libello percensendo nondum satis esse consultum.

Quae si vero demonstrata sunt, alteram meae quaestionis partem absolutam puto, itaque ad alteram progressurus sum, quam in eo constitui, ut disseram de iis, quae de illarum vitarum auctore ex eius Thucydidem sequendi ratione probari liceat. Sed ne fortasse cuidam mirum videatur, me in quaestione, quae nostris temporibus finita esse videtur, denuo movenda versari, necesse est ut delegem huius rei curiosos ad Fabric. bibl. lat. ed. Ernest. tom. I. lib. I. cap. XIV.; Schlegelii observationes criticas et historicas in Cornelium. Havniae 1778; et Rinckii librum, qui 1819 in lucem prodiit ad illum librum Aemilio Probo adiudicandum. Multa sunt, quibus adduci possimus, ut Cornelium Nepotem illarum vitarum auctorem censeamus; neque tamen pauca sunt, quibus nixi illum earum esse auctorem negare possimus. Ad haec posteriora perversus vitarum ordo, negligentia in rebus connectendis et exponendis, insolens atque obsoletum dicendi genus, errores historici, quorum omnium auctor accusari potest, atque codicum auctoritas referuntur. Quae etsi omnia comprobari possunt, atque a multis viris iam comprobata conspiciuntur, tamen bene cavendum, ne isto abalienandi studio nimium perciti, omnia, quaecumque ab auctore non satis bene dicta videntur deinceps arripiamus, quibus librum illum spurium esse demonstrare velimus. Hac quidem ratione Rinckius saepius lapsus esse dici potest. Nimirum iam dudum illud *„deiicerentur"* (vit. VIII. 5.) de Hermis, qui circumsecti sunt ita explicatum est, ut idem sit, quod mutilare, nostrum *verstümmeln*. Nihilo minus tamen Rinckius falsa huius vocis interpretatione deceptus contendit,

auctorem huius rei ignarum fuisse, vel negligentius scripsisse. Pari modo in auctoris ignorantiam invectus est ad eiusd. vit. cap. VII, 3., ubi nescio quo nomine *Pactyen* ab auctore regionem habitam esse existimavit. Verbum *communire* pro moenibus *circumdare* scriptum vult. In rebus grammaticis quoque haud ubique satis accurate ac diligenter versatus est excutiendis. Accusavit auctorem, quod temporum et modorum, quae vocatur, consequutionem parum curaverit. Id ut comprobaret, exempla attulit, quae Cicero, si adesset, ipse probaret. Reprehendit Cornelium, quod dixerit: „*adeo augusto mari conflixit, ut multitudo navium explicari non potuerit.*" In quo quidem quantum a vero Rinckius aberraverit, ut explicem, liceat mihi omnino paullulum amplius de hoc coninnctivi temporis praeteriti usu agere.

Haec digressio eo magis huic quaestioni conveniet, quo saepius de illo usu tamquam de Cornelii insolentia disputatum, neque tamen ad liquidum perventum est. Ante omnia autem necesse est, ut ea, quae recentissimi grammatici (veteres enim vix ac ne vix quidem hanc rem subtilius tractarunt), illarumque vitarum editores de illo usu proposuerunt, quum non sufficiant, refutem. Inter interpretes melioris notae Bremius numeratur. Hic ad Milt. V, 1. lectionem „*valuerit*" iam dudum vexatam, pro qua Cod. Daniel. habet „valeret" his verbis defendit: „*ubique bene esse distinguendum inter actionem temporis momento perpetratam et continuam; ubi illa sit intelligenda perfecti, quem vocamus coniunctivum, ubi haec, imperfecti coniunctivum requiri.*" Negari non posest, plures locos forte fortuna reperiri, qui in hanc rem facere videantur, quum eorum natura eiusmodi sit, ut haec notio iis inferi possit: E. g. Vell. Pat. II, 15. Id maiores diligentia vitaverunt, ut cives Romanos e provincia ad censendum *vocaverint*. Suet. Tib. 31. Cetera iure ordinario agebantur tanta consulum auctoritate, ut legati ex Africa *adierint* eos quaerentes, trahi se a Caesare. Cic. pro Mil. XIII. „Qua in turba Vibienus senator ita est multatus, ut vitam *amiserit*." Id ad Att. VI, 1. „Senatum inclusum in curia habuerunt, ut nonnulli *interierint* fame." Qui factum sit ut in illis locis actio brevi tempore absoluta designetur, ex rerum natura patet. Nunc satius erit aliis locis contrarium probare *Cic. p. Cn. Plancio* 13. „sed quum sit C. P. is eques R. ea primum vetustate equestris ordinis, ut pater, ut avus, ut maiores eius omnes equites R. *fuerint*, summum in praefectura florentissima gradum et dignitatis et gratiae, deinde ut ipse in legionibus P. Crassi imperatoris inter ornatissimos homines, equites R. summo

ſplendore *fuerit.*“ Adiecit Bremius illi notae haec: „*optimos ſcriptores ab illa regula interdum recedere*“; rectius dixiſſet hanc normam iis fuiſſe prorſus non cognitam. Cf. Cic. ad Att. I, 16. Pompeium adduxi in eam voluntatem, ut non *ſemel* ſed *ſaepe* in Senatu multis ſuis verbis mihi ſalutem imperii atque orbis terrarum *adiudicarit.* Cornel. Att. 18. antiquitatem adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine *expoſuerit.* Ib. 6.: „praefecturas delatas ſic accepit, ut neminem *ſit ſecutus*, honore *fuerit* contentus, rei familiaris *deſpexerit* fructum.“ Haec aliaque innumera loca Bremii ſententiam ſuſpectam eſſe neque ſufficere comprobant. Eamdem fere ſententiam Grotefendus in grammatica profeſſus eſt, qui de illo coniunctivo in hunc modum diſſeruit, *ut illis locis ea contineri ſtatueret, quae ex aliis neceſſario ſequuta ſint itaque coniici poſſint* (*ſo oft eine Folgerung mit der Erzählung verbunden iſt*). Actionis celerrime patratae rationem eſſe habitam, is quoque aſſerit. Verumtamen, quum ſibi perſuaſum haberet, haec non ſufficere adiunxit: *hunc uſum eo minus quemquam offendere poſſe, quod antecedente imperfecto etiam locum habeat.* Fortaſſe viam, qua ingrediendum ſit, monſtraturus fuiſſet, ſi vidiſſet Romanos in illo uſu non curaſſe, utrum perfectum antecederet, an imperfectum, an praeſens, ſed aliis de cauſſis, quae naturae rei magis reſpondeant, ita ſcripſiſſe. Ad illam ſententiam refellendam haec valeant: Conſtat Romanos rariſſime ſcripſiſſe *accidit ut haec facta ſint*, ſed „*ut haec fierent.*“ Multo magis demonſtrari poteſt, ubicumque ea, quae ex aliis, ut neceſſe erat, revera profecta ſint, ita ut et cauſſa et effectus pariter dilucidati ante oculos obverſarentur, ſignificanda eſſent, Romanos nonniſi imperfecto vel praeſenti tempore uſos eſſe, ſive imperfectum ſive perfectum anteceſſerit. [Cf. Liv. I, 5. Numitor ſciſcitando eodem pervenit, ut haud procul *eſſet*, quin Remum *agnoſceret.* Ibid. 9. Iam res Romana adeo valida erat, ut cuilibet finitimarum civitatum bello par *eſſet.* Cic. fam. III, 13. „Velim fortuna ita tuliſſet, ut quanti ego tuos omnes faciam, tanti tu meos facere *poſſes.*“ Mirum vero eſt, quod Grotefendus ne eos quidem locos, qui in illis vitis eius ſententiae contrarii leguntur, ſatis conſideraſſe videtur. Cf. Milt. I. „accidit, ut Athenienſes Cherſoneſum colonos *vellent* mittere“ ibid. „quum ea eſſet aetate, ut iam cives confidere *poſſent.*“ Themiſt. VI. huius conſilio Piraei portus moenibus circumdatus eſt, ut ipſam urbem dignitate *aequipararet.*“ Alcib. I. „diſertus ut imprimis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris, ut nemo ei dicendo *poſſet* reſiſtere.“ In his locis e Grotefendi ſententia neceſſe eſt, ut imperfectum mutetur

in perfectum. Quid inde proficitur? Sunt etiam, qui istum coniunctivum eo studeant probare, quod auctor eam rem, quam illo modo usus narraverit, haud certam neque omnibus cognitam proposuerit, sed e sua tantum sententia scripserit. Neque desunt loca, ad quae haec explicatio optime quadrare videatur. E. g. Cor. Ages. VI, 1. talem se praebuit, ut eo tempore omnibus *apparuerit*, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse. Themist. 5. adeo angusto mari conflixit, ut multitudo navium explicari non potuerit. Huic vero sententiae haec loca prorsus obstant. Hannib. I, 3. Odium confirmavit, ut prius animum, quam id *deposuerit*. Att. 7. Attici quies Caesari fuit grata, ut huic non solum non molestus fuerit, sed etiam sororis filium *concesserit*. ibid. 21. tanta vis morbi prorupit, ut fistula *eruperit*. Mirum vero mihi visum est, quod Schaadelockius (*Von den Zeiten der Zeitwörter und ihrem Gebrauche. Rostock*, 1797.) de huius coniunctivi usu haec protulit, *sicuti plusquamperfectum* pro *perfecto*, ita *perfectum* pro *imperfecto* cum ab aliis auctoribus tum saepissime a Cornelio positum esse. His quidem explicandi negotio facillime functus est; attamen vero non minus mirum est, quod auctores Romani, paucis locis, quorum in nonnullis praeterea lectio variat, exceptis, dum longiores conscribebant periodos, nusquam modo perfecti, modo imperfecti coniunctivo usi sunt, sed constanter idem tempus servarunt. De istis locis excipiendis, quae partim in Cicerone partim in Suetonio leguntur, infra explicabo. Schellerus in grammatica ne id quidem discriminis inter constructionem imperfecti et perfecti constituit, quod iam intercedit inter facti cuiusdam et consilii enarrationem, quamquam, ut facillime ex auctoribus Romanis ipsiusque rei natura intellectu est, posterius construendi genus perfectum omnino non admittit, sed imperfectum tantum adhiberi potest, ubi consilium, mens etc. exprimenda sunt. In eo quoque falsus videtur fuisse, quod hunc dicendi usum a vulgari devertere censet. Guntherus (Cornel. Nep. de vita excell. imperat. Halis. 1820.) ad illum in Milt. vita locum de re subtilius indaganda (cap. V.) acrius cogitavit dicens: „*Bremius recte quidem monet* etc. *Potius dixerim*, *cum de re praeterita agatur*, *perfectum magis eventum facti spectare*, *imperfectum mentem et consilium agentis*.“ Sed haec nimis breviter dicta sunt, eaque de causa non uno modo explicari possunt; neque de iis locis agi potest, ubi coniunctio *ut* mentem et consilium designat, haec enim non nisi imperfecto exprimi possunt; immo potius agitur de iis locis, ubi auctor de alicuius rei effectu disserit, itaque utrumque praeteritum admitti potuisse videtur.

Priusquam autem de ſignificatione illius coniunctivi meam ſententiam proferam, neceſſum eſt, ut in univerſum temporis praeteriti, quod vocatur, perfecti vim commemorem. Hanc rem, quum hoc in libello huiusce generis quaeſtionibus locus praeberi non poſſit, paucis abſolvam. Iam inter omnes conſtat, uſos eſſe Romanos illo tempore eadem plerumque ratione, qua Graeci aoriſto uterentur i. e. ut narrarent, referrent, rem aliquam factam eſſe. Pari modo neminem fugit, illud perfectum a Romanis eſſe uſurpatum ad res primarias, quae in qualibet enarratione erant, exprimendas. Quae vero vis indicativo, eadem coniunctivo ineſt. His obeſſe videtur, quod Romani illum modum uſurpatunt pro praeſenti tempore in illis formulis: *ne dixeris, hoc noluerim* etc. Sed eaedem formulae ubique notionem actionis abſolutae e mente eorum, qui loquuntur, continent, ita ut illo coniunctivo aliquid modeſte prorſus affirmetur vel negetur. Hinc quoque factum eſt ut ille coniunctivus imperandi, admonendi etc. non niſi modeſtam, benevole propoſitam ſententiam exprimat, quae magis prudentia et ſapientia dicentis, quam imperio et poteſtate commendatur. Neque ullum exſtat exemplum in edictis, legibus, etc. in quo Caeſar uſus ſit illo coniunctivo. Quae quum ita ſint, eo magis contendi poteſt, illi coniunctivo, cui antecedat *ut*, ineſſe propriam perfecti vim i. e. qua quid patratum, finitum, revera factum eſſe indicetur, quod non niſi de rebus praeteritis uſurpatus legitur. Quin etiam rem maioris gravitatis, tamquam rem primariam, illo coniunctivo proponi, iam illae particulae *adeo*, *tantum*, *ita*, *ſic* etc. quae antecedunt, produnt, quippe quibus lector incitatur, ut animum in ea, quae ſequantur, intendat. Inde patet, qui fieri potuerit, ut plurima curioſo harum rerum perſcrutatori occurrant loca, ubi effectus, ex quo, qua efficacia fuerit cauſa, perfecti coniunctivo exprimatur. Cicero p. Mil. „Qua in turba Vibienus Senator ita eſt multatus, ut vitam *amiſerit*." Hic ex eo, quod vitam amiſit ille ſenator intelligitur, quantopere multatus ſit. Id. p. Corn. Balbo 21. „Tanta auctoritas in Cn. Mario fuit, ut ipſe paucis verbis cauſſam illam gravitate ſua *defenderit* et *probarit*." Cauſſam probarit. Cauſſam probavit Marius; inde perſpicitur, quanta fuerit auctoritate. Id. ad Attic. IV, 14. Iter ita feci, ut undique ad me cum gratulatione legati *convenerint*; ad urbem ita veni, ut nemo illius ordinis homo nomenclatori notus *fuerit*, qui non venerit. Id. ad eund. IV, tanto me affecit dolore, ut poſtea *iacuerim*. Cic. p. Caelio: „Si vicini te adeo oderunt, ut repulſam tuam ſuum triumphum *duxerint*." Id. p. Archia V. Metellus tanta fuit diligentia, ut ad praeto-

rem *venerit*, et unius nominis litura se commotum *dixerit.* Id. de clar. orat. 62. „Qui tantum auctoritate dicendumque valuit, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis *abrogarit.*" Liv. hist. II, 66. famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut *auxeris.* Liv III, 31. adeo tum imperio meliori animus mansuete obediens erat, ut beneficii magis, quam ignominiae hic exercitus memor et coronam auream dictatoris libram pondo *decreverit*, et proficiscentem eum patronum *vocarit.* Ibid. V, 51. adeo mihi acerbae sunt istae contentiones, ut nec tristissimi animi solatium aliud *habuerim*, quam quod procul ab his eram. Caes. b. g. III, 15. Singulas naves nostri expugnaverunt, ut perpaucae ex omni numero ad terram *pervenerint.* Interim Romani, quum illo coniunctivo uterentur, non solum hunc effectum tanquam fontem spectáverunt, e quo qualis fuerit caussae efficacia intelligi posset, sed illo modo plerumque rem, quae e sententiarum connexa primaria habenda est, oratione tollendam curaverunt. Cf. Cic. ad Att. I, 16. locum supra laudatum. Id de cl. orat. 94. Quibus quidem caussis tu etiam praesto fuisti, compluresque et nobiscum et solus egisti, ut, qui non satis diu vixerit, Hortensius tamen hunc cursum *confecerit.* Id. in Verr. I, 32. Huic homini parcetis igitur iudices, cuius tanta peccata sunt, ut ii, quibus iniurias fecerit, neque legitimum tempus exspectare ad ulciscendum, neque vim tantam doloris in posterum differre *potuerint.* Ibid. 42. Neque in ulla lege praeteritum tempus reprehenditur, nisi eius rei quae sua sponte scelerata ac nefaria est, ut etiam si lex non esset, magnopere vitanda *fuerit.* Ibid. III, 51. Unum et quinquaginta aratores ita video deiectos, ut his ne vicarii *successerint.* Tacit. an. I, 18. Postremo eo furoris venere, ut tres legiones in unam miscere *agitaverint.* Id. ibid. II, 55. Sed tanta mansuetudine agebat, ut quum orta tempestas raperet in abrupta, possetque interitus inimici ad casum referri, *miserit* triremes, quarum subsidio discrimini eximeretur; id. ibid. XI, 5. nec quidquam publicae mercis tam venale fuit, quam advocatorum perfidia, adeo ut Samius, insignis eques Romanus, quadringentis nummorum millibus Suilio datis, et cognita praevaricatione ferro in domo *eius incubuerit.* Sueton, Caes. XIV. — strictos gladios usque eo intentans, ut sedentem una proximi *deseruerint*, vix pauci complexu togaque obiecta *protexerint;* id. ibid. LXXVI. — atque utroque anno binos consules substituit sibi, in ternos novissimos menses, ita ut medio tempore comitia nulla *habuerit.* Id. Octav. LXIV. Extraneorum quidem coetu adeo prohibuit, ut L. Tucinio claro decoroque iuveni *scripserit* quondam: id. Tib. II.

— eos adversus plebem esse adeo violentos ac contumaces, ut ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare vestem aut deprecari *sustinuerit*. Ex illis locis, in quibus imperfectum et perfectum invicem usurpata sunt, unus non ad hanc rem labefactandam, sed ad eam confirmandam hic referri debet. Legitur in Cic. orat. pro P. R. Amerino, Cap. 44. „Ego haec omnia Chrysogonum fecisse dico, ut ementiretur, ut malum civem Roscium fingeret, ut eum apud adversarios occisum esse diceret, ut hisce de rebus a legatis Amerinorum doceri L. Syllam *passus non sit*.“ Ea vero, quae hoc ultimo versu a Cicerone commemorantur, gravioris ponderis esse videntur, quippe cuius rei, quae satis firmata erat, in priori orationis parte ter quaterve mentionem fecit. Qua de caussa, quum ceterum haec res quintum commemorata gradationi, quae in hac periodo legitur, finem imponat, ad summam rei gravitatem exprimendam perfectum *passus* sit positum existimo, ut Chrysogonus maxime suspectus redderetur. Quae quum ita sint, non possum quin alium locum (est in Cic. orat. p. A. Caecina sub finem) „is homo ita se probatum vobis vestrique similibus semper voluit, ut id non minus in hac caussa laborarit; nec contenderit aliud, quam ne ius suum dissolute relinquere videretur; nec minus *vereretur* ne contemnere Aebutium, quam ne ab eo contemptus esse existimaretur“ in quo codicum varietas adest, alii habent „nec minus vereretur“ alii „nec minus *veritus sit*,“ ex illa norma constituam, et „*veritus sit*“ legendum censeam.

Praeterea unus tantum legitur in Cicerone locus, quantum equidem vidi (pro L. Sylla 11.: „Ecquem tu horum, qui adsunt, quibus te contra ipsorum voluntatem venditabas aut tam sceleratum statuis fuisse, ut haec omnia perire *voluerit*, aut tam miserum, ut se perire cuperet et nihil haberet, quod salvum esse vellet“), qui isti normae primo obtutu obesse videtur, ipsa vero sententia, quae perfecti coniunctivo expressa est, viam, quam ingrediamur ad illam difficultatem discutiendam, monstrat. Istis enim verbis „ut haec omnia perire *voluerit*“ omnium istorum Catilinae coniuratorum consilium continetur, itaque res magni erat momenti, dum cetera „aut tam miserum — esse vellet“, a Cicerone concinnitatis caussa ficta atque opposita sunt. Parum accurate, quod ad hunc usum attinet, scripsisse videtur Suetonius, quippe qui perfectum imperfecto addere non dubitavit, vit. Tib. Caes. XXVII. adulationes adeo aversatus est, ut neminem senatorum aut officii aut negotii caussa ad lecticam suam *admiserit;* consularem vero satis facientem sibi ac per genua orare conantem ita *suffugerit*, ut *caderet* supinus; atque etiam, si quid in sermone vel in continua oratione blandius de se diceretur, non *dubitaret* interpellare

ad reprehendere et commutare continuo." Id. Ner. Claud. XXV. „Ac poſt haec tantum abfuit a remittendo laxandoque ſtudio, ut conſervandae vocis gratia, neque milites umquam, niſi abſens, aut alio verba pronunciante, *appellaret;* neque quidquam ſerio iocove *egerit* niſi adſtante phoasnco, qui moneret, parceret arteriis et ſudarium ad os applicaret; multisque vel amicitiam ſuam *obtulerit*, vel ſimultatem *indixerit*, prout quisque ſe magis parciusve laudaſſet." Id. Iul. Caes. XXXIX. ad quae omnia ſpectacula tantum undique confluxit hominum, ut plerique advenae aut inter vias tabernaculis poſitis *manerent*, ac ſaepe prae turba eliſi *exanimatique ſint* plurimi et in his duo ſenatores.

Ceterum per ſe iam patet, huc iſtorum verborum coniunctivum perfecti non eſſe referrendum, quorum perfectum actionem praeteritam ſignificat, ſed temporis praeſentis eſt. E. g. Cic. ad Attic. V, 6. avide exſpecto tuas litteras et maxime, ut *norim* tempus perfectionis tuae. Id. ad famil. IX, 12. — Non quo ita ſim fractus, ut hominem me *eſſe oblitus ſim*, aut fortunae ſuccumbendum putem. Cic. in Verrem libr. IV, 66. Ita laudent, ut ad ea quae rogati erunt reſpondere *parati ſint.* Id. ibid. IV, 47. Dicunt Militenſes — id ab anno iſto ſic ſpoliatum eſſe ut nihil omnino ſit relictum. Cic. ad famil. XI, 10. Tantum abeſt, ut meae rei familiaris liberum ſit quidquam, ut meos iam omnes amicos aere alieno *obſtrinxerim.* Multo minus huc numerandae ſunt eae enunciationes, quarum ſenſus, perfectum ſi commutare vellemus in imperfectum, prorſus perverteretur. E. g. Cic. de finib. bon. et mal. IV. Sequentur omnia peccata eſſe paria, eosque, qui natura doctrinaque longe ad virtutem proceſſiſſent; niſi eam plene conſequuti eſſent, ſumme eſſe miſeros — ut Plato, ſi ſapiens non fuerit, nihilominus quam quivis improbiſſimus nec beatius *vixerit.* Hic „viveret" nullo modo locum habere poſſet, quum prorſus alia atque inepta inde exſiſteret ſententia. Cic. in Bruto XVIII, 10. In quo tantus error Accii fuit, ut his coſſ. XL annos natus Ennius *fuerit.*

Iam vero, hac quaeſtione, quantum fieri potuit, abſoluta, nova exoritur, utrum repetitus a Cornelio illius perfecti uſus vulgari congruus ſit nec ne; quae brevi ad finem perduci poteſt. Etenim tantopere auctor illarum vitarum ubique cavit, ne ab illo ſatis conſtituto uſu aberraret, atque hic conatus usque adeo ſucceſſit, ut ne unum quidem poſuerit coniunctivum perfecti, quin (quod plerumque a ceteris prioris et poſterioris aetatis auctoribus ſervatum eſt) contineat factum quoddam ſatis certum atque ex rerum ſerie ſatis dignum quod commemoraretur. In Miltiadis vita tantum haec vulgari dicendi uſui prorſus contraria ſcripta ſunt. Vit.

I, 5.: *„Quo factum eſt ut plus quam collegae valuerit"*. Nam dictiones *accedit*, *factum* eſt, *evenit* etc. nusquam fere alias ita uſurpatae inveniuntur, ut perfecto antecedenti perfectum additum ſit. Uno tantum Ciceronis loco illa Corneliana dicendi ratio ſervari et comprobari poſſe videtur. Cic. orat. 55. „Sed ut ceteris in rebus neceſſitatis inventa antiquiora ſunt quam voluptatis, ita et in hac re accidit, ut multis ſaeculis ante oratio nuda ac rudis ad ſolos animorum ſenſus exprimendos fuerit." Qua de cauſſa noluerim illud „valuerit" deleri, quod praeterea maiori codicum eorúmque meliorum auctoritate iam probatur. Quodſi Rinckius in hoc uſu Cornelium erroris coarguere conatur, equidem eum falſum eſſe contenderim.

Nihilominus autem auctor dicens *„hi erunt fere ii, qui putabunt"* excuſari non poteſt. Omnino inſolentiori dicendi genere interdum uſum eſſe Cornelium ex his formulis et verbis *„latere Alcibiadi non potuit*, *amiſſus* pro *amiſſione*, *deuti* pro *abuti*, *civitatem* pro *urbe*, *periculum* pro noſtro *Prototoll*, pronomine *hic* ſexcenties, qualibet fere pagina ter quaterve repetito, apparet. Sed haec aliaque, quorum iam ſupra mentionem feci, ſufficiant ad ſuſpicionem movendam, has vitas haud quaquam omnes a Cornelio eſſe profectas; ſufficiant ad me excuſandum, quippe qui illam motam ſuſpicionem, dum quasdam illius libri partes alia e ratione pertractandas ſumpſi, auſus ſum augere. *Cornelium enim ſibi non conſtare, dum ex altera parte Thucydidis hiſtoriam paene ad verbum in latina transſcriberet atque ex altera parte ea, quae Thucydides nobis tradidit, negligeret, quamquam auctor ipſe verbis ſatis claris declaravit, Thucydidi eſſe credendum, quippe qui proximus eſſet aetatis illorum imperatorum ex iis, qui de his ſcripſiſſent*, ad hoc usque tempus, quantum equidem vidi, nondum, certe non ſatis expoſitum eſt. Cornelius, inquam, eas Thucydidis hiſtoriae partes, quae in ſuam rem facerent, ad verbum fere exſcripſit. Haec Pauſaniae, partim etiam Themiſtoclis vita probanda ſunt. Quamobrem Pauſaniae vitam, quam e Thucydide componi licet, hic adſcripſi, eique numerum, qui eſt capitum vitae Cornelianae, adieci.

Thucydid. hiſt. I, 132.

Cornel. Paus. I, 3. Τά τε ἄλλα αὐτοῦ ἀνεσκόπουν, εἴτι του ἐξεδεδιῄτητο τῶν καθεστώτων νομίμων καὶ ὅτι ἐπὶ τὸν τρίποδα ποτὲ τὸν ἐν Δελφοῖς, ὃν ἀνέθεσαν οἱ Ἕλληνες ἀπὸ τῶν Μήδων ἀκροθίνιον, ἠξίωσεν ἐπιγράψασθαι αὐτὸς ἰδίᾳ τὸ ἐλεγεῖον τόδε,

Ἑλλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων,
Παυσανίας Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε.

Τὸ μὲν οὖν ἐλεγεῖον οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐξεκόλαψαν εὐθὺς τότε ἀπὸ τοῦ τρίποδος τοῦτο. καὶ ἐπέγραψαν ὀνομαστὶ τὰς πόλεις, ὅσαι ξυγκαθελοῦσαι τὸν βάρβαρον, ἐστήσαντο τὸ ἀνάθημα.

Thucydid. I, 127.

Cap. II, primi et extremi verſus.

Ἐπειδὴ Παυσανίας ὁ Λακεδαιμόνιος τοπρῶτον μεταπεμφθεὶς ὑπὸ Σπαρτιατῶν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς ἐν Ἑλλησπόντῳ (μετὰ τὴν ἐκ Κύπρου ἀναχώρησιν) καὶ κριθεὶς ὑπ' αὐτῶν ἀπελύθη μὴ ἀδικεῖν.

I, 130.

Cornel. Pauſ. II.

Λαβὼν τὰ γράμματα (τοῦ βασιλέως) καὶ πρότερον ἐν μεγάλῳ ἀξιώματι ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων διὰ τὴν Πλαταιάσιν ἡγεμονίαν πολλῷ μᾶλλον τότε ἦρτο.

Th. I, 128.

epiſtola in Thucyd. et Cornelio prorſus eadem eſt.

Βυζάντιον γὰρ ἑλὼν (εἶχον δὲ Μῆδοι αὐτὸ καὶ βασιλέως προσήκοντές τινες καὶ ξυγγενεῖς οἱ ἑάλωσαν ἐν αὐτῷ) τότε τούτους, οὓς ἔλαβεν, ἀποπέμπει βασιλεῖ κρύφα τῶν ἄλλων ξυμμάχων· τῷ δε λόγῳ ἀπέδρασαν αὐτόν. ἔπρασσε δὲ ταῦτα μετὰ Γογγύλου τοῦ Ἐρετριέως. ἔπεμψε δὲ καὶ ἐπιστολὴν τὸν Γόγγυλον φέροντα αὐτῷ. — epiſtola ipſa.

I, 129.

huius quoque idem in utroque eſſe argumentum neminem fugit.

Ξέρξης δὲ ἥσθη τε τῇ ἐπιστολῇ καὶ ἀποστέλλει Ἀρτάβαζον ἐπὶ θάλασσαν· καὶ παρὰ Παυσανίαν ἐπιστολὴν ἀντεπιτίθει. — epiſtola — cf. I, 127. add. ſunt ec. 128. δημοσίᾳ μὲν οὐκέτι ἐξεπέμφθη.

Thuc. I, 131.

Cor. P. III.

(ec. 128. ἰδίᾳ δὲ αὐτὸς τριήρη λαβὼν Ἑρμιονίδα ἄνευ Λακεδαιμονίων ἀφικνεῖται ἐς Ἑλλήσποντον) καὶ ἐπειδὴ τῇ Ἑρμιονίδι νηῒ τοδεύτερον ἐκπλεύσας, οὐ κελευσάντων αὐτῶν, τοιαῦτα (quae primo adventu eum feciſſe narrat Thucydides) ἐφαίνετο ποιῶν. —

I, 130.

οὐκέτι ἠδύνατο ἐν τῷ καθεστῶτι τρόπῳ βιοτεύειν, (οὐδὲ κατέχειν τὴν διάνοιαν,

ἀλλ' ἔργοις βραχέσι προὐδήλου, ἃ τῇ γνώμῃ μειζόνως ἐσέπειτα ἔμελλε πράξειν·) ἀλλὰ σκευάς τε Μηδικὰς ἐνδυόμενος ἐκ τοῦ Βυζαντίου ἐξῄει καὶ διὰ τῆς Θράκης πορευόμενον αὐτὸν Μῆδοι καὶ Αἰγύπτιοι ἐδορυφόρουν. τράπεζάν τε Περσικὴν παρετίθετο.

I, 130.

Cor. P. III. δυςπρόσοδόν τε αὐτὸν παρεῖχε, καὶ τῇ ὀργῇ οὕτω χαλεπῇ ἐχρῆτο ἐς πάντας ὁμοίως, ὥστε μηδένα δύνασθαι προσιέναι.

I, 131.

Ὑπ' Ἀθηναίων ἐκπολιορκηθεὶς ἐς μὲν τὴν Σπάρτην οὐκ ἐπανεχώρει, ἐς δὲ Κολωνὰς τὰς Τρωϊδας ἱδρυθεὶς, πράσσων τε ἐσηγγέλλετο αὐτοῖς ἐς τοὺς βαρβάρους καὶ οὐκ ἐπ' ἀγαθῷ τὴν μόνην ποιούμενος οὕτω δὴ οὐκέτι ἐπέσχον, ἀλλὰ πέμψαντες κήρυκα οἱ Ἔφοροι καὶ σκυτάλην, εἶπον τοῦ κήρυκος μὴ λείπεσθαι, εἰδὲ μὴ, πόλεμον αὐτῷ Σπαρτίατας προσαγορεύειν· ὁ δὲ βουλόμενος ὡς ἥκιστα ὕποπτος εἶναι καὶ πιστεύων χρήμασι, διαλύσειν τὴν διαβολὴν, ἀνεχώρει τοδεύτερον ἐς Σπάρτην. Καὶ ἐς μὲν τὴν εἱρκτὴν ἐσπίπτει τοπρῶτον ὑπὸ τῶν Ἐφόρων (ἔξεστι δέ τοῖς Ἐφόροις τὸν βασιλέα δρᾶσαι τοῦτο) ἔπειτα διαπραξάμενος ὕστερον ἐξῆλθε καὶ καθίστησιν ἑαυτὸν ἐς κρίσιν τοῖς βουλομένοις περὶ αὐτῶν ἐλέγχειν.

Cap. 132.

Ὑποψίας πολλὰς παρεῖχε τῇ τε παρανομίᾳ καὶ ζηλώσει τῶν βαρβάρων μὴ ἴσος βούλεσθαι εἶναι τοῖς παροῦσι. — Ἐπυνθάνοντο δὲ καὶ εἰς τοὺς Εἵλωτας πράσσειν τὶ αὐτόν. ἐλευθέρωσίν τε γὰρ ὑπισχνεῖτο αὐτοῖς καὶ πολιτείαν, ἢν ξυνεπαναστῶσι, καὶ τὸ πᾶν ξυγκατεργάσωνται. — Καὶ φανερὸν μὲν εἶχον οὐδὲν οἱ

Corn. P. c. III. Σπαρτιᾶται σημεῖον, οὔτε οἱ ἐχθροὶ οὔτε ἡ πᾶσα πόλις, ὅτῳ ἂν πιστεύσαντες βεβαίως ἐτιμωροῦντο ἄνδρα γένους τε τοῦ βασιλείου ὄντα. —

Corn. P. c. IV. Πρίν γε δὴ αὐτοῖς, ὡς λέγεται ὁ μέλλων τὰς τελευταίας βασιλεῖ ἐπιστολὰς πρὸς Ἀρτάβαζον κομιεῖν ἀνὴρ Ἀργίλιος παιδικά ποτε ὢν αὐτοῦ, μηνυτὴς γίγνεται. Δείσας κατὰ ἐνθύμησίν τινα, ὅτι οὐδεὶς πω τῶν πρὸ ἑαυτοῦ ἀγγέλων πάλιν ἀφίκετο — λύει τὰς ἐπιστολάς· ἐν αἷς ὑπονοήσας τὶ τοιοῦτον προσεπεστάλθαι, καὶ αὐτὸν εὗρεν ἐγγεγραμμένον κτείνειν.

Cap. 133.

Τότε δὴ οἱ Ἔφοροι δείξαντος αὐτοῦ τὰ γράμματα μᾶλλον μὲν ἐπίστευσαν

(cap. 132. χρώμενοι τῷ τρόπῳ ᾧπερ εἰώθασιν ἐς σφᾶς αὐτοὺς μὴ ταχεῖς εἶναι περὶ ἀνδρὸς Σπαρτιάτου ἄνευ ἀναμφισβητήτων τεκμηρίων, βουλεῦσαί τι ἀνήκεστον) αὐτήκοοι δὲ βουληθέντες ἔτι γενέσθαι αὐτοῦ Παυσανίου τὶ λέγοντος ἀπὸ παρασκευῆς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ Ταίναρον ἱκέτου οἰχομένου καὶ σκηνησαμένου διπλῆν διαφράγματι καλύβην. ἐς ἣν τῶν τε Ἐφόρων ἐντὸς τινὰς ἔκρυψε καὶ Παυσανίου ὡς αὐτὸν ἐλθόντος, καὶ ἐρωτῶντος τὴν πρόφασιν τῆς ἱκετείας, ᾔσθοντο πάντα σαφῶς, αἰτιωμένου τοῦ ἀνθρώπου τάτε περὶ αὐτοῦ γραφέντα καὶ τἄλλα ἀποφαίνοντος καθ' ἕκαστον. κἀκείνου αὐτά τε ταῦτα ξυνομολογοῦντος καὶ περὶ τοῦ παρόντος οὐκ ἐῶντος ὀργίζεσθαι, ἀλλὰ πίστιν ἐκ τοῦ ἱεροῦ διδόντος τῆς ἀναστάσεως καὶ ἀξιοῦντος ὡς τάχιστα πορεύεσθαι καὶ μὴ τὰ πρασσόμενα διακωλύειν.

Th .I, 134.

Corn. Paus. V.

Ἀκούσαντες δὲ ἀκριβῶς τότε μὲν ἀπῆλθον οἱ Ἔφοροι, βεβαίως δὲ ἤδη εἰδότες ἐν τῇ πόλει τὴν ξύλληψιν ἐποιοῦντο. Λέγεται δ' αὐτὸν μέλλοντα ξυλληφθήσεσθαι ἐν τῇ ὁδῷ, ἑνὸς μὲν τῶν Ἐφόρων τὸ πρόσωπον προσιόντος ὡς εἶδε, γνῶναι ἐφ' ᾧ ἐχώρει· ἄλλου δὲ νεύματι ἀφανεῖ χρησαμένου καὶ δηλώσαντος εὐνοίᾳ πρὸς τὸ ἱερὸν τῆς Χαλκιοίκου χωρῆσαι δρόμῳ καὶ προκαταφυγεῖν· ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ τέμενος. Καὶ ἐς οἴκημα οὐ μέγα, ὃ ἦν τοῦ ἱεροῦ, εἰσελθὼν, ἵνα μὴ ὑπαίθριος ταλαιπωροίη, ἡσύχαζεν· οἱ δὲ τὸ παραυτίκα μὲν ὑστέρησαν τῇ διώξει· μετὰ δὲ τοῦτο, τοῦτε οἰκήματος τὸν ὄροφον ἀφεῖλον καὶ τὰς θύρας ἔνδον ὄντα τηρήσαντες, αὐτὸν καὶ ἀπολαβόντες εἴσω ἀπῳκοδόμησαν, προσκαθεζόμενοί τε ἐξεπολιόρκησαν λιμῷ. Καὶ μέλλοντος αὐτοῦ ἀποψύχειν, ὥσπερ εἶχεν ἐν τῷ οἰκήματι, αἰσθόμενοι ἐξάγουσιν ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἔτι ἔμπνουν ὄντα. Καὶ ἐξαχθεὶς ἀπέθανε παραχρῆμα. Καὶ αὐτὸν ἐμέλλησαν μὲν ἐς τὴν Καιάδαν, οὗπερ τοὺς κακούργους ἐμβάλλειν εἰώθεισαν. Ἔπειτα ἔδοξε πλήσιόν που κατορύξαι. Ὁ δὲ θεὸς ὁ ἐν Δελφοῖς τόν τε τάφον ὕστερον ἔχρησε τοῖς Λακεδαιμονίοις μετενεγκεῖν οὗπερ ἀπέθανε.

Historia de matre indignata in Thucydide desideratur.

Eadem de Themistoclis vita inde a capite VI. probari possunt, quippe quae e Thucydid. libr. I, cap. 90. 93. (Cornel. vit. cap. VI.); 90. 91. (Cornel. vit. cap. VII.); 135. 136. (cap. VIII.) 137. (cap. IX.); 138. (cap. X), passim ad verbum in latina versa sunt. Pauca tantum e Thucydide afferam, quibus Corneliana inde a cap. VI. §. 5. — cap. VII. respondent.

Thucydid. 90.

Ἑαυτὸν δ' ἐκέλευεν ἀποστέλλειν ὡς τάχιστα ὁ Θεμιστοκλῆς ἐς τὴν Λακεδαι-

Corn. Th. VI. 5. μονα, ἄλλους δὲ πρὸς ἑαυτῷ ἑλομένους πρέσβεις μὴ εὐθὺς ἐκπέμπειν, ἀλλ' ἐπισχεῖν μέχρι τοσούτου, ἕως ἂν ἱκανὸν τὸ τεῖχος αἴρωσιν ὥστε ἀπομάχεσθαι ἐκ τοῦ ἀναγκαιοτάτου ὕψους. Τειχίζειν δὲ πάντας πανδημεὶ τοὺς ἐν τῇ πόλει καὶ γυναῖκας καὶ παῖδας φειδομένους μήτε ἰδίου μήτε δημοσίου οἰκοδομήματος ὅθεν τὶς ὠφέλεια ἔσται ἐς τὸ ἔργον, ἀλλὰ καθαιροῦντας πάντα.

Cap. 93.

Corn. Th. cap. VI. Καὶ δήλη ἡ οἰκοδομία ἔτι καὶ νῦν ἐστιν ὅτι κατὰ σπουδὴν ἐγένετο· πολλαί τε στῆλαι ἀπὸ σημάτων καὶ λίθοι εἰργασμένοι ἐγκατελέγησαν.

Cap. 90.

Corn. Th. cap. VII. Καὶ ἐς τὴν Λακεδαίμονα ἐλθὼν οὐ προσῄει πρὸς τὰς ἀρχάς, ἀλλὰ διῆγε καὶ προὐφασίζετο. Καὶ ὁπότε τὶς αὐτὸν ἔροιτο τῶν ἐν τέλει ὄντων, ὅτι οὐκ ἐπέρχεται ἐπὶ τὸ κοινόν, ἔφη, τοὺς ξυμπρέσβεις ἀναμένειν.

Sed longum eſt, atque ſtatutos huius libelli fines excedit, omnia, quae in Cornelii Themiſtocle, Cimone et Alcibiade leguntur, percenſere. Mirum vero eſt, quod Cornelius non ſolum ea, quae ad hiſtoriam pertinent, iisdem fere verbis, ſed etiam ea, quae Thucydides e ſua tantum ſententia propoſuiſſe videtur, diligenter ſervavit. Iis locis quae ſupra attuli nullum huius rei exemplum continetur. Eo magis autem offendit ſententia, quam Cornelius de Piraei portu integro reſtituto in Themiſtoclis vit. cap. VI. tulit „moenibus circumdatus, ut ipſam urbem dignitate aequipararet, utilitate ſuperaret." Nam his inſunt, quae Themiſtocles (Thucyd. I, 93.) de illo portu iudicaverat, „τόν τε Πειραιᾶ ὠφελιμώτερον τῆς ἄνω πόλεως ἐνόμιζε." At vero, quis dixerit, fieri potuit, ut Thucydides et Cornelius de iisdem rebus atque viris eadem ſentirent et cogitarent; itaque etiam fieri potuit, ut uterque iisdem fere verbis ad eadem exprimenda uterentur. His parum ineſſe momenti, quilibet ſibi perſuadebit, modo conſideraverit, auctorem illarum vitarum in Themiſtoclis et Pauſaniae vita quater Thucydidis mentionem feciſſe, quamquam ceterum pauca tantum nomina illis vitis inſeruerit, quae auctores, quas ſequutus ſit, nobis prodant. Exinde iam intelligitur eum Thucydidis hiſtoriam eſſe ſequutum; e ſumma autem utriusque auctoris, quod attinet verba, conſpiratione, apparet, Romanum graeca diligenter memoria retinuiſſe atque in latinam linguam vertiſſe. Summa haec, qua Cornelius Thucydidi ſe adiungere conatus eſt, aſſimulatio iam pro-

dit, quanti Cornelius Thucydidem fecerit. Verum tamen haec aestumatio multo magis e Cornelii verbis (Themist. IX.) elucet: „Sed ego potissimum Thucydidi credo, quod aetate proximus erat, qui illorum temporum historiam reliquerunt, et eiusdem civitatis fuit.“ Ex his satis luculenter apparet, illum graecum auctorem apud Cornelium summa auctoritate valuisse. Verum tamen id quod lectores eo magis offendit, Cornelius, quem veteres credulitatis tantum arguunt, cf. Plin. hist. nat. lib. III, 18.; V, 1. res a Thucydide traditas *leviter tractavit*, *confudit*, quin etiam sibi auctorique graeco contrarius *quaedam*, *quae falsa videntur*, *retulit*. Ut quod primum posui, Cornelium levitatis in exponendis iis, quae a Thucydide relata leguntur, absolvi non posse, probem, exempla quae sufficiant afferam. Satius iam esset ad annotationes, quas Bosius aliique de hac re adiecerunt, provocare; sed liceat mihi aliquam Bosianarum partem amplius illustrare aliasque novas addere. Cornelius in vit. Paus. cap. 1. refert, Pausaniam tripodem aureum posuisse, Thucydides, Graecos posuisse tripodem, Pausaniam ἀξιῶσαι τὸ ἐλεγεῖον τόδε ἐπιγράφεσθαι. Ex illius narratione Pausanias facilius, ex huius difficilius excusatur, itaque haec posterior enarratio servanda erat. Item non dubitavit in ead. vit. scribere, mitti legatos cum scytala, dum Thucyd. refert κήρυκα καὶ σκυτάλην mitti. Multo magis conspicua est illa levitas in his: Argilium quum in Taenarum confugisset, narrat, in ara consedisse, iuxta hanc fuisse locum sub terra, ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio, quamquam e Thucydide haud dubie apparet, vix ac ne vix quidem de ara esse cogitandum, quam ornamenti instar commemorasse videtur Cornelius. Cf. verba supra scripta ἀπὸ παρασκευῆς — τινὰς ἔκρυψε. Pari modo iusto amplior et brevior fuit in Themist. 7. Ibi enim tradidit: Lacedaemonios, quum Themistocles Argis propter multas virtutes (quae quid sibi velint, haud facile est intellectu) magna cum dignitate viveret, legatos Athenas misisse, qui eum absentem accusarent, quod cum rege consensisset. Thucyd. scripsit: haec e quaestionibus in Pausaniam Lacedaemone institutis Spartanis innotuisse. Porro nauclerum, quum Themistocles in eo esset ut Naxon appelleret, Cornelius narrat, misericordia fuisse motum atque in salo navem tenuisse. Thucydides tradidit, quae rei naturae melius conveniunt, illum navis magistrum minationibus Themistoclis et larga pecuniae promissione esse incitatum, ut hunc virum servaret.

Sed non solum levitatis, ne ignorantiae quidem absolvi potest. In Cimonis vita cap. II. Cornelius hunc imperatorem summa laude effert „quod uno eodemque die pari fortuna terra et mari ad Mycalen esset usus“ haudquaquam curans, quae

Thucydides ſcripſit I, 100.: Ἐγένετο δὲ μετὰ ταῦτα καὶ ἡ ἐπ' Εὐρυμέδοντι ποταμῷ ἐν Παμφυλίᾳ πεζομαχία καὶ ναυμαχία Ἀθηναίων καὶ τῶν ξυμμάχων πρὸς Μήδους, καὶ ἐνίκων τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἀμφότερα οἱ Ἀθηναῖοι Κίμωνος στρατηγοῦντος. Quae quum ita ſint, non eſt, quod dubitemus, quin idem ille auctor, qui Thucydidis fidem modo tanti habebat, ut huic ſoli credendum putaret, modo tanti, ut ne hiſtoriam quidem ſatis ſinceram ſervaret, neque de ſumma hac inſolentia ſe excuſandum ducebat, non eſt, inquam, quod dubitemus, quin hic auctor, quae Thucydides a Themiſtocle cum Admeti filio facta eſſe narrat, cum filia peracta tradiderit. Eamdem ob cauſſam de illo hoſpitio, quo iunctum fuiſſe Admeto Themiſtoclem Cornelius refert, quamquam Thucydidis illum regem οὐ φίλον Themiſtocli vocat (qua de re cf. Staveren, aliosque interpretes illius loci) non anxie quaerendum eſſe cenſeo. Nam vereor, ne Cornelius in omni hac enarratione perſequenda ſaepius memoria ſit lapſus, atque omnino illam rem hac de hoſpitio fabula peſſumdederit. Neque tamen, ſi quis haec Cornelii verba vera habere voluerit, Thucydidi omnino non reddi poſſunt congrua. Hoſpites interdum fuiſſe hoſtes et adverſarios, Timoleontis vita probatur. Ex his omnibus patet, ut ut haec res ſit, Cornelium, dum graeca in latinam verteret linguam, ſibique munus Thucydidem, qui ſumma ei erat auctoritate, ſequendi iniungeret, verumtamen tantum ab illo aberraret, ut paſſim prorſus videatur contraria referre, neque hac de traditionis diverſitate ſe excuſandum, graecique auctoris gravitatem paucis refellendam putaret, parum ſibi conſtitiſſe, ita quidem, ut hanc Schlegelii ſententiam, „Cornelium librum conſcripſiſſe non tam in nobiliorum eorumque paucorum gratiam, qui ipſi inter graecos vixiſſent et optimos eorum ſcriptores lectitarent et in deliciis haberent, quam in plerorumque civium ſuorum, qui graecas res vel plane ignorarent, vel leviter tantum tractaſſent" ita explicandam cenſeam, ut ſub illis plerisque civibus, nonniſi pueros intelligere poſſim. Utrum vero Cornelius ille Ciceronis ἄμβροτος tale munus puerile ſuſcipere potuerit nec ne, alio loco expoſiturus ſum. Haec hactenus.

XVI.

COMMENTATIO
DE
NOTIONE SERVITVTIS APVD ARISTOTELEM.

Ad Orationem

Qua

Profeſſoris Philoſophiae Extraordinarii

munus ſibi demandatum

die I Decembr. hor. XI

in auditorio academico publice auſpicabitur

audiendam invitat

CAROLVS GVILIELMVS GOETTLING

PHILOSOPHIAE DOCTOR, SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SODALIS.

Temporis quadam ſocordia factum eſſe videtur, ut, quum e philoſophis graecis Plato interpretes atque ſectatores nactus ſit ſatis multos, in ſcriniis delitescat Ariſtoteles. Nempe ieiunus iſte appellatur nec ſatis aptus ſeculi ingenio, quod quo quaeque elegantius dicta ſunt, eo facilius amplecti ſolet et apium morem ita ſequi videtur, ut, pratis poëtarum deguſtatis, iterum iterumque revertatur ad flores modo exſuctos, quercus autem et fagos — cui enim iſtae bono? — evitet, ne dicam inſuper habeat. Propenſior in Ariſtotelis doctrinam et placita Germania erat, quum Otto Friſingenſis, nobilis medii aevi ſcriptor, primum exemplar Stagiritae, cuius amorem Petrus Abelardus in Ottone accendiſſe videtur (cfr. Otto Friſ. de geſt. Frid. I, 47.), in patriam ſecum tuliſſet. At quum animum advertis, quanto illa aetas gravior in omni vita ac cultu, mirum non amplius videbitur, cur

nostrates nunc fere ab hoc philosopho abstineant. Factum id est prae ceteris de Aristotelis qui agunt de doctrina politica libris, aureis illis, quos nescio utrum a dignitate ac severitate orationis, an ab ingenii magnitudine et rerum copia magis dicam commendatos. Nam nos quidem per hortos platonicae Politiae errantes peregrinantesque, imo ad instar Socratis aristophanei per aërem ambulantes quasi domum deduxit Aristoteles, ut possemus aliquando, quid statuendum de veterum rebus publicis esset, intelligere. Enimvero quum Plato nos per iucundas quasdam ambages quasi coelum versus et in speciei immensum campum duxisset, pedestri suo ac gravi sermone id effecit Aristoteles, ut humo nos affigeret, sed nostrae, sed patriae. Ille poëtam philosophum se nobis praebuit, Stagirita historicum. Quocirca, quum rempublicam platonicam viderem diligentius philologicis litteris explicatam, quaesivi, quid sit, cur Aristotelis Politiam praeter philologos fugiant etiam historici. Praecipue arduum quoddam et grave scribendi genus id fecisse videtur. Accedit, quod cum omnia Aristotelis scripta, tum inprimis politica inde a tempore Apelliconis insigni quadam clade laborare dicuntur, cui ex parte tandem Heinsii paraphrasis medelam scilicet admoverit, ut novus Aristoteles, quasi alter Phoenix, ex cineribus emerserit. Sed nondum ille Coam hanc Venerem absolvit. Nempe quae breviter, at nervose, Aristoteles, ea latinis ambagibus non circumscripsit, sed adeo splendidis pannis et vibrantibus sententiolis involvit Daniel Heinsius, ut garrulum quendam Sophistam, non Peripateticorum principem legere tibi videare. Profecisse — si proficere hoc dici potest — ex paraphrasi videntur Roussavius (du contrat social I, 2.), Gravius, Schlosserus alii, quibus turba philosophorum deinde se ita adiunxit, ut, quum de iure naturae sermocinabantur — in quo considerando plerumque in contrarias sententias animi distrahuntur — quasi certamine instituto Aristotelem incusare solerent, statuisse eum, infimae conditionis servos (quod submissum et abiectum hominum genus apud Graecos vere obtinuisse videmus) a natura ipsa concedi, ut ceteri vitam, quae humana mente non sit indigna, agere possint. Nempe qui filiam Hermiae, servi ter venditi, Atarnae posthac praefecti, in matrimonium duxit et cum ipso hoc servo vixit amicissime, num eum humiliter de servis propter servitutem sensisse putabimus? 1) Quod tantum

1) Huius rei si probe meminisset *Krugius* in scribenda commentatione: *de Aristotele servitutis defensore*, non ea iniunxisset Aristoteli, quae nunquam ab eo dicta sunt. Cf. *Fries: Beyträge zur Gesch. d. Philosophie* I. p. 117.

abest, ut ex decretis Aristotelis consequatur, ut maxime etiam iis repugnet. Neque vero curassemus id genus reprehensores, qui ad quamcunque sententiam sunt velut tempestate quadam deiecti, ad eam tamquam ad scopulum polyporum instar adhaerescunt, nisi ab eorum parte Historicus quidam stetisset clarissimus, qui, quo maioribus principia rerum sunt obducta difficultatibus, hoc lubentius in ea solet ita inquirere, ut in Cimmeriorum adeo caligine illustranda elaboret. Quo magis miramur, eum quasi de consulto clarissimis his rebus, de quibus loquimur, tenebras suas offudisse. Ex ipsis enim philosophi fontibus haurire debebat, non rivulos Heinsianos consectari, qui reprehendere Aristotelem volebat.

Exponamus igitur generatim, quae sit sententia Aristotelis de civitate et deiis, qui civitatis iure fruuntur. In Ethicis ad Nicomachum explanatum erat: vitam beatam eam esse, qua, quin ad virtutem aspiret, nemo impediatur (τὸν εὐδαίμονα βίον εἶναι τὸν κατ' ἀρετὴν ἀνεμπόδιστον); in politicis, non posse hominem hunc finem assequi nisi in civitate: igitur aut Deum aut beluam esse, qui civitatem non participet, demonstratur. (πολιτικὸν ζῶον ὁ ἄνθρωπος· ὁ μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν ἢ μηδὲν δεόμενος δι' αὐτάρκειαν, οὐδὲν μέρος πόλεως· ὥστε ἢ θηρίον ἢ θεός. I, 1, 12.)

I. Civitas est consociatio (κοινωνία) quae plurimum utilitatis (ἀγαθοῦ) in omnes eos confert, qui hac societate inter se coniunguntur.

II. Elementa domus (οἰκίας) primum constituunt vir ac femina, qui naturali quodam vinculo (οὐκ ἐκ προαιρέσεως) inter se coniunguntur. Proxima colligatio eorum est, qui se adiungunt iis, qui a natura ipsa sic sunt informati, ut mente ac iudicio praepolleant (τὸ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾶν). Hi dicuntur dominantes natura (τὸ ἄρχον φύσει); illi, quod corporis sui vires pro sua ipsorum salute ex pacto (igitur ἐκ προαιρέσεως) tradunt aliis, servientes natura (τὸ ἀρχόμενον φύσει καὶ δοῦλον).

III. Ex hac domo, tanquam seminario reipublicae, primum pagus (κώμη), deinde, quum plures pagi arctissime colligantur, civitas oritur (ἡ ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος, πόλις). Sed natura prior erat civitatis notio, quam domus et pagi, quod partes tolluntur, si totum sustuleris.

IV. Finis civitatis est ἡ αὐτάρκεια, qua quas vires cuique natura tribuit, his ita uti quisque potest, ut, quicquid sine detrimento civitatis possit commodari, id assequatur.

V. Vires autem illae sunt diversae. Nam alios ita formavit natura, ut rationis praestantia seu prudentia (φρονήσει), alios ut corporis facultatibus (σώματι) excellant. Servus igitur is est, qui corporis vires et facultates suas alii locat (ὅσοι μὲν

οὖν τοσοῦτον διεστᾶσιν, ὅσον ψυχὴ σώματος — οὗτοι μέν εἰσι φύσει δοῦλοι· ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος ὁ δυνάμενος ἄλλου εἶναι καὶ κοινωνῶν λόγου τοσοῦτον, ὅσον αἰσθάνεσθαι, ἀλλὰ μὴ ἔχειν). Ita cui tandem cunque se quisquam dedidit, eius pars est, (μόριον, κτῆμα. I, 3.)

VI. Ergo servi non possunt esse *lege* (κατὰ νόμον) sed *natura* (κατὰ φύσιν) debent. Qui contra argumentantur specie tantum veritatis (κατὰ τρόπον τινά) a) ratiocinari videntur. Male haec vulgo inde ab Heinsio intelligebantur; quasi Aristoteles unquam dixisset: neque illos secus existimare, qui contra autument. Quod nec philosophum, neque omnino Aristotelem deceret, qui nusquam primarias notiones in hunc modum ultro citroque vertere solet. Sed in errorem inducti sunt verbis, si Diis placet, Aristotelis, quae infra sequuntur: ὅτι μὲν οὖν ἔχει τινὰ λόγον ἡ ἀμφισβήτησις καὶ οὐκ εἰσὶν οἱ μὲν φύσει δοῦλοι, οἱ δὲ ἐλεύθεροι, δῆλον (I, 2, 19.). Quas ineptias miror a Schneidero non correctas, quum Camotiana καὶ εἰσὶ καὶ οὐκ εἰσὶ praebeat et quasi viam emendationi monstret. Lege fidenter: ὅτι μὲν οὐκ ἔχει τινὰ λόγον ἡ ἀμφισβήτησις καὶ εἰσὶν οἱ μὲν φύσει δοῦλοι, οἱ δὲ ἐλεύθεροι, δῆλον.

VII. Sicut architectus in exstruenda domo operariis utitur et administris tanquam instrumentis: ita domus non facile sine servis administrari potest. Atque quid praestari debeat a servis hoc fere modo ab Aristotele definitur.

Quoniam non vivitur nisi rebus comparatis, quae ad vitam tuendam pertinent (τῇ κτήσει), ante omnia ei, qui familiae cuidam praepositus est, videndum, quomodo eas res adipiscatur. Hoc ab eo fit οἰκονομικῶς i. e. prospiciendo et administrando. Jam vero quaeritur, utrum quem quaestum (τὴν χρηματιστικήν) dicimus, sit novum quoddam genus et plane ab hac re domestica diversum, an huic subiecta pars: πότερον δὲ μέρος αὐτῆς (τῆς οἰκονομικῆς) ἐστί τι ἢ ἕτερον εἶδος, ἔχει διαμφισβήτησιν. εἰ γάρ ἐστι τοῦ χρηματιστικοῦ θεωρῆσαι, πόθεν χρήματα καὶ κτῆσις ἔσται, ἡ δὲ κτῆσις πολλὰ περιείληφε μέρη καὶ ὁ πλοῦτος· ὥστε πρῶτον ἡ γεωργικὴ πότερον μέρος τι τῆς χρηματιστικῆς ἢ ἕτερόν τι γένος καὶ καθόλου ἡ περὶ τὴν τροφὴν ἐπιμέλεια καὶ κτῆσις (I, 3, 2.). Haec male inter se cohaerent, quod recte sensit Schneiderus, nihil tamen mutavit. Lege nobiscum: εἰ γάρ ἐστι τοῦ χρηματιστικοῦ θεωρῆσαι, πόθεν χρήματα καὶ κτῆσις ἔσται, ἡ δὲ κτῆσις πολλὰ περιείληφε μέρη καὶ ὁ πλοῦτος· γνωστέον (cf. cap. 4. init. ἐπεὶ δὲ τὰ πρὸς τὴν γνῶσιν διωρίκαμεν ἱκανῶς) πρῶτον ἡ γεωργικὴ πότερον κ. τ. λ. *Si is, cui res*

---

a) In iis, quae proxime sequuntur I, 2, 16 legendum esse: ἔστι γάρ τις καὶ κατὰ νόμον δοῦλος ὁ δουλεύων, ex sententia Aristotelis patet.

quaestuaria administratur ante omnia res ad vivendum necessarias procurare debet, quae sunt multifariae: videndum primum, num agricultura sit pars rei quaestuariae. Quae deinceps sequuntur, rem ita exponunt: imposita heris esto ἡ οἰκονομική, servis pars quaedam τῆς χρηματιστικῆς, quae quidem ipsa est pars rei domesticae subiecta, sed non circa nummos versatur; pecunias enim exaggerare indignum est cive 3); feminis vero conservatio rerum ad victum cultumque necessariarum (τοῦ μὲν ἀνδρὸς κτᾶσθαι, τῆς δὲ γυναικὸς φυλάττειν ἔργον ἐστίν. III, 2.)

VIII. Sed distinguendi sunt *servi* a *civibus*. Possunt quidem in ius vocare et vocari qui servi dicuntur (δίκην ὑπέχειν καὶ δικάζεσθαι), sed nec iudicium (κρίσις) nec magistratus (ἀρχή) iis committuntur, quae civibus (πολίταις) tantum curae sunt (πολίτης ἐστὶν, ᾧ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς ἢ κριτικῆς III, 1.). Itaque nec feminae neque servi cives esse possunt, siquidem prudentia, fortitudine et iustitia opus est in muneribus publicis administrandis.

Quae quum de civitate eiusque civibus generatim docuisset Aristoteles ad examinandas eas civitates perrexit, quae totius antiquitatis nobilissimae sunt. In

3) Hoc me admonet loci Ciceroniani de offic. II, 16. ubi sententia quaedam Aristotelis de sumptu et divitiis memoratur quae in scriptis eius hodie nusquam occurrit. Totus iste locus: *Quanto Aristoteles gravius — probari posse nullo modo* ad Theophrastum potius quam ad Aristotelem pertinet, cuius nomen a lectore quodam margini additum esse videtur, ut Theophrasti enunciatum de pecuniarum effusionibus illo Aristotelis placito stabiliret, quod in Politicis saepius explanatum est. (I, 6.). Igitur verba: *Quanto gravius et verius* de Theophrasto sunt intelligenda, qui a Cicerone reprehenditur, quod magnificentiam et apparationem populariun munerum (quae sunt theatra, porticus, nova templa cetera quae durant) laudibus prosequutus sit, sed laudatur, quod pecuniarum effusiones, quae sunt ad multitudinem deleniendam (commessationes puta, ludos, cetera quae cito transeunt) reprehenderit. *Aristonis* quidem nomen abhorret a loco Ciceronis, sed prorsus alienum est *Aristotelis*. Non enim illa verba, quae apud Ciceronem leguntur eius esse possunt, qui in Politicis (VI, 7.) de oligarchia sermocinatus haec disseruit: Ἔτι δὲ καὶ ταῖς ἀρχαῖς ταῖς κυριωτάταις, ἃς δεῖ τοὺς ἐν τῇ πολιτείᾳ κατέχειν, δεῖ προσκεῖσθαι λειτουργίας, ἵν' ἑκὼν ὁ δῆμος μὴ μετέχῃ καὶ συγγνώμην ἔχῃ τοῖς ἄρχουσιν, ὡς μισθὸν πολὺν διδοῦσι τῆς ἀρχῆς. Ἁρμόττει δὲ θυσίας τε εἰσιόντας ποιεῖσθαι μεγαλοπρεπεῖς καὶ κατασκευάζειν τι τῶν κοινῶν, ἵνα τῶν περὶ τὰς ἑστιάσεις μετέχων ὁ δῆμος καὶ τὴν πόλιν ὁρῶν κοσμουμένην τὰ μὲν ἀναθήμασι τὰ δὲ οἰκοδομήμασιν, ἄσμενος ὁρᾷ μένουσαν τὴν πολιτείαν· συμβήσεται δὲ τοῖς γνωρίμοις εἶναι μνημεῖα τῆς δαπάνης.

quibus considerandis duplicem finem spectavit, unum, ut cum notione reipublicae, quam ipse mente concepisset, has compararet, alterum ut ex sensu ipsius populi, qui ius civile sibi constituisset, quid recte edictum quid secus esset diiudicaret. Sic quae de Thessaliae penestis, de helotia Lacedaemoniorum disseruit intelligenda sunt; sic laudatio Cretensium capienda, qui perioecis aditum ad gymnasia publica intercludebant eosque omni armorum usu prohibebant; sic ea tandem, quae de oligarchia ac tyrannide praecepit.

Patet inde, Aristotelem nullo modo esse eum, qui dixerit, servum (vernam) esse natura eum, qui patrem servum habuerit; quae esset servitus *κατὰ νόμον*, qualis apud Graecos vere obtinebat; sed inter hominem et beluam hoc maxime discriminis intercedere ait, quod haec tantum ad ea quae sub sensus cadant, quae praesentia sint et in promptu, rapiatur, ille vero praeter sensum rationis sit particeps, per quam etiam quae consequantur cernat et ad vitae societatem optime conformandam impellatur. Hoc studium, hanc curam animum eius exsuscitare et promptum facere ad res gerendas. Unde fieri, ut nemo facile se regi patiatur, nisi ab eo qui prudentior a natura sit informatus, qui praecipiendo imperet ac docendo, nihil vero perpetret, quod libidinose factum et effeminate quisquam dixerit. His ex pacto, unde mutua officia, quasi administros se adiungere eos, qui minori a natura instructi sint prudentia. Igitur servi Aristotelis a clientibus Romanorum eo differunt, quod hi quidem cum omni prosapia civi cuidam patrono annexi sunt (V. Niebuhr. Hist. Rom. I. p. 391.), illi contra propter quandam ingenii et mentis infirmitatem patronis ita annectuntur, ut ipsos inter et inquilinos (*μετοίκους*) Atheniensium nihil prorsus intersit, eorum tamen prosapia, si ingenio ac mente praepolleat, civitate confestim perfruatur. Sed toto coelo differunt ab Helotis Laedaemoniorum, penestis Thessalorum et perioecis Cretensium. In Aristotelis enim republica nec Epictetus nec Spartacus neque Aesopus adeo servi fuissent, quod, quicunque vel honestate (*σωφροσύνῃ*), fortitudine (*ἀνδρίᾳ*) vel iustitia (*δικαιοσύνῃ*) ornatus est, par habendus est libero. Non enim fortuna, sed virtute cives suos metitur Aristoteles, qui Platonis in hac re exemplum sequutus esse videtur. Tertius enim hominum ordo, quem Plato in Politia sua finxit plane respondet servis aristoteleis. Quorum neutri quidem ipsi cives esse possunt, sed aditus ad secundum et primum ordinem — qui sunt civium — filiis patet, si qui ingenii et morum praestantia excellunt. Ita, vice versa, qui a parentibus degeneraverint civium filii exemptione

statim mulctantur. Neque aliter Pythagoraeos sensisse existimo, quorum placita nunc longius persequi non vocat.

Quo magis mirere, exstitisse hac nostra aetate virum quendam doctissimum [4]), qui veterum scilicet philosophorum iudicio, tanquam clipeo, nixus, imaginem pulcherrimam servitutis, qualem apud veteres obtinuisse novimus, depingeret, cui si nostri operarii non inviderent mirum sane esset. Sic enim ille servitutem germanicis litteris prosequutus est, nihil ut iisdem de rebus tyrannus aliquis antiquitatis desiderasset. Et quibus tandem rebus privantur servi isti? Nonne tribuuntur, quae sunt omnium communia? Nempe *non prohibentur aqua profluente, capiunt ab igne ignem, si qui velint*, et sortis clementia multo praestant exulantibus. Quin etiam si quis est ad philosophiam aut virtutem propensior ita hanc exercere potest, ut ab antiqua Stoicorum vel Cynicorum disciplina non abhorreat. Cuius rei exemplum multus est in ore Hugonis Epictetus. Sed in hoc non tam servitutis lenitatem quam humanae naturae praestantiam admirere, cuius hoc dictum circumfertur: *Servus ego sum, membra fractus, inopiâ alter Irus: nihilo tamen minus Dii mihi propitii sunt!* Adeo non poterat a servitute infringi animi eius magnitudo. At, qui factum sit, ut Stoici alicuius exemplo ad excusandam servitutem Hugo abuteretur, plane non exputo, quum Stoici praesertim ii fuerint, qui, secundum placita sua de deo domestico (τῷ ἔνδον θεῷ), miserorum servorum caussam tanquam patroni susciperent et, ut Senecae verbis utar, hominem sacram esse rem et ipsius naturae manibus effectum delubrum cuius inhabitantem Deum pio animo colendum esse, dicerent. Magis pro re Hugonis est, quem ipse etiam magni et clari in servitute viri instar proposuit, castus ille Iosephus, Potipharis servus, quo nescio an incestius ac turpius monstrum terra nunquam tulerit. Huic enim adeo arridebat servitus, ut non solum Aegyptios omnes servos faceret sed etiam universum populum, cuius ipse erat pars, in hanc eandem servitutem pelliceret.

Sed repudiasset vir doctissimus illam sententiam, quam auctoritate recentiorum quorundam philosophorum sibi imponi passus est, si paullo accuratius ipse examinasset Aristotelis de servitute placita. Maior enim rationi, si vel maxime apud unum reperiatur tribuenda auctoritas, quam opinionibus, quamvis sint speciosae, doctae philosophorum turbae.

---

4) Hugonem in: *Lehrbuch des Naturrechts*, §. 141. sq.

Sit iam huius loci finis. Veniendum enim eſt ad id, quod huius ſcriptionis opportunitatem nobis fecit. Nempe quod a Sereniſſimis Academiae nutritoribus profeſſorium munus nobis demandatum eſt, ex more inſtituto oratione publica Cal. Decembr. hor. XI. auſpicabimur. Cui ut ILLUSTRISSIMUS ACADEMIAE CURATOR, MAGNIFICUS ACADEMIAE PRORECTOR, PATRES ACADEMIAE VENERANDI, PROFESSORES ILLUSTRES, EXCELLENTISSIMI, COMMILITONES ORNATISSIMI benevolo animo intereſſe velint etiam atque etiam rogamus.

XVII.

CAROLI GVILIELMI GOETTLINGII

PHILOSOPHIAE PROF. EXTRAORD.

ORATIO ADITIALIS

DE ARISTOCRATIA VETERVM.

MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR,
DECANE MAXIME SPECTABILIS,
PATRES ACADEMIAE VENERANDI,
PROFESSORES ILLVSTRES, EXCELLENTISSIMI,
COMMILITONES SVAVISSIMI,
AVDITORES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI!

Apolloniatis in more positum erat, ut publicum munus capessere nemo posset, nisi qui iteratis perorationibus coram omni populo habitis, se et cogitare posse et cogitata sua eloqui, civibus suis probavisset. Sed mirum, Apolloniatas hoc instituto id effecisse, ut nemo clarus orator apud eos reperiretur, quod nescio, utrum nimio rei studio, unde cogitationibus detrahebatur, quod loquacitati impendebant, an propterea factum sit, quod in tanta praeclarorum oratorum copia difficillimum erat excellere. Sed, utut res se habeat, certe Apolloniatae eloquentiam a se amari et a magistratibus flagitari posteritati probaverunt. Verum quum omnino duo sint genera eloquentiae, unum quod in verborum specie ac splendore, alterum quod in rerum et argumentorum copia versatur, quibus ad finem aliquem, inprimis politicum gnaviter, persequendum, quasi rapiuntur auditores: Apolloniatae inprimis illi eloquentiae generi operam dedisse videntur, unde fortasse multos disertos, sed neminem eloquentem nanciscerentur. Quocirca sapientius a serenissimis huius aca-

demiae nutritoribus nuper institutum, ut, cui professorium munus apud Vos demandatum fuerit, oratione publica id auspicari debeat: sapientius inquam, quod haec lex non omnibus magistratibus, sed iis tantum viris imposita est, a quibus si non eloquentiam at certe elocutionem exspectaveris. Deploranda enim esset academia, elinguibus stipata professoribus. Ego vero, cui a Serenissimorum academiae nutritorum gratia tale munus demandatum erat, verebar primo, ne Apolloniatam civem sermocinando me Vobis praeberem: adeo summa doctorum auctoritas, qui in hac litterarum universitate omnes disciplinas scientia sua augent vim in me suam exseruit: subinde tamen animo sumpto ad rem me accinxi et eo lubentius me accinxi, quum mihi de Aristocratia ex placitis Thucydidis, Platonis et Aristotelis verbo facturo novo academiae institutorum ac legum constitutio quasi omen praefulgeret. Itaque hoc omen accepi.

Quanta in bonis litteris et artibus liberalibus Graecia perfecerit, quot doctrinae specimina, quot praeclarae poëseos documenta ediderit, in promptu est, nec me praecone in his rebus eget Graecia, neque egebit quoquam. Saepe tamen mirari subiit, qui factum sit, ut ea gens, quae tantum in litteris praestiterit et artibus, ut non solum Romanos ubique et antiquitatem superaverit, sed etiam omni posteritati tantum antecedat, quantum a terra coelum distat, tristissimum in civitatum ac rerum publicarum statu adspectum praebeat. Non ego de patriae amore loquor, non de fortiter strenueque factis, quibus nulli genti facile cedat Graecia, sed de communi et universa patriae coniunctione, qua tantum abest, ut Graecia unquam fruita sit, ut potius nihil nisi conatus ceperit et prima posuerit initia. In eo quidem omnes Graeci consentiebant, abhorrendum sibi esse a barbarorum infantia, qui unius hominis arbitrio ita parebant, ut, si vel maxime a quoquam tyrannus aliquis intefectus esset, non tyrannidem, sed tyrannos solum commutavisse viderentur. Abonimabantur illum languorem, torpedinem illam, quae plerumque tyrannidem comitari solet et, iuvenili quodam fervore acti, in sua ipsorum viscera saevire malebant, quam rectam et indomitam cervicem regi alicui submittere. Nempe, quod Ennius dicit: nulla sancta societas nec fides regni est, Graecorum fuisse persuasionem non est quod multis demonstremus. Luculento id exemplo Romanis declaravit illius temeritas, qui, ut Ciceronis verbis utar, omnia iura divina et humana pervertit propter eum, quem ipse sibi opinionis errore finxerat, principatum. Ita quam imaginem Stoicorum doctrina in singulis hominibus, eandem in singulis civitatibus Graecia nobis repraesentare videtur. Doriensium ani-

mus magis in oligarchiam, ionicae gentis in democratiam ita inclinabat, ut belli peloponnesiaci initia praecipue in hoc graecarum nationum discrimine quaerenda sint. Poterant quidem perpetuis bellis supersedere, si universae et coniunctae patriae consociatione tanquam libertatis propugnaculo usi essent: poterant Romanorum exercitus longe a finibus patriae propulsare, si, quibus fortitudine non cedebant, his non cessissent prudentia et concordia civili. Ac vestigia quidem eiusmodi coniunctionis in Graecorum historia sane reperias et operae petium fecerit, si quis in ea diligentius inquirat. Achaicum foedus dico. Hoc enim principia iam inde a temporibus belli Troiani ducere argumentis et sat firmis iis demonstrari potest. Hinc Achaeorum nomen pro universae gentis nomine; hinc Graecorum communis coniunctio ad iniuriam, quae principi cuidam a barbaro iuvene illata erat, propulsandam inita. Nempe qui iniurias contumeliasque cuiquam imposuerat, is quasi sacrilegas manus afferre socio videbatur. Ita qui non defendisset nec incursum repressisset quasi fratres et patriam ille deseruisset. Cuius foederis, facti quidem primis Graeciae temporibus a regibus, a quibus facilius societas quaedam coerceri posse videtur, maxima tamen vis et laus erat, quum a democraticis civitatibus feriebatur; et mirum sane, desiisse Graeciae libertatem cum eo foedere, quod graecae historiae — si historicum appellare Homerum fas est — principium esse diximus.

In tanta rerum civilium turba, qua, ut in undoso mari, omnis Graecia iactabatur, quin multi Graecorum de stabili quadam rerumpublicarum conditione cogitarent fieri sane non potuit. Unde factum est, ut nulla facile gens plura ingenii monumenta, quae de re politica agant, reliquerit, quam Graeci. Quid! quod ne Diogenes quidem a condenda quadam politia abstinuit. Nemo autem de veterum Graecorum politica ratione distinctius et verius loquutus est, quam Thucydides Plato et Aristoteles, de quibus sermo nobis erit. Ut a Thucydide ordiamur, non ille quidem singulari commentatione politicam suam persuasionem coaevis aperuit, sed in opere suo historico quasi testamento ita consignavit, ut, qui attente legerit, ex singulis decretis quasi imaginem adumbrare sibi possit. Itaque secundum Thucydidem apud Graecos iustitiae fruendae caussa olim bene morati reges constituti sunt. Confugiebant enim ad unum aliquem, qui et fortitudine et civili virtute praestaret, ut iniuria prohiberet tenuiores et eos qui maioribus pollebant opibus pari iure coerceret. Huic certa praemia seu dona aequitatis constituendae offerri solebant. Haec sunt τὰ ῥητὰ γέρατα Thucydidis, a quibus non differunt θέμιστες homericae. Facto igitur pacto ius aequum quaesitum est. Id si ab uno viro, iusto eo

ac bono, consequebantur, huius arbitrio contenti erant. Verum ubi id parum contingebant, inventae leges sunt, quae pari iure omnes tenerent. Imperio autem fungi non potest, nisi qui ad parem prudentiam et fortitudinem natus est et a natura formatus. Ita, quo plures in quoque populo digni hoc munere reperiuntur, hoc nobilior et praestantior erit populus. Si unus tantum reperiatur, rex iste creator; nunquam vero cuncta gens imperio fungitor. Itaque *optimi* funguntur imperio, aut, si plures non adsint, *optimus*, ὁ ἄριστος. Haec est Thucydidis aristocratia. Sed nunquam in omni historia inventa est civitas de qua dici possit, vere optimos semper in ea tenuisse imperium; itaque quasi speciei instar (hoc vocabulo ciceroniano pro idea platonica uti nobis licebit) speciei inquam civitatis instar Aristocratia (σωφροσύνη) est Thucydidi, neque tantopere ideo abhorret a democratia, quam quidam existimaverunt. Nam, ut Alcibiades ait apud Thucydidem: democratia est quicquid adversatur dominationi. A dominatione vero vehementer animo abhorruit Thucydides. Rem singulis exemplis demonstrabimus. Thucydides, qui Periclem, ut vere aevi sui optimum ubique prosequntus est, de Cleone Cleaeneti filio, qui locum eius indignus ita occupaverat, ut pro consule, προστάτῃ, rei publicae demagogus quidam non moderaretur civitatem, sed tyranni instar imperare ipsi videretur, longe sentiebat aliter. Pericles enim, qui omnem Graeciam, tanquam communem patriam, tanto amore amplectebatur, ut coniungendae eius et in unam societatem convocandae consilium in eo subnasceretur — quod impeditum est, ut Plutarchus ait, a Spartanorum malivolentia — unus Pericles in regundis Atheniensibus Thucydidi est summae moderationis et prudentiae exemplar. Nomine quidem erat democratia, sed vere penes optimum erat imperium: Ἐγίγνετο δὲ λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή. Qualis esset Atheniensium democratia coram civibus suis eloqui Pericles haud dubitavit. Nos Athenienses — ita Pericles thucydidius — ea utimur reipublicae administratione, quae nomine quidem democratia dicitur, quod non penes paucos est imperium, sed quod omnes pari iure tenemur, quod non paupertate cives metimur, sed dignitate et virtute. Quid vero de Cleone consignavit litteris? *Violentissimus erat et atrocissimus omnium civium.* Deinde: *quum apud Pylum rem feliciter gessisset, se sapere quidquam arbitrabatur.* Porro Aristogitonis et Harmodii facinus imprudenter factum (ἀλόγιστον τόλμαν) dicit, quod omnibus fere Atheniensibus praeclare factum et aeternis laudibus dignum visum est. Athenienses enim casui id debere noluit, quod civium concordia parandum erat. Sic de Cleone demagogo et de iis quae populariter facta esse Athe-

niensibus videbantur. Quid vero de Nicia? Bono quidem viro et forti sed nobilitati propterea dedito, quod per demagogorum turbam patriam non uno vento agitatum iri putabat seditionum et bellorum civilium? Niciae consilia non probantur Thucydidi. Nemo enim in omni antiquitate plus confidisse videtur praesensioni et scientiae rerum futurarum quam Nicias. Quod bellum ab eo susceptum sine consilio deorum est? Quae expeditio facta sine oraculo? Volatibus avium, ut certissimis signis declarari res futuras putabat. Quam ille persuasionem et nobilibus et sacerdotibus debebat. Contra sine ratione et scientia nihil posse in usum civitatis a quoquam fieri Thucydides docet, ideoque a sancta illa persuasione, quae Niciae perniciei erat, abstinendum esse. Colophonii Xenophanis et Anaxagorae Clazomenii iudicium sequutus funditus ille divinationem sustulit. Ita qui Cleoni non favit, favere noluit Niciae, quod nec a sufflatis fullonibus, nec a superstitiosis patriciis gubernari rempublicam volebat. Uni Pericli civitatis gubernaculum accomodatum esse credebat, quem diligebat populus, cui fidem habebat, quem cum admiratione dignum honore putabat. Nemini enim fides haberi solet, nisi quem plus sapere quam nos arbitramur, quemque, quum in discrimen ventum sit, exsolvere rem et explicare posse. Ita praepollebat his omnibus Periclis prudentia, ut tum demtum quum ille gubernaculum teneret vere secundum aristocratiae leges atticam civitatem rectam esse Thucydides crediderit.

Sequitur, ut de Platonis Aristocratia verba faciamus. Haec quantum ab eo civitatis genere distet, quod nostrum saeculum aristocratiam dicere solet, iam inde elucet, quod in Piraeeo non sine caussa omnis ista doctrina politica a Socrate exponitur. Nimirum populariores in Piraeeo erant homines quam in urbe Athenarum ipsa, quod Aristoteles in politicis his verbis testatur: Μᾶλλον δημοτικοὶ οἱ τὸν πειραιᾶ οἰκοῦντες τῶν τὸ ἄστυ. Sed magis etiam ex ipsa reipublicae descriptione elucet. Nempe, ut paucis rem expediamus, tres ordines in civitate sua constituit Plato: unum, qui est plebis, τοῦ βαναύσου γένους secundum Aristotelem, seu eorum, qui opificia et sordidas artes tractant. Fungitur his opificiis cuius mens ad eiusmodi res tractandas apta est: itaque mentis debilitate ac rationis ordo iste definitur. Qui sequitur ordo militum est. Hi publicam securitatem in pace vigiliis; in bello expeditionibus tuentur. Prohibentur commercio cum ceteris ordinibus; musica ad mansuetudinem, gymnastica ad fortitudinem et virtutem formantur. Uxores sicut liberi communes sunt, ut, quum nemo prosapiam suam dignoscere possit, omnes ut suos filios aut filias quisque habeat ametque. Tertius est magistratuum. Hi

ex optimis civibus eliguntur et inde a pueritia ita instituuntur, ut animo pariter et corpore exculto et duces et philosophi fiant. Ita qui sunt eruditissimi et fortissimi, civitatis gubernaculum tenent. Neque illi a multitudine eliguntur et creantur, nec multitudo quid de quaque re sentiat, consulenda iis est. Etenim qui ex errore imperitae multitudinis pendet, hic, ut aiunt, in magnis viris non est habendus. Similia quaedam de civitatis notione Pythagoram eiusque sectatores statuisse non sine caussa suspiceris. Id non solum loca quaedam veterum philosophorum innuere videntur, sed etiam illa narratio evincit, quae apud Polybium et Iamblichum est de omnibus Pythagoraeis per Italiam necatis. Interfecti enim sunt propterea, quod societatem quamdam politicam inter se iniisse dicebantur, qua potentiam omnem politicam ad philosophos Pythagoraeos transferre isti studebant. Neque aliter Plato statuit, cuius respublica mera est aristocratia philosophica; tamen impendio popularior Solonis republica, quae pecunia cives metitur. Quod probe intellexerunt Cyrenenses quum Platonem legislatorem peterent.

Reliquum est, ut de Aristotele dicamus. Cuius Politiam, quam ipse mente sibi finxerat, temporis iniuria deperditam esse et intercisam sane dolendum est. Sed etiamsi singulae leges huius reipublicae nos lateant: tamen cui reipublicae generi maxime ille faverit ex iudiciis quae de Platonis politia, de rebus publicis Carthaginensium, Lacedaemoniorum, Cretensium et Atheniensium tulit, satis potest intelligi. Nimirum Aristocratiae illud genus commendavit, quod litteris consignavit Plato, quod tanquam vitae summum finem proposuit Thucydides. Acriter quidem nec sine invidiae et obtrectationis suspicione Aristoteles placita quaedam Politiae platonicae insectatur, ut communionem uxorum et liberorum; nusquam tamen Aristocratiae summam perstrinxit vituperio; potius huius similem eum statuisse credibile est. Quod multis quidem argumentis demonstrari potest; nescio tamen an nulla re aptius et distinctius, quam iis, quae de tyrannide et oligarchia, de monarchia et aristocratia ab Aristotele decreta sunt. Tyrannis ab oligarchia non differt nisi numero imperantium, nec monarchia aliter ab aristocratia. Quid autem de oligarchia sentiat Aristoteles, satis hoc eo elucet, quod iusiurandum illud optimatium veterum: ἐγὼ δὲ τῷ δήμῳ κακόνους ἔσομαι καὶ βουλεύσω πᾶν ὅτι ἂν ἔχω κακόν: *ego vero plebem insectabor et quantum potero, malis afficiam*, acerbe vituperat. Hoc enim iureiurando naturalis quaedam indulgentia et benevolentia tollitur, qua homines inter se continentur. Tollitur omnis natura humana. Fuerunt bestiae, homines non dixeris, quibus primum huius iurisiurandi subnata notio est. Tamen

veteres oligarchicos hoc ſibi invicem dediſſe iusiurandum Ariſtoteles teſtatur. Quid de tyrannis ſentiat, ſatis hoc clarum eſt ex eius definitione tyranni. Τὸ μηδενὶ χαίρειν σεμνῷ ἢ ἐλευθέρῳ τυραννικόν· αὐτὸν γὰρ εἶναι ἀξιοῖ τοιοῦτον ὁ τύραννος. Sic unice Ariſtocratiam hominibus expetendam eſſe docet, qua ſecundum virtutem, non ſecundum divitias et ſtirpis nobilitatem magiſtratus mandantur et occipiuntur, qua qui iuſtitia, fortitudine, prudentia praeſtantiſſimus eſt, imperat praecipiendo.

Re itaque ſummi triumviri Thucydides, Plato et Ariſtoteles conſentiunt: diſſentire aliquantum ratione et modo poſſunt. Neque aliter omnem philoſophiam veterem ſtatuiſſe puto, ſi accuratius politices doctrinam examinemus. Ita recurrendum nobis eſt ad illud, unde exorſi ſumus. Haec illa eſt ariſtocratia, qua Graeciam omnem, bellis inteſtinis laceratam, coniungendam illi exiſtimaverunt. Hinc magnae diſcordiae, ſeditiones, peſtifera bella civilia diſſolvi poſſe videbantur, hinc uſu evenire, ut optimus quisque ſe totum traderet reipublicae, totamque eam ſic tueretur, ut et ſibi et omnibus conſuleret, mortemque potius oppeteret, quam patriam desereret.

Hanc veteris ariſtocratiae notionem inter et eam quam recentiores animo ſibi finxerunt, quantum interſit, pronum eſt videre. Etenim quae a recentioribus Ariſtocratia dicitur prorſus haec cum oligarchia veterum conſpirat. Primus videtur Rouſſavius fuiſſe, magnus ceteroquin vir et ingenii acie haud mediocri praeditus, qui ariſtocratiae notionem cum oligarchia ita confunderet, ut inde ab eo tempore, quo Galli novis rebus ſtudere coeperant, ariſtocraticus homo pro oligorchico omnibus eſſet. Sic quod nomen Graeci civis haud infimi putaviſſent, id falſis criminibus in odium aut invidiam vocabatur. Atque tales errorum nubes diſſipare ſi quid aliud eſt philologorum, ideoque ex re fore putavimus, ſi quid in hunc errorem, qui propemodum inveteravit, monuiſſemus.

Ac duo praecipue fuerunt, quae ad id me impulerunt. Primum res ipſa me monuit, quae ſatis digna eſſe videbatur notatione, deinde munus recens mihi demandatum quaſi hortabatur, ut, cuius reipublicae litterariae civis eſſem adſcriptus, huius reipublicae, quam aequiſſimo iure ſereniſſimi nutritores moderantur, laudes dicerem laudando veterem ariſtocratiam. Ita quum Vos, tantos viros et optimos, et ſi verbo ſatis odioſo venia ab Vobis conceditur, vere optimates in omnibus ſcientiis ac diſciplinis: quum Vos inquam, contemplabar, arduum primo viſum eſt, Vobis me contubernalem adiungere. Verum ſicut optimi cives, ut Plato auctor eſt, non ſolum bene adminiſtrando munus, quod a civibus ipſis demandatum eſt,

praestantiam suam ostendunt, sed etiam docendo ac ducendo excellunt: idem me quoque a Vobis, qua estis humanitate assecuturum esse mihi persuadebam. Neque praeterea is ego sum, qui nimia in aliorum virtutem verecundia se ipsum deserat et quibus laboribus sit ferendis prae nimia modestia omnino nesciat. Quod hominum genus exactu potius dignum esse quam admiratione sat scio.

Quod reliquum est, pro Serenissimorum academiae nutritorum salute vota facere et mos institutus et meus me animus compellit. Ut eorum exemplo, qui aristocratiae aristoteleae praesunt, totum corpus reipublicae nostrae litterariae, ut faciunt, porro curent, nec, quod Plato vetuit, partem aliquam tueantur, reliquas deserant, prae ceteris in votis nobis est. Vos autem, professores illustres, excellentissimi, qui quasi tertio ordine platonicae civitatis comprehendimini, qui doctrinae omni genere et scientiae laude floretis, ut favorem vestrum mihi conservetis etiam atque etiam rogo. Vos denique, commilitones suavissimi, ex quibus, tanquam ex secundo ordine platonico viri aliquando eligentur tertii aut summi ordinis, qui est optimorum civium, animum facilem atque benignum mihi praebete! Valete, favete!

XVIII.

IO. GODOFREDI GABLERI

THEOLOGIAE BACCALAVREI

DE

IOANNE REVCHLINO

LITERARVM IN GERMANIA RESTAVRATORE ET DE EIVS MAGNA VI IN PROVEHENDAM SACRORVM EMENDATIONEM

Oratio

in memoriam Augustanae confessionis

ex lege beneficii Lynckeriani

die XXX Maii hora X MDCCCXXI

in templo academico

habita.

Praefatio.

Saepenumero de nostri aevi nimia librorum ubertate quum animo meo cogitarem, sane quam indignabar, neque adeo interdum mihi temperare poteram, quin huic scribendi fervori, ne respublica literata quid detrimenti caperet, quodammodo moderandum esse arbitrarer. At nunc video me tum non eorum meminisse, qui, ut modo scriberent, et officio tenerentur et beneficio cogerentur. Quo maior nunc me suffundit rubor, cum iam idem mihi accidat, ut ex iisdem caussis aliquid scribere et, quod maius est, prima vice in medium proferre debeam. Quamvis autem, huius muneris, quod subeundum est, gravitate intellecta, non minus mihi eorum, quos amore mihi coniunctos esse laetor, quam eorum acrior, quibuscum nulla mihi notitia intercedit, metuenda sit sententia;

tamen beneficia in me collata, quibus summopere obstringor, maiora sunt quam ut scriptum, etiamsi ab aliis legatur, evulgandi voluntas mea tolli possit. Quamobrem omnes, quibus forte haec scriptiuncula in manus inciderit, iudices oro rogoque ut, dum legunt, simul beneficiis me provocatum excusent. Nec minus, orationem quod attinet, vehementer opto, ut ii mecum una consentiant, quod eam non, ut oratorum est, comtam atque ornatam, sed multo magis, quum de re historica scriberem, simplicem ac veram vellem. Rei autem, quam tractavi, argumentum, quum et provinciae mihi datae idoneum et recenti memoria dignum sit, etsi non novum est, renovari a me haud abs re visum est. At sunt forsan, qui res de Reuchlino a me enarratas vel eas tamen, quae graviores et minus cognitae videantur, notis additis et probatas et dilucidius illustratas esse a me velint. Recte quidem id postulant. Nam ut quisque in narranda historia, praesertim quam in medium fert, veritatis studiosus esse debet, ita maxime mihi ut veritatis studium, quod inter alios non liquet, etiam re ostendam summam imponi necessitatem video. Attamen vero, multis difficultatibus interiectis, ab hoc consilio, quod prius inieram, nunc destiti. Nam ut praeteream notis additis, quominus oratio expeditius legatur, cum maxime impediri, iam id, ne ipsa ob rerum copiam commentarius fieret, et propter orationis, quam solam scribere debeo, modum et propter alias plures caussas mihi metuendum erat. Quapropter modo ea, vera me proferre voluisse, animi intentione fretus, fontes librosque eos, quibus me non ex coelo sed ex certis testibus sententiam hausisse pateret, in huius oratiunculae fine addidi. Neque minus, cum hoc facerem, ea suberat caussa, ut, si forte aliquis maiorem Reuchlino operam dare vellet, necessarium librorum in promptu haberet indicem. Meum enim unicum hoc erat huius viri beneficia, quae memoratu dignissima viderentur, hac in dicendi opportunitate summis, quibus possem, laudibus efferre ac celebrare. Quibus praemissis sperans fore, ut non omnes dissentiant, lectorem, ut indulgentia et benigna voluntate mihi adsit, iterum iterumque oro atque obsecro. Neque tamen prorsus hac omni in spe conquiescerem, nisi haec mea oratio viro celeberrimo *Eichstadio*, cuius nomen omnes, quas ego quidem proferre possem, laudes superat, commentationis scribendae ansam praebuisset, qua, oratione mea indita, prioribus exercitationibus Antoninianis tertiam adiiceret. (Ienae, 1801.) Qua in decta commentatione et mihi et omnibus, qui legunt, maius, ut par est, datur solatium.

I. G. Gabler.

ORATIO.

Est haec a beato perillustri viro de Lyncker instituta et ad nos usque tradita consuetudo, ut omnes, qui illius stipendii beneficio ornati sunt, hunc in locum quotannis dicendi caussa progrediantur. Videtis igitur hodierno die a me non id agi ut orator, quem natura esse me noluit, sed, quod omni eloquentia multo maius est, ut gratus esse reperiar. Quanquam autem per se iucundum ac suave est, occasionem fieri, qua animus pietate plenus iis, quibus honoris et beneficii tribuendi caussa maxime obstrictus est, palam quoque gratiam persolvere possit; profecto tamen, ingenue fateor, et propter summorum virorum, qui adestis, auctoritatem et propter augustam huius loci sanctitatem tantus me pudor tenet tantaque verecundia, ut non minus officiorum, quae mihi demandata sunt, pondus et magnitudo, quam loci, ex quo orationem a me haberi voluistis, vis et maiestas qualis et quanta sit, si quando magis, nunc revera maxime sentiam atque intelligam. Qua re cum probe sciam, auditores doctissimi, me non eum esse qui et rerum gravitate vobis prosim et orationis suavitate vos delectem, veniam date quaeso mihi, ut liceat a vobis eam indulgentiam precari, qua illi viri, qui docent, discenti aures praebere solent. Cogitanti autem mihi, quomodo et officio meo et auribus vestris, quantum in me situm esset, quodammodo satisfacerem, nihil optatius atque iucundius videbatur ea lege a perillustri viro de Lyncker instituta, ut quisque illius praemiis ornatus in memoriam Augustanae confessionis verba faceret, et illius aevi homines ac res gestas, quibus post Christum natum in hominum memoria maiores nullo modo inveniri possunt, summis laudibus celebraret. Est enim illud sacrorum restitutionis Lutheri tempus, ubi lux resplenduit, rebus gravissimis tam impletum atque confertum, et luculentissimis fortissimisque virorum ingeniis tam insigne ac conspicuum ut, orationis initium etiamsi non ignores, finis tamen ubi sit frustra quaesiveris. Ex tanta vero celeberrimarum, quae a Luthero et postea gestae sunt, rerum copia ac multitudine expromere quid, de quo sermo fiat, cum haud quidquam facilius videatur; tamen cum propter nimiam, qua viri docti atque eruditi iam illud aevum perscrutati sunt, operam ac studium, tum propter latiorem, quam cum multis aliis teneo, de sacrorum restauratione sententiam, remotius quid, etsi hoc mihi proximum videtur, ad perorandum mihi hodierno die sumsi. Sunt enim, nec pauci sane sunt, qui opinentur Lutherum primum et unum fuisse, qui ex teterrimis tene-

bris uno ictu quasi primam scintillam elicuerit, et, densissima nocte uno fulmine disrupta, primam lucem evocaverit, ita, ut hanc flammam, hoc incendium non ab ipso solo Deo sed hominibus excitatum fuisse vix credideris. Longe vero aliter res se habet. Nam sicut quondam seditionis et turbulentorum illorum, qui ante hoc seculum apud Francogallos vehementissime conflati sunt, motuum fons et caussae minus in singulorum arrogantia et crudelitate quam in tota anterioris publici status conditione ac perversitate resederunt, et sicuti, ut ne pluribus exemplis utar, nostra Germanorum libertas nuper vindicata non solum, ut multi censent, ex Francogallorum clade atque infortunio sed multo magis ex vehementi ira atque odio, quod iam diu in Germanorum animis exarserat, et ex singulari populi nostri studio et laboribus saluberrimam originem duxit: sic quoque sententia illorum, qui theologicarum literarum ecclesiaeque restitutionem non a priorum seculorum diuturnis studiis molestisque laboribus, sed inde a Luthero solo, primam originem traxisse contenderint, illorum sententia, inquam, non dicam inepta certe tamen omni humanarum rerum naturae memoriaeque adversaria est ac prorsus contraria. Quot et quanti viri iam non multo post Gregorium VII Pontif. R. in multis terrarum locis et post renatas in Italia literas inprimis etiam in Germania exstiterunt, qui periculis subeundis et aerumnis tolerandis id modo efficiebant, ut Germanis, infima faece ac sordium colluvie abiecta, ad Lutheri, quam praetulit, facem aditus latius pateret. Quorum censum ut habeam cum nimium ac longum sit, unum tantummodo, cuius nomen hodie celebratum volo, celeberrimum virum Ioannem Reuchlinum in memoriam revoco. Neutiquam est quod de Lutheri, cui summus honos debetur, gloria ac splendore quid decerpam — quis enim negabit eum omnium maxime fuisse dignum cuius nomen summo iure inter homines principatum obtinuerit? — sed potius id a me effici volo ut celeberrimis, qui tum temporis vixerunt, viris cognitis eorumque studiis perspectis non solum ipsum Lutheri ingenium, quantopere reliquis antecelluerit, rectius veriusque cognoscamus, sed etiam eius ingentem, quam ad nostra tempora usque habuit et in aeternum habebit, vim et efficaciam eo magis admiremur et summis, quibus par est, laudibus ad sidera usque evehamus. Quodsi mihi concesseritis non dubito, quin etiam ad Reuchlinum, qui, cum Lutherus surgeret, paene consenuerat, libentissime una mecum oculos vestros animosque adtendatis. Neque tamen mihi in animo est totam huius viri vitam describere, quod si vellem, nescio an orationis modum excederem; sed ex plurimis unius huius viri

bene factis ac meritis modo ea me elegisse sufficiet, quibus evidentius appareat, quantum iam tum temporis cum ab aliis tum ab illo ipso Reuchlino ad Lutheri sacrorum emendationem et invehendam et augendam praestitum ac consulto quasi praeparatum sit. —

Ioannes Reuchlinus, ex illius aevi more graeco nomine Capnio vocatus, in Suevia ea Germaniae parte, quae ingeniorum ubertate praestantior etiam nostris temporibus homines bonae frugi, doctos homines, lumina sane procreavit, anno MCDLV Portae Hercyniae (Phorcae) natus est. Cuius ingenium atque indoles iam inde a tenera aetate et inter aequales et in densissimis, quibus tum Germania scatebat, tenebris ita emicuit, ut aetate paullo provectior Parisiorum universitatem, omnium literarum confluxum et caput, accedendi, quae data erat, opportunitatem lubentissime ardentissimeque arriperet. Ibi alicubive in Gallia nec minus in Italia summos, qui ex Graecia fugerant, doctissimosque viros praeceptores habuit, quorum vis, quanta etiam in Germania viguerit, ex uno Reuchlino sat superque demonstrari potest. Hic enim vir ab exteris terris in patriam redux, quem theologicarum illius aevi ineptiarum nimis taedebat, iurisconsultus, quum Germaniam tanta literarum inscitia atque obscuritate oppressam tantaque omnium disciplinarum inopia ac vanitate laborantem videret, gravissimum capiebat consilium eo elaborandi, ut non solum istum absurdissimarum abstrusarumque rerum squalorem a Germanis averteret, sed etiam iis, meliorum literarum studiis excitandis atque inflammandis, summa, qua posset, virium intentione hilariorem afferret lucem. Ac revera in sententia sua perstitit. Fuit enim Germanorum primus, qui solidiorem linguarum et latinae et graecae potissimum doctrinam in solem et pulverem produceret, primus, qui elegantiora artium literarumque optimarum studia exerceret, primus denique, qui novam discendi docendique rationem et novum quasi scholarum habendarum usum in Germaniam introduceret. Omnia haec studia et docendo et scribendo et variis modis divulgando prospere excitavit atque aluit. Vir ille autem egregius, qua erat mentis sagacitate ac perspicacia, non ignorans, purioris linguae latinae studio monachorum theologorumque istam barbariem facilius diminui atque abstergi posse, id constituit, ut Basileae non solum adolescentes, qui scholas eius summo cum applausu frequentabant, grammaticum accuratioremque latini sermonis usum doceret, sed etiam librum, ut facilior linguae latinae purioris discendae ratio esset, breviloquum nominatum in lucem ederet. Ipse enim, non dicam ornate atque

eleganter, tamen, si aevum illud et adolescentiam spectes, purius, et quod magis est, scienter ac perspicue scripsit et disseruit; neque tamen, ut ne nimium dicam, prae reliquis, ut Rudolpho Agricola, Erasmo, et aliis aequalibus excelluit. Quamobrem nonnulli Germaniae principes, si qua vel apud exteros vel in ipsis Germaniae aulis oratio habenda erat, illum natura oratorem disertissimum saepenumero eligebant. Facilem hanc dicendi rationem et in scriptis edendis et in graecis scriptoribus in latinum sermonem vertendis atque interpretandis per totam vitam retinuit. —.

Multo maiorem autem sublimioremque honorem ac famam eo consecutus est, quod primus Germanorum in Germania et in Gallia graecam linguam palam tradebat. In Francogallia enim Italiaque studiorum caussa commoratus, graecis scriptoribus, Herodoto, Xenophonte, Thucydide aliisque perlectis, et recentiorum, qui in Italiam transfugerant, Graecorum praeceptis auditis, id a se impetravit, ut ipse in Gallia et Germania Graecorum monumenta interpretari, et primus Germanorum artem graecae linguae grammaticam, „μικροπαιδειαν" nominatam, graece conscribere auderet. Inprimis autem, id quod tum temporis plurimum valebat, illum veterem Aristotelem, quem scholastici doctores in alium quendam nescio quem Pséudo-Aristotelem immutaverant, ex ipso fonte perlectum paene memoriter ad mortem usque tenebat, et, ubicunque loci temporisve opportunitas esset, adolescentium animis pectoribusque infundebat. Quapropter Hermonymus Graecus praeceptor, cum Reuchlinum Romae ex Thucydide aliquid tradentem audiret, exclamavit: „Eheu iam Graecia alpes transvolavit!" Et alius quispiam: „Tu es ille Capnio, in quo vetustus ille Pythagoras revixit, in quo Plato reviguit, et in quo Hieronymus resipuit!" Inde elucet, non sermonem graecum sed ipsos Graecos eorumque historiam et philosophica praecepta ut cognosceret, summopere nostrum studuisse. Accedit quod graecas literas ac figuras, unde propter librorum penuriam et sibi et aliis magnum lucrum faciebat, pulcherrime pingere callebat. Quae cum ita essent iam eo perventum erat, ut ipse harum linguarum peritissimus non solum ad graecos scriptores latiorem patefaceret aditum, sed etiam, quod inde oritur, elegantioris rariorisque eruditionis specimina ederet. Nam ille, reliqua ut omittam, ex ingenio poeta, veterum poetarum carmina et in latinum et, quod tum rarissime fieri solebat, in vernaculam transvertens ipse quoque carmina pepigit, et primus omnium Germanorum comoedias latinas et conscribere et, quod novum atque sane inauditum

erat, per adolescentes in scenam producere conatus est. Quo factum est, ut vir ille eximius, a quibusdam Germaniae Homerus et Ennius nominatus, cum multa alia nova atque insolita proderet, omnium oculis in eum conversis, lux Germaniae diceretur.

Cuius nominis honestatem ac celebritatem, de literarum studiis in Germania a se restauratis optime meritam, Reuchlinus hebraicae linguae novo atque inusitato studio ad fastigium usque sustulit. Etenim cum iurisconsultus noster de sacris literis, quas nimia sophistarum multitudine obrutas videbat, denuo renascendis et de theologicis studiis, quae propter fructuosius eloquentiae poetarumque studium neglecta iacebant, magis emendandis diu multumque cogitaret, in mentem eius veniebat ita maxime opem ferri posse, ut ipse, in N. T. cum Erasmum lucubrantem videret, Veteris Testamenti, quae diu inter Christianos manca atque explosa fuerat, cognitionem hebraicarum literarum scientia ac studiis excitandis in Germanorum memoriam revocaret. Et profecto res bene cessit. Iam enim in Gallia a Wesselo Groningensi, praeceptore eruditissimo, viro forti atque ingenuo, quem ipse Lutherus alterum se Lutherum nominabat, hebraica quoque rudimenta edoctus, mox in peregrinationibus a singulis Iudaeis totum hebraicarum literarum, quantum tunc fieri poterat, ambitum summo cum studio atque impensis perdidicit. Domi autem multis gravissimisque negotiis distentus, si quando subsecivae fuerint, biblia hebraica, quorum splendidissimum codicem Fridericus III. imperator cupidissimus ei dono dederat, volvit et revolvit, Rabbinorum Masoretarumque praecepta enixe atque assidue perlegit, et multa alia, quae undique sibi comparaverat corraseratve, subsidia diem noctemque perlustravit. Iam vero ex antiquis ultimum, in quo hebraica studia floruerant, Hieronymum Aldo suasore in vulgus edidit, duos libros „de verbo mirifico" et „de arte cabbalistica" magno volumine scripsit, quorum argumentum, licet multis tenue atque inutile videatur, eo maioris tamen, si aevum illud respexeris, momenti fuerat, propterea quod his libris perlectis viri docti et ad hebraicas literas revocandas adducerentur, et ipsi theologi ad veterum philosophorum, inprimis Pythagorae Platonisque praecepta interius percognoscenda ac pertractanda magis incitarentur. Mox autem libro „rudimenta hebraicae linguae" inscripto monumentum exegit aere perennius. Scripsit enim, non Germanorum sed Christianorum post multa saecula primus, magna perspicuitate artem hebraicae linguae grammaticam et lexicon, quibus posthac, ut opus consummatum et omnibus numeris absolutum

esset, praeter alium quendam librum de linguae hebraicae accentibus et orthographia, etiam grammaticas, in quibus regulae illustrarentur, psalmorum quorundam interpretationes addidit. Sic tandem ab uno nostro Reuchlino iurisconsulto, quod theologi non potuerant, id effectum est, ut multos senes puerosque ad hebraeam linguam invitaret, studia ad hebraicos fontes, quos unus ex dominicanorum faucibus posteritati servaverat, quam maxime inclinaret, et viam ad V. T. rectiorem integrioremque, qua illa aetas prorsus indigebat, versionem strueret. Quaecunque exinde et locupletiora et emendatiora huius literarum generis scripta atque edita sint, a Reuchlino ipso fonte originem duxerunt. Illi enim hic honos, haec gloria, hoc decus debetur. Sic fatetur Melanchthon, sic quoque Lutherus, quippe qui, ut multi alii, eum ut omnium Germanorum etiam suum patrem ac praeceptorem venerabilem laudavit ac praedicavit. Nam praeterea quod Capnio noster veterum inprimis Hebraeorum literis lucem incenderat, etiam diviniores illustravit, et singula fidei capita a Scholasticorum sordibus ad simpliciorem doctrinam propius accommodare studuit. Quid? quod ille multos vulgatae versionis errores detegendo, falsa corrigendo, et patrum sanctorum additamenta vituperando multos istos tam sanctos divinoque spiritu afflatos una cum pontificum romanorum grege labefactare ausus est. Quae cum omnia nobiscum reputemus, haud dubium est, quin Reuchlini studia iam per se eximia, si illius aevi simul barbariem cognoveris, sane admirabilia atque immensa fuerint. Sic Reuchlinus testium veritatis fortissimus, paene in omni re versatus, etiam purioris ac verioris theologiae scientia tinctus, Luthero, quemadmodum hic plurimis confitetur, multisque aliis Lutheri aequalibus facem praetulit, nec parvam in sacris posthac restituendis vim exseruit.

Nihilominus vero, auditores doctissimi, Reuchlinus omnibus his literarum studiis praeceptis et lucubrationibus ne dimidiam quidem attulisset utilitatem, nisi iis ingenii animique dotibus redundasset, quibus ad hominum animos excitandos et ad viam, qua optimus quisque ad meliora studia eveheretur, parandam tunc temporis maxime opus erat. Vir ille enim, ex doctrina atque ingenio praeclarus, animi morumque integritate maxime excellens, etiam ea utebatur in homines comitate eaque in sermonibus suavitate, qua optimum quemque, cui vehementer cupiebat, arctissime sibi devinciebat, et omnes homines, quoscunque conveniret, rei suae studiosos ac sibi faciles reddebat. Quibus virtutibus cum magna erga homines accesserit benevolentia animique candor, fieri non potuit,

quin multi, cuius amicitiam ac consuetudinem affectabant, eiusdem litteras quoque et studia grata atque accepta haberent. Unde factum est, ut vir ille egregius atque idem iuris rerumque publicarum optime gnarus a teneris ad mortem usque fere in omnium optimorum Germaniae principum Badensium, Wurtenbergensium, Palatinorum, Saxonum aliorumque in aulis regiisque et versaretur et celebraretur. Ibi autem noster utriusque iuris doctor, orator disertus, iuvenis pulcher atque elegans tantum omnium captabat favorem atque gratiam, ut orationis vel legationis, cuiuscunque modi essent, mandata ad peregrinos indigenasque huic viro summo gravissimoque saepius darentur. Quare contigit ei, ut ad multos Germanorum principes ad imperatorem et ad ipsum pontificem romanum ter quaterque legatus summos amplissimosque honores ascenderet, et eximiam inde laudem ac gloriam adipisceretur. Iam pridem totius Praedicatorum ordinis per totam Germaniam patronus factus, non multo post ab imperatore Friderico tertio Comitis Palatini et Nobilis privilegia atque insignia accepit, et insignem illum tam in senatu quam in consistorio imperiali assidendi locum obtinuit. Postremum autem (A. 1502) ab imperatore et electoribus omniumque Germaniae principum consensu, triumvirorum illius Suevici foederis iudicum summus iudex creatus est. —

Iam vero eheu! exclamabitis, tantum virum, quem perpetuum Germaniae praeceptorem iuventutisque ducem esse oportuisset, publicis caussis negotiisque occupatum et in aulicorum cohorte quasi grassatum esse! Ne indignemini! Res secus se habet. Capnio enim noster, qua erat animi sobrietate et sapientia, terras illas, in quibus negotiorum caussa peregrinabatur, Galliam, Italiam non sine maximo sui ipsius fructu atque commodis peragrabat. In Italia diu annosque commoratus, celeberrimas illas copiosissimasque civitates, Romam, Florentiam, Mediolanum et reliquas, quae litteris artibusque florebant, urbes frequentavit, eruditos ac conspicuos viros crebre adiit, et, sermone atque ingenio suo complexus, eosdem, qui paulo antea Germanos barbaros gentesque horridiores dictitabant, postea epistolarum litterarumque commercio in perpetuum sibi devinxit. Iam nunc per eum via ad libros subsidiaque in Germania rarissima et ad homines, quorum in Germania vix nomina innotuerant, eruditos in Italia latissime patebat. Iuvenes adolescentesque, quicunque Italiae flores decerpere vellent, litteris commendaticiis excitat sublevatve. In Germania autem Reuchlinus optimos principes summosque reipublicae ministros, ubi fas erat, et consilio adiuvare et do-

ctrina atque eruditione oblectare, nobiles equitesque ad altiora literarum ſtudia evehi, adoleſcentes puerosque ad linguarum cognitionem excitare impenſe atque impigre ſtuduit. Caeterum id quoque fecit, ut tanto in hominum, quorum in notitiam pervenerat, commercio atque coniunctione et ſibi ipſi inſignem librorum tunc rarorum copiam pararet, et Heidelbergenſem bibliothecam, a Dalburgio Vangionum epiſcopo vix fundatam, mirum in quantum adaugeret, collocaret et ornaret. Quin ipſe Saxoniae elector Fridericus, cognomine Sapiens, Reuchlinum quoque, quem iam tum temporis magni aeſtimabat, in celeberrima litterarum univerſitate Witebergae inauguranda ſuaſorem atque auctorem voluit. Noſter idem aliquot annis ante vitae deceſſum praeceptor linguae graecae et hebraicae, publicis cauſſarum negotiis abdicatis, Angelopolin a Bavarorum duce vocatus, ſumma cum laude ingentem diſcipulorum numerum per annum edocere incepit. Sueviam autem, quam belli cauſſa reliquerat, pace compoſita redux, multis precibus perductus, Tubingam docendi cauſſa venit, nec multo poſt obiit (A. 1522, d. 30 Iul.). Sic litterarum, quas adoleſcens Baſileae, Genabi et Pictonibus Galliae Aquitanis tradiderat, inſtitutionem academicam etiam ſenex denuo tradere non detrectavit. Ex quibus omnibus iam ſatis elucet Reuchlinum noſtrum ſuo ingenio ſua doctrina ſuoque ſtudio in totam Germaniae gentem tantam vim exhibuiſſe, tantam in tenebris lucem accendiſſe, tantamque flammam in ſcholis inſpiraſſe, quantam illius aevi in Germania nemo potuit, nec alius quis vix poſtea potuerit. Iam nomen eius atque fama in omnes terrarum regiones permanavit, ita ut Trithemius aequalis de eo diceret: „Nullum nobis non modo Italia ſed ne ſeculum noſtrum quidem huic tanto viro parem obiiceret.“ Ulricus Huttenus eum una cum Erasmo egregie ita laudat: „Hos duos Germaniae oculos omni ſtudio amplexari debemus, per eos enim barbara eſſe ſinit haec natio!“ Idem vero duumvir Erasmus olim ad Leonem X ſcripſit: „Merito virum hunc Capnionem ceu Phoenicem et unicum ſuum decus tota ſuſpicit ac veneratur Germania.“ Ac ſummo iure is trilinguem illum poſt vitam exactam in ſanctorum numero prope divum Hieronymum, apotheoſi ſcripta, haberi voluit. Quantos fructus ex hac inter homines eius gloria ac dignitate aetas illa ceperit porro videbimus. —

Verum enimvero nos hucusque Reuchlinum in pace necdum in bello quoque utilem fuiſſe cognovimus. Bellum enim omnino, ſi qua interdum pace fructuoſius videatur, hoc certe Reuchlini bellum, ut ita dicam, quod contra Domini-

canos Coloniae Agrippinae gestum est, mirum quantum profuit et in sacrorum emendationem promovendam valuit. Quare cum, nescio quam ob caussam, fieri soleat, ut saepius in libris recentioribus, de sacrorum restitutione conscriptis, de hoc decenni cum Dominicanis certamine vix ulla digna fiat mentio, plura de hac acerrima lite, nostram evangelicam rem in Germania quasi annunciante et saluberrime adiuvante, qualiacunque disseram. Haec privata monachorum et magistrorum Coloniensium cum uno Reuchlino incepta controversia, mox autem ab illius aevi, quo Germani agitabantur, genio in publicum fere omnium ingens dissidium conversa, ab initio de Iudaeorum libris comburendis exorta est. Non est, quod Iudaeorum partes omnino hic defendam, attamen de ratione, qua a Dominicanis in eos actum est, reiicienda cum Reuchlino prorsus consentio. Sed rei gestae summam atque ordinem ut intelligamus, et ex ore Melanchthonis et ex ipsis iudiciariis caussae actis aliisque testibus plura narrabo.

Fuit in urbe Colonia Agrippina impostor quidam Iudaeus, qui simulabat se amplecti religionem christianam, et familiaris erat monacho inquisitori, ut nominant, Hochstrato et eius amicis. Hic ostendit magnam pecuniam honesta specie et sine magno negotio Iudaeis eripi posse, si edictum imperator proponat, ut Iudaei libros omnes adferant in curiam in suo quisque oppido, ut ab inquisitoribus libri praeter biblia tanquam perniciosi christianae religioni comburantur. Neque id serio (ut multi Reuchlinistae narrant) impostor ille agi volebat, sed Iudaeos sciebat statim magna pecunia libros redemturos esse. Eo igitur rem deduci volebat ut Iudaei pecuniam offerrent. Hanc praedam captabat dividendam inter inquisitores et socios huius consilii. Petunt igitur monachi Colonienses ab imperatore Maximiliano, religionem praetexentes, edictum ut Iudaei libros ad comburendum offerrent; ne illi, hoc si recusassent, hereticorum instar premerentur. Editur edictum (A. 1509). Sed astutus ille Pipericornus Reuchlinum Stutgardiae adit et, edicto proposito, eum doctiorem huius negotii socium cupit. Reuchlinus autem aequior, huius edicti iniquitate perspecta, negotium hoc detrectat et re infecta Pipericorum dimittit. Hic tamen, ad Rhenum iter faciens, edicti imperatoria vi ac maiestate rem suam perficere studet, et iam Francofurti libri Iudaici in curiam gestantur. Interea ut multi sunt Iudaei non ignari communis vitae in aula imperatoria suos etiam patronos adeunt, qui rem eo adducunt, ut imperator sciscitaretur iudicia eruditorum in lingua hebraea. Quare Maximilianus Urieli Moguntino archiepiscopo mandata dedit, ut a quatuor universitatibus et

a singulis aliquot viris Hochstrato, Reuchlino, aliisque in Iudaeorum libros inquiri iuberet, et eorum sententias de his libris conscriptas per Pipericornum (sollicitatorem) sibi mitteret. Sic ab imperatore per Urielem ut reliquis ita Reuchlino quoque mandatur, ut Iudaeorum libros non solum famosos sed etiam reliquos praeter biblia cognoscat. Reuchlinus hebraeae linguae omnium maxime gnarus scribit sententiam longe mitiorem. (A. 1510). Nolebat enim grammaticos historicos medicos et aliarum honestarum artium libros interire, ne lingua necessaria ecclesiae penitus deleatur. Duos tantum libros nominatim contra Christum scriptos, si qui abolendi essent, hos aboleri iubet. Ita enim indicat, etsi in iis multa sint ridicula atque superstitiosa, tamen in hoc esse perutiles, quod ad illorum refutandos errores atque deliria magnopere conducant. Haec sententia aequior cum imperatori magis placuisset, libri in curiam Francofurti translati Judaeis restituuntur, et elusa fraude Colonienses, qui hanc clam moliti erant, furore exardescunt. Pipericornus, ira commotus, Reuchlini sententiam ad imperatorem perscriptam et obsignatam non solum improbe aperuit, sed etiam eam in libello quodam, quod *speculum nanuale* nominaverat, depravatam divulgavit, et adeo libellum istum famosum, in quo Reuchlinum Iudaeorum vindicem ac fautorem delineaverat, ad mercatum profectus una cum uxore Francofurti divendidit. Quod Capnio indignatus ipsum Maximilianum per Reutlingam festinantem adit. Sed imperator rem, quam episcopo Augustae Vindeliciorum se mandaturum promiserat, propter graviora, quibus agitabatur, negotia oblitus esse videtur. Frustra auxillia sperantur. Quare Capnio noster, ut existimationi suae consuleret in libro *speculo oculari* (Augenspiegel A. 1511) edito ipse se defendit. Rem totam veram et integram inde ab origine certaminis vernacula narrat, consilium suum ad imperatorem perlatum communicat, et denique, pro Coloniensibus latina quoque declaratione addita, Pipericorni calumnias et mendacia ita exponit et refutat, ut huius controversiae fama, ingenti huius libri exemplarium copia divendita, per totam Germaniam aliasque terras percrebresceret. Reuchlinum alii propter id laudabant, alii vituperabant quod Pipericorno, qui tot verborum ac tantae operae ne dignus quidem esset, respondisset nequissimo. Sed Colonienses theologi ac monachi ita hac de re irritati sunt, ut Arnoldum de Tungaris professorem, quem inter ipsos doctissimum existimabant, contra hoc speculum oculare scribere iuberent. Quod cum ad Reuchlini aures pervenisset statim ad Arnoldum de Tungaris et ad Kollinum, alium quendam Coloniae ma-

gistrum, epistolas quam demissime scriptas excusationis et pacis caussa permisit. Nunc demum sibi non cum Pipericorno, quo isti tanquam machina utebantur, sed cum ipsis omnibus Coloniensibus totius rei de Iudaeis gestae auctoribus rem esse intellexit. Nam Colonienses theologi, cum Reuchlinum pacem petentem et submisse obsecrantem viderent, eo magis insolentia ac superbia elati non singuli sed cuncti iniquiores ferebant conditiones. Obiurgabant, quod totum negotium a Pipericorno feliciter inchoatum Reuchlinus, mitiori sententia data, cohibuisset, et acerrime petebant ut librum suum, speculum oculare, palam revocatum deleri iuberet. Capnio noster semper reverentia quadam, qua tunc in monachorum ordines agi solebat, permotus etiam nunc moderatum se et sane paulo timidiorem gerit. Iterum respondet eorumque animos pacare studet. At illi pacem detrectantes in priori sententia permanent. Iam vero nunc Coloniensium, qua isti sententiam de Iudaeorum libris, quam haereticam vociferabantur, a se retractari iterum iterumque flagitabant, arrogantiam et contumaciam diutius tolerare non poterat. Quamobrem ad eos epistolarum, quas multas antehac reconciliandi caussa scripserat, ultimam dedit forti animo dicens, se de sua vera sententia nullo pacto esse decessurum, caverentve, ne historici poetae ac nobiles coniunctim se praeceptorem amatissimum manu defenderent (A. 1512). Confestim latinam illam declarationem, quam in speculo oculari Coloniensium caussa addiderat, in vernaculam translatam, ut vulgus quoque cognosceret, in Francofurti nundinis vendidit et ubique divulgavit. Abhinc furibundi illi vocibus increpitant, convicia palam faciunt, Reuchlinum probum virum quam vaferrime calumniantur, et omnem modum ac morum fines excedunt. Petrus Meyer sceleris consors, etiam postea Francofurti in re Lutherana satis famosus, electoris Moguntini interdictum fraude simulans, illum Capnionis librum vendi vetuit. Quod interdictum elector Moguntinus, ubi rescivit, illico tollit, et sic, ut emptores frequentiores advolarent, optime efficit. Ad haec etiam Pipericornus profanus, cathedram sacram adscendens, impune in Capnionem nostrum conviciis contumeliisque omnium odium atque iram commovere enititur. Ipsi vero Colonienses, Arnoldo auctore, XLIII articulos „errores Iudaeorum et articulos de Iudaico favore nimis suspectos,“ in quibus futilia Pipericorni argumenta et mendacia iterantur, in publicum emittunt (A. 1512 autumno). Sic Reuchlinus noster de pace desperans librum „defensionem contra calumniatores Colonienses“ inscriptum edit, et ipsi imperatori Maximiliano dedicat (A. 1513). Hoc in scripto diligenter elaborato

diris et conviciis ipsum Lutherum superat; id quod singuli eius amici valde reprehendebant. Quid posthac a Maximiliano et ab amicis, quorum auxilia petebat, factum sit infra videbimus. Colonienses autem tanta Capnionis, qua ipsorum pravitatem aperibat, animi fortitudine obstupefacti totam rem deprimere voluisse videntur. Sed subito alius Coloniensium dominicanorum nequissimus, haereticorum magister vocatus, inquisitor importunus caput tollit, idemque nunc, qui hucusque per insidias agebat, palam vi sua publica procedit. Lecto Capnionis scripto, calumniose excerpit dicta, et arte depravat, et, edita atroci criminatione, accusat Capnionem haereseos. Quibus confectis, Moguntiam cum Dominicanorum caterva profectus, Reuchlinum propter rem non haereticam sine ullo iure in eam urbem, quae extra eius forum erat, ad iudicium citat, quod vocant, inquisitorium (A. 1513. Sept.). Attamen Reuchlinus, cum in ius ire negasset, alium quendam procuratorem, qui hunc Hochstratum iudicem repelleret, ex Stutgardia misit. Hochstratus iudex simul libellum accusatorium, in quo haereses Capnionis enumerabantur, sociis suis iudicibus delectis proponit. Procurator Capnionis in iudicium non legitimum venturum se negat. Nihilosecius tamen iudicibus ex Dominicanorum ordine (commissariis) delectis placuit, ut speculum oculare palam in foro combureretur, et omnia huius libri exemplaria sub poena gravi undique colligerentur. Interim Hochstratus de suggestu sacro iis, qui condemnati illius libri combustioni adessent, indulgentias in trecentos dies praedicari iubet. Qua de effrenata licentia omnium animi indignati sunt ita, ut ipsum, quod vocant, Capitulum ecclesiae cathedralis Moguntinum caussam totam infringeret. Etenim viri summi ex Capitulo Moguntino, ab Hochstrato moram iudicii extremi petentes, ipsum Reuchlinum litis componendae caussa ad se invitant. Reuchlinus a Capitulo advocatus obsequii caussa et praeter Hochstrati opinionem advenit. Qui cum de comburendo suo libro audiret, et Hochstratum etiam nunc in sententia temere perseverantem videret, ad curiam romanam provocat. Capitulares autem viri, reconciliatione frustra affectata, e vestigio ad electorem, tum Schaffnaburgi versantem, nuntium, qui de differenda hac inquisitionis sententia in mensem ageret, clam Hochstrato mittunt. Sed Hochstratus huius nuntii nescius diem cremandi dicit, et, gratuita peccatorum remissione promissa, quam multos potest spectatores invitat. Iam dies incendii illucescit (A. 1513 Oct. 12). Innumerabili spectatorum multitudine forum circumstante et rogo exstructo iudices, magno doctorum ex Academiis com-

pluribus delegatorum numero circumdati, Hochstrato praeside pro tribunali sedent. At inopinato nuntius ille redux per vulgus ad iudicum sedes advolat, et severum electoris de iudicio illo ad mensem suspendendo mandatum coram omnibus alta voce recitat. Qua re audita iudices, fulmine quasi tacti, una cum Hochstrato furibundo cuncti iracundia horrent, et a pueris senibusque derisi atque explosi alto silentio per angiportus discedunt. Sic nefasta inquisitio Moguntina, infecta re, omnibus erat ludibrio. Hochstratus cum factionis suae satellitibus Coloniam reversus, provocationem ad pontificem romanum, quam de electoris imperio conquestus minitabatur, non multo post renunciavit. Capnio autem noster, provocans ad pontificem romanum, se defendi et a Coloniensium vi in posterum vindicari voluit. Pontifex episcopo Spirensi mandavit ut controversiam hanc cognosceret. Quo iussu hic episcopus cum iudicibus, quos sibi elegerat, sapientibus Hochstratum litis sumtum resarcire iubet, et Reuchlinum insontem dimittit. Interea Hochstratus, Spiram ad iudicium vocatus, contumax non comparuit, et Coloniae speculum oculare flammis tradidit (A. 1514 Febr.). Quin imo Pipericornus ab Hochstrato Spiram mittitur, ut ibi sententiam de libro Reuchlini cremando inquisitoriam in ipsius episcopi palatio affigeret. Neque ita multo post idem Iudaeus episcopi Spirensis iudicumque sententiam Coloniae affixam gladio disrumpit ac dilacerat. Mox autem omnia haec Hochstrati sociorumque facinora, et hominum fama, et libello a Capnione edito, per totam Germaniam aliasque terras innotuerunt. Reuchlinus vero prudens, ne ab huiusmodi adversariis, qui debacchari pergebant, in posterum lacesseretur, haud multo post Spirensem sententiam pontificem, ad quem provocaverat, ultimum iudicem rei perficiendae caussa adit. Quo facto, iudicibus a summo pontifice convocatis, una cum Reuchlini aegrotantis procuratore Hochstratus Romam citatur (A. 1514. Iun.). Proinde iste homo protervus, Colonia relicta, cum frequenti Dominicanorum comitatu ac pompa Romam ingreditur, neque ibi quoque ab arrogantia ac fastidio suo desistit. Quin ipsum aequiorem pontificem ac cardinales viros pariter ac Spirensem episcopum verborum contumelia afficit, et, caussa in malam rem inclinante, ad patrum ecclesiae concilium provocaturum se minatur. Sed cum iudices de hac caussa inquirenda convocati, in quorum numerum etiam Thomas Caietanus et Sylvester Prierias Hochstrati arte ac studiis recepti erant, hanc caussam, tres fere annos productam, rem fidei non esse intelligerent, sententiam ultimam ferunt, et omnium fere consensu in rem Reuch-

lini decernunt. Quod ubi Hochſtratus animadvertit, diſputatione, qua rem ſuam defendere volebat, vetita pontifici romano, Dominicanorum ordinis potentiam metuenti, inprimis Sylveſtri Prieriatis ope mandatum de ſuperſedendo extorſit, et praeter opinionem Roma raptim evaſit (A. 1517). Sic cauſſa Capnionis etiam a ſummo pontifice non ad finem perducta, occupatis poſthac animis nova Lutheri cura, Romae prorſus conticuit. Quare, certamine non exſtincto, Franciscus de Sickingen eques potentiſſimus, Hutteno permotus, aliquot annis poſt et Hochſtratum et Colonienſes, quos continuo calumniari audibat, armis ad pacem cogere minitabatur, niſi illico ignominiam inferre deſinerent, et pecuniam ad ſumtum litis reſarciendum perſolverent (A. 1519.). Ab initio tergiverſantur, ſed, tanti equitis timore perculſi, et aliam eſcam in Luthero nacti, ab hac controverſia deſiſtunt et pecunias perſolvunt (A. 1520, ab initio.). Sic tandem armorum vi ac minis hoc certamen finitum eſt.

Haec eſt brevis de diuturno certamine narratio. Profecto de inaudita et incredibili iniquitate, qua Colonienſes et in Reuchlinum et in omnes homines eruditos agere ſolebant, plura verba facere ſupervacaneum eſt. Iam vero videatis quae huius certaminis vis atque eventus fuerit. Quibus ſtudiis ac periculis, ut praeteream Iudaeorum libros integros incolumesque poſteris eſſe conſervatos, Capnio noſter, forti animo in dies creſcente, rem ſuam, ut ſupra demonſtravimus, contra infeſtiſſimos adverſarios fortiter perferre auſus eſt. Sed interea, ut ne ſolus monachorum turba opprimeretur, iam ante Moguntinam inquiſitionem ad omnes, quos ubique terrarum innumerabiles habebat, amicos fautores doctosque viros literas dedit, qui et ipſorum auxiliis ſe defenderent, et, novis quam potentiſſimis defenſoribus in ſuam iuſtiſſimam rem perductis, innocentiae ſuae patrocinium ſuſciperent. Quod ſupra quam credibile eſt efficitur. Hi omnes, in quorum numero ipſi cardinales viri et Maximiliani arcanorum ſcribae fuerunt, auxilia ferre pollicentur. Quin imperator Maximilianus, cuius in tutela Capnio eſſe cupiebat, fatetur ſe tam doctum probum atque integrum virum perire nullo modo ſinere. Mox autem in Germania, Gallia, Anglia, Italiaque inde ortum eſt, ut graviori in re ſaepius fieri ſolet, magnum foedus, cuius originem an eventum magis admireris vix dici poteſt. Etenim cum Colonienſes calumniari pergerent, et libro Reuchlini, quod ſummum nefas erat, combuſto ipſum fori Spirenſis decretum ſpernerent ac deſpuerent, iam minus de priori Iudaeorum cauſſa quam de intolerabili Colonienſium Dominicanorumque impudentia ac fe-

vocitate agebatur. Multi sacerdotes, iurisconsulti, medici, historici, poetae omnesque elegantioris eruditionis viri a Reuchlini parte stabant. Cuncti autem cogitationes eo intendebant, ut Reuchlinum Germaniae praeceptorem et gravem senem quocunque modo tuerentur, Reuchlini fautorum numerum ambiendo et petendo augerent, eiusque rem summorum virorum ac principum ope Romanae curiae demandarent. Neque eos opinio fefellit. Nam cum Reuchlinus, litis finiendae caussa, acta totius caussae ex utroque inferiore foro et Moguntinensi et Spirensi in romanam curiam devolvisset, summus Romanorum imperator, optima de Reuchlini doctrina ac moribus testificatione addita, simul a Pontifice petebat „ut hanc rem, quae plurimum sibi cordi esset, ferventius amplecteretur et adversariis illis captiosis theologis perpetuum imponeret silentium.“ Hoc idem fecerunt illustrissimi imprimis electores Fridericus Saxoniae et Ludovicus Bavariae duces, dux Wurtenbergensis et Marchio Badensis princeps, magister inclytus ordinis Teutonicorum, Germaniae episcopi quinque, tredecim Abbates infulati, quinquaginta tria Sueviae oppida et multi alii nobiles magistratus universi et singuli nihil aliud petentes nisi brevem et iustam huius litis dissolutionem. Attamen omnia haec auxilia, Reuchlini amicorum ope comparata, etiam Romae paene ad irritum cecidissent, nisi Reuchlinus doctissimus tres amplissimos viros Grimanum et Petrum Galatinum, cardinali dignitate usos, et Iacobum de Questenberg iuris peritissimum, quos iam antea doctrina atque eruditione sui cupidos reddiderat, amicos ibi habuisset, qui iustum Reuchlini caussae procuratorem eligerent et totam rem pro viribus dirigerent. Magna enim fuit Dominicanorum Romae auctoritas.

Dum haec tota res Romae geritur, et Hochstratus inquisitor, facinorum scelerumque apex vicatim ambit atque aurum argentumque largitur, etiam in Germania Coloniae inprimis monachorum cohors ac turba Reuchlino seni eiusque amicis fautoribusque scelestissimas, quas poterant, diras imprecari, libellos famosos contumeliosos que cum picturis infamibus divulgare, et, quoscunque poterant, homines atque universitates in partes suas trahere conantur. Et revera omnes fere theologistae, et monachi plures, literarum universitates Lovanium, Erfordia, Moguntium, et inprimis Lutetia Parisiorum Coloniensium facinora laudabant, confirmabant et, caussa Capnionis condemnata, adeo imitabantur. Quid? quod deinde Hochstratus Roma Coloniam redux in victoria, quam de Reuchlino reportavisset, sese iactabat et factionem suam augere studebat,

Quibus omnibus rebus factum est, ut Reuchlinistarum illud foedus, quod per omnes terras, Galliam, Angliam, Italiam diffundebatur, iam in ipsa Germania in aliud quiddam gravius arctiusque transiret. Dehinc enim non solum contra Colonienses, sed contra Dominicanorum theologistarumque vim et tenebras, et paulo post in ipsum pontificem romanum vehementius exarsit odium. Utrimque partes stabant, quarum altera lucis et veritatis defensores Reuchlinistae, altera autem pars, quae tenebras mordicus tenebat, Theologistae vocabantur. Reuchlinistarum foedus nunc id tentavit, ut humanioribus literarum, artiumque studiis alendis et fovendis, theologistarum inscientia ac superstitione contemtis, et scholis aptius commodiusque instituendis, tota monachorum theologorumque tyrannis facillime opprimeretur, et ex tenebris lux ac veritas in omni Germania exoriretur. Iam nunc Reuchlinistarum partes in tantam copiam atque multitudinem accrescebant, ut multi dicerent, nec fatis neque humano consilio sed ipsa divina potius providentia evenisse, ut talis tantaque controversia et ab illo aevo et a Capnione originem duceret, quippe qui virtute doctrina atque amicorum multitudine omnes in Germania superaret. Quare plures huius foederis socii, qui in Capnione organum consilii divini et in eius lite Dei ipsius quasi nutum ac signum conspicabantur, optimi fortissimique arctiorem societatem inierunt, et, quam ipsi appellabant, coniurationem inter se fecerunt. Cuius socii maxime praecipui erant comes de Nuenar, Hermannus Buschius, Io. Caesarius, Bilibaldus Pirkheymerus, Eobanus Hessus, et omnium fortissimi Conradus Mutianus, Crotus Rubianus, et Ulricus de Hutten eques animo alto atque excelso, et multi alii, quorum nomina recensere longum est. Hi coniurati ipsos principes equitesque optimos, potentissimas Germaniae urbes imperiales, et plurimos, qui altiora sitiebant, adolescentes in illud Reuchlinistarum foedus trahere studuerunt. Iam latius spectabant haec conata quam fortasse vulgus hominum intelligebat. Fuit enim haec inter paucos coniuratio totius Reuchlinistarum corporis anima ac mens. Horum virorum in studiis totius foederis res et cardo vertebatur, quippe qui senatum quasi doctae Reuchlinistarum reipublicae efficerent. Iidem non pauci quaquaversum in aulis maxime ambiendo, discurrendo et persuadendo omnibus modis in partes suas trahunt, quin etiam arte et dolo omnium benevolentiam captant, favori principum retia tendunt, et multos haesitantes, ut Reuchlinistis faveant, pudore quasi cogunt. Haec autem omnia illis spem fecerunt fore, ut eo, quo tendebant, evaderent. Sed, ut odium atque animorum incen-

dium magis efflagraret, scriptis quoque efficere quid studebant. Quare ii non solum una cum laxiori foedere, animis ad studia excitandis, Reuchlinistas eorumque studia augere, monachos autem Dominicanos eorumque auctoritatem opprimere studebant, sed etiam id agebant, ut libellis ridicule severeque scriptis, quos vel singuli vel coniuncti clam scripserant, divulgandis monachos theologistas et ipsum pontificem romanum acerbissime perstringerent, Germanorum in eos odium inflammarent, et, si quando opus esset, sese ipsa manu atque armis istos aggressuros esse minitarentur. Eorundem ex medio famosi isti libri, ex gr. Capnionis triumphus, epistolae obscurorum virorum, et huiusmodi alii, quorum auctores latent, de manu in manum traditi, deinde typis impressi in lucem prodierunt. Quorum in illud aevum vim quam maxime utilem fuisse satis certeque constat. Ulricus de Hutten autem, coniuratorum fortissimus, ipsis armis atque vi minitatur, et in Capnionis triumpho, quem ipse compegerat, ad finem Theologistas ita appellat. „Laqueum sumite Theologistae, viginti amplius in infamiam ac perniciem vestram sumus coniurati! Debetur hoc Capnionis innocentiae! Debetur vestro sceleri! Debetur reipublicae literariae!" Et classicum canens ita exclamat: „Vos igitur moneo coniurati, adeste, incumbite, ruptus carcer est, iacta alea, regredi non licet, obscuris viris laqueum praebui, nos vicissim herbam sumemus! Et profecto eorum plures arma et copias paratas dicebant, quibus contra monachos, nisi isti resipiscerent, gereretur bellum. Sic multi non amplius eos verbis sed animoso in frontem impetu persequi in animis constituerunt. Inprimis autem Hochstrato inquisitori Roma redeunti dolosas, quas aegre evaserat, insidias Norimbergae et alias tendebant. Si quis talia coram omnibus et ipsis theologistis palam fieri potuisse dubitaverit, caveat ne nostram publici ordinis disciplinam cum illius aevi moribus ac publicae rei disciplina confundat. Caeterum etiam hoc magno emolumento erat, quod ipsi Germanorum principes multi, de literis renascendis valde gavisi, non solum vehementiori virorum adolescentiumque literarum ardori studiisque adnuebant, sed etiam in Reuchlinistarum partibus connivebant. — Sic, inopinata quadam rerum animorumque conversione, Dominicanorum et theologorum, quae in dies in maiorem omnium invidiam atque odium pervenerat, tyrannis in Germania labefactata, et via ad ipsum Romanum pontificem adgrediendum tutior expeditiorque facta est. Contemplamini igitur, auditores doctissimi, ex quantula Reuchlini favilla quantum enatum sit incendium! Capnio autem noster, quod nonnisi in illius aevi hominum stu-

diorumque fervore fieri poterat, tanti operis, tanti literatorum foederis tantique odii auctor ac princeps fuit. Senex ille enim iustissimam rem fortissime gerebat, amicos excitabat, coniuratos agitabat, et molestum hoc, quod ab amicis gravius continuatum est, certamen ad finem usque constanter ac severe tolerabat.

Nunc demum hoc restat, ſut in tanti Reuchlini Reuchlinistarumque operis vim atque eventum, quantum in Lutheri rem habuerit, paululum inquiramus. Quum ita inflammata essent hominum studia, Tezelius Dominicanorum scelestissimus aliud incendium maius excitat, et irritat Lutherum ad prioris certaminis licet ex origine diversi tamen ex temporis successu feliciter cohaerentis continuationem. Lutherum enim una cum Spalatino, inde ab Reuchlinianarum partium initio, Reuchlino eiusque rebus maxime favisse ex duabus epistolis ad Spalatinum (A. 1511 et 1514) a Luthero scriptis satis apparet. Sed, ut a Luthero Reuchlini labores ac studia quasi continuata esse facilius intelligatur, ipsum Lutherum audiamus de Reuchlino honorifice et reverentissime praedicantem in epistola a se ad illum (A. 1518) perscripta, ubi solo amore et reverentia erga eum ductus et solatii praebendi caussa ita scribit: „Dominus tecum, vir fortissime! Gratulor misericordiae Dei, quae in te est, vir et eruditissime et humanissime, qua tandem praevaluisti obstruere os loquentium iniqua. Fuisti tu sane organum consilii divini sicut tibi ipsi incognitum, ita omnibus purae theologiae studiosis exspectatissimum. Adeo longe alia fiebant a Deo, et videbantur geri per vos. Eram ego unus eorum, qui tecum esse cupiebant, sed nulla dabatur occasio. Eram tamen oratione et voto tibi semper praesentissimus. Sed quod tunc negatum est socio, nunc cumulatissime tributum est *successori*. Invadunt dentes istius Behemoth me, si quo modo sarcire queant ignominiam, quam retulerunt ex te. Occurro et ego ipsis longe quidem minoribus ingenii et eruditionis viribus, quam tu occurristi et prostravisti, sed non minore animi fiducia. Congredi mihi detrectant, respondere recusant, sed mera vi et violentia in me viam affectant. Vivit vero Christus, et ego perdere nihil possum, quia nihil habeo. Fracta sunt in tua firmitate non parum quidem cornua horum taurorum. Hoc enim in te egit Dominus, ut tyrannus sophistarum aliquando et tardius et mitius disceret veris theologiae studiis resistere, ac respirare inciperet Germania, scripturarum doctrina tot eheu annorum centuriis non tam oppressa quam exstincta. Non erant haec initia danda pulcherrimorum studiorum per hominem parvae gratiae. Sed sicut Christum (sit venia comparationi) omnium maximum montem Deus contrivit usque in pulverem mortis, verum ex-

hoc pulvere postea excreverunt tot magni montes, ita et tu parum attulisses fructum nisi mortificatus in pulverem fuisses redactus. Unde nunc tot surgunt proceres literarum sacrarum, etc." Alias dicit: „non obscurum est Lovanienses et Colonienses conscientia huius ignominiae agitatos, quam ex Reuchlino acceperunt, nova hac fabula in me quaerere redemtionem gloriae.". Sic Lutherus ipse, cuius animo Capnionis sors et sententia illa „qui pauper est nihil timet," ut saepenumero dictitabat, solatium praebebat, Reuchliniani certaminis non solum socium sed successorem se appellat. Fuit autem Reuchlino animosior ac, quod tenendum est, temporum opportunitate felicior. At profecto, nisi forte id exceperis, quod Lutherus sacrorum potissimum res persequeretur, mira quaedam inter amborum studia et certamina similitudo ac cognatio intercessit. Nam Lutherus Tezelium eorundem Dominicanorum, quos Reuchlinus quoque urgebat, unum ac primum hostem aggressus est. Accedit, quod utrinsque certamen magis academiae et privatae rei caussa quam publice coeptum erat. Pari modo uterque contra adversarios rem suam ab initio modestissime et moderatissime egerunt. Reuchlinus quondam summa cum modestia atque animi quasi formidine Colonienses adiit, et diu multumque obsecravit, ut huius controversiae componendae copiam sibi darent. Neque aliter Lutherus, postquam theses de indulgentiis affixerat, summi pontificis auctoritate maxime sollicitus ad pacem paratissimum facillimumque se praebebat. Atqui Dominicanorum illi violenti Hochstratus et Sylvester Prierias, quorum ille Reuchlinum Moguntium, hic Lutherum Romam iudicii caussa citaverat, eo iniustitiae atque arrogantiae evadebant, ut utrique infestissimi hostes iidem indices indices simul sese gerere vellent. Satis inde elucet, utrumque et Reuchlinum et Lutherum magis adversariorum vi ac protervitate irritatos, quam ipsorum emendandi impetu atque ardore fuisse excitatos. At vero non est ut certaminis Reuchliniani similitudinem sed vim potius atque efficaciam in Lutheri ecclesiae restaurationem breviter ostendam.

Lutheri certamen Reuchlini controversiis ac studiis sublevatum in multo maius evasit incendium. Quis autem nostrum est, cui mirum hoc videatur? Constat enim etiam hanc cum Luthero tragoediam ab iisdem Dominicanis, quorum tyrannis prius deminuta erat, turpiter ac dolose esse excitatam. Ut nunc omittam, quantum odii ac ludibrii dominicastri isti ex nimia stultitia ac superstitione sibi conflarint, iam omnes Germani propter plura nefaria eorum molimina inprimis ob illud horribile, quo nihil supra fieri poterat, Bernense facinus ita exacer-

bati erant, ut, his novis Coloniensium machinationibus iniuriisque additis, si qui forte antea haesitaverint, nunc, foedere Reuchlinistarum facto, mirum quantum in Dominicanos odium susciperent, et ab hac scelerum facinorumque turba ac colluvione prorsus abhorrerent. Sic omnium oculis in istos conversis, quicquid exinde ab iis vel tentatum vel inceptum esset, in communi fere omnium odio erat atque contemtu: Quibus rebus magis elucere videtur, qui factum sit, ut Lutheri theses, quas ipse programmatum more disputandi caussa promulgaverat, tantum invenirent applausum; quippe quae iam ob eam caussam, quod cum Dominicanis res agebatur, maiore cupiditate exciperentur, et per totam Germaniam, inopinante Luthero, Reuchlinistarum ope latius diffunderentur. Reuchlinistas quidem fere omnes ab eo inde tempore, ex quo Tezelii certaminis initia, aliorum quoque Dominicanorum vehementiori impetu continuata, libellis Romae et in Germania contra Lutherum editis concionibusque ab illis habitis, in dies maiora ceperunt incrementa, optimos doctissimosque in Lutheri rem et inclinasse, et eam fortiter strenueque tuitos esse, certe negari non potest. Quae res, cum Colonienses theologi, Reuchlinistarum adversarii, non multo post in Lutherum quoque arma conferrent, eo magis intelligitur; praesertim cum inprimis Hochstratus ipse pontificem romanum, ut ferro atque igne mundum ab hoc pessimo homine Luthero liberaret, vehementer exhortaretur. Accedit, quod Dominicani Romae quoque, illa Lutheri cum socio eorum Tezelio controversia in omnium invidiam perducta, Sylvestri Prieriatis potissimum hostis maxime invisi ductu, summum pontificem eo adigebant, ut Lutherum ad rem suam, quae tum facillime in Germania dirimi poterat, defendendam Romam vocari iuberet. Quis igitur est, quin intelligat, Reuchlinistas nova Dominicanorum insolentia ita commotos esse, ut contra eosdem, quorum vim et auctoritatem antea satis diminuerant, adversarios denuo hostiliter agerent et ab aequiore deinde Lutheri starent parte? Quae cum omnia Lutherus, initio de tanto applausu miratus, subinde intelligeret, non dubitabat, quin opus inceptum, cui huiusmodi auxilia optime succurrebant, bene ac prospere procederet. Nec paulum nescio quantum spei ex eo hausit Lutherus, quod Franciscum de Sickingen fortissimum Germaniae equitem eundem, qui a Coloniensibus Reuchlinianae litis exitum quam acerrime postulaverat, Reuchlinistam una cum Hutteno sibi amicissimum ac patronum habebat. Lutheri enim certamen eodem tempore, ubi eques ille strenuus Colonienses Reuchlini caussa in arenam provocaverat, dubium quodammodo atque

anceps fuit. Quare etiam tanti equitis spe ac fiducia ductus sacrorum rem, quam hucusque modice ac molliter gesserat, acrius fortiusque ad illud, quod hodie admiramur, fastigium perducere ausus est. Nec dubium mihi esse videtur, quin Lutherus nunc, cum tanta Francisci de Sickingen, Ulrici Hutteni, et Sylvestri de Schaumburg auxilia ultro oblata essent, animo firmior tutiorque factus, minis periculisque bullae ex Roma e longinquo fulminantis contemtis, vehemens illud de vi pontificia scriptum *„an den christlichen Adel deutscher Nation"* opportunissime ederet, et id ipsum, cum multa de reliquorum quoque equitum auxiliis bene speraret, illa tituli inscriptione, equites Germaniae commonente, prudenter insigniret. —

Interea Reuchlinus, senio confectus, minus sua ipsius animi fortitudine et viribus quam venerabili senectutis auctoritate, et Reuchlinistarum, quorum fons atque origo erat, opera ac studiis sacrorum emendationem adiuvabat, et senex iuvenes triumphantes aspiciebat. Sed antequam de hac vita decesserat, Lutherum successorem, cuius conatibus ac laboribus ipse propter aetatem interesse non poterat, alio maiore auxilio sublevare quasi voluit, et auctor fuit Philippo Melanchthoni, ut Witebergam, novam literarum sedem, doctrina atque eruditione exornaret. Melanchthon enim ille Reuchlino affinis, inde a pueris ingenio ac diligentia praeclarus, cum Phorcae scholae caussa apud Reuchlini sororem habitaret, tantos faciebat progressus, ut Capnio noster eum patris instar amans maximi aestimaret, et, libris graecis potissimum donandis aliisque, quibus poterat, praemiis tribuendis eum ad omne, quod sublime atque honestum esset, summopere incitaret. Ab eo inde tempore Reuchlinus Melanchthonem, qui posthac Heidelbergam academiam abierat, puerum paterno amore ac caritate prosequebatur ita, ut prope omnium, quae ad illum pertinerent, rerum diligentissimam gereret curam. Sic ei Heidelberga, ubi vix adolescentulus in nimium prae ceteris excelluerat, redeunti suasit, ut Tubingam abiret, ibique vix quindecim annos natus et disceret et doceret. Tubingae commoratus saepius Stutgardiam, Capnionis visendi caussa, profectus intimam eius sibi conciliavit familiaritatem atque amorem. Mox autem Capnio etiam senex aeternam sibi de emendandis sacris collocavit memoriam. Nam Fridericus Saxoniae dux cum ad Reuchlinum, quem saepius suasorem habuerat, plures de viris doctis in novam academiam conquirendis literas daret, eiusdem consilio usus Melanchthonem inopinantem, cum Capnio ipse propter aetatem munus suscipere nequiret, Witebergam literarum

caussa ad se vocavit. Nec Melanchthon, admodum cunctatus (erat enim adolescens pudens ac modestus), Reuchlino persuadente, hoc honorificum, quod oblatum erat, munus a se reiecit. Sic Reuchlinus etiam in postremis vitae annis auctor fuit, ut et Luthero doctissimum humanissimumque amicum, et Germaniae summum, qualem nullum antea habuerat, praeceptorem totiusque terrarum orbis decus ac gloriam ex gremio suo traderet. Nec gloriosius quicquam ac magnificentius erat, quod Reuchlinus, senex venerabilis, illis temporibus atque ipsis nobis et muneri et ipsius memoriae dare potuisset. Philippi Melanchthonis enim, cuius doctrinam atque ingenium satis noverat, Capnio noster commendatione, qua inumeris illis, quae obiter modo percensere poteram, de sacrorum restitutione meritis ac beneficiis magna facta erat accessio, summam laudem sui ac gloriam accumulavit et in aeternum sibi conservavit.

Haec sunt, auditores doctissimi, quae de huius viri meritis beneficiis ac virtutibus proferre in animo habui. Ego quidem vero hunc praeclarum virum, quem, cum haec conscriberem, in dies maioris aestimabam, hodierno die in nostrum memoriam revocare, et vestris auribus animisque qualicunque mea oratione commendare ausus sum. Ignoscatis quaeso, si quid ego indignus, qui tantum virum describam, longius latiusque de eo disseruerim. Fuit enim Capnio vir tanti nominis tantique aevi, ut in huius vitae campo latius evagari nihil suavius ac laetius mihi contingere posse videretur. Nihil admodum dixi de singulari huius viri morum integritate, nihil de vita domestica, nihil de eximiis, quibus cives et in privata et in publica re accumulaverat, beneficiis ac virtutibus. Iam vero ea, quae hucusque de eo enarravi, beneficia et merita praeclara atque innumerabilia sunt. Quae enim literarum liberaliorum erat pars, quae per eum non elaborari et exceli coeperit? Ubi terrarum illius aevi homines erant docti et literati, qui nullum ex eo eiusque studiis ceperint usum nullumque fructum? Quid egregius ille Capnio ad decus Germaniae, ad utilitatem Christianorum, ad omnium nostrum salutem excogitavit, instituit, passus ac periclitatus est! Quantum inter aequales effecit, quantum in posteros praeparavit, quantum de Luthero meruit! Iam nescio quid sublimius ad huius gloriae cumulum addam! Forsan hoc unum modo superest, ut eum, qui prophetarum more hominum animos in maius Lutheri regnum excitavit ac praeparavit, Ioannis Baptistae instar, si hoc nomine appellari fas est, Ioannem Reuchlinum Baptistam Germaniae nominemus, et gloriosum huius viri nomen in Germanorum memoriam, si qua exstincta sit,

iure meritoque revocemus. Nam honeſta ſummorum virorum, qui patriae quondam decori ac ſaluti fuerunt, recordatio nos ipſos honeſtat, et in rebus adverſis animum confirmat. Reuchlini inſtar enim tam modeſte agere et rem, cum ſemel inceperis, tam probe ac conſtanter abſolvere ſingulare quid ac ſumma laude dignum eſt. Omnino autem, ex Capnionis hiſtoria cerni poteſt, qualis illa ante Lutherum fuerit aetas. Lubenti animo etiam noſtris temporibus Melanchthonem audimus ſic de ea praedicantem: „Erit hoc quoque iucundum aliquantiſper a praeſentibus miſeriis abduci mentes ad illius aurei ſaeculi conſiderationem, in quo tam multi docti viri ſimul vixerunt, quibus propter concordiam et vita et ſtudia dulciora fuerunt, quique operam ad illuſtrandas doctrinas amanter contulerunt. Singularis enim felicitas fuit eius temporis eruditorum inter ipſos coniunctio et candor, nunc vero alia ſucceſſit ferrea aetas etc.“ Neque tamen ego nunc vos, quod parum decet, ad imitandum incitare volebam; ſed iam de eo, quod huius viri eximias, quas efferre debemus, laudes coram vobis praedicare mihi liceat, ſumma in me afficitur animus laetitia.

At vero, ut opinor, [illegible] exſpectatis longae orationis. Nec minus ipſe ſentio, quantum honoris veſtra indulgentia veſtraque animi patientia mihi hodie praebuiſtis, quantum benevolentia veſtra hanc per horam in me contuliſtis gloriae ac beneficii. Ad hunc veſtrum, quo meam orationis exilitatem audire voluiſtis, favorem utinam accedat ea veſtri animorum inclinatio, qua gratias, quae perilluſtris viri de Lyncker manibus agendae ſunt, quam maximas ex ore ac pectore meo excipiatis. Eſt ſane graviſſimum pietatis munus iis gratiam referre, quos diu humus tenet. Sit illi terra levis! Vos autem, qui adeſtis, grati animi mei teſtes certos ac graviſſimos habeo. Iam coram vobis, qui vivitis, grates agere atque in veſtrum animos pectus effundere dulce atque iucundum eſt. Tanta fuit ſupremi ſacrorum ſynedrii Vimarienſis et venerabilis theologorum Ienenſium ordinis benignitas ac munificentia, ut eam, cum de orationis meae inopia ac tenuitate cogitarem, non laudibus meis extolli, ſed in animo a me foveri ſatius eſſe putarem. Prius ac potius videbatur a me id elaborandum eſſe, ut tanta gratia tantaque animi benevolentia magis magisque dignus evaderem. Faxit Deus, ut, niſi vires prorſus deſint, hoc mihi contingat! Faxit O. M., ut patriae cariſſimae, etiamſi parvum ac tenue ſit, aliquantulum modo prodeſſe poſſim. Dulce enim eſt, cum mori non liceat, vivere tamen pro patria! Vos autem, qui hodie benigne atque humaniſſime mihi aures praebuiſtis, valete et mihi favete! —

ANNOTATIO.

De Reuchlini vitae fatis et meritis, quae hac in tractatiuncula modo attingi poterant, multis in libris plura narrantur. Inter eos principatum tenent:

I. *Monumenta Reuchlini et aequalium de eo scripta.*

1) Reuchlini ipsius, qui supra allegantur, libros eosque rarissimos inspiciendi facultas mihi non dabatur. Neque tamen ii ad vitam eius percognoscendam tanti sunt, quanti eorum praefationes longiores ex. gr. illae ad librum de accentu ét orthographia, ad rudimenta hebr. linguae, ad libros de arte cabbalistica et aliae. Multa memoratu digna his in praefationibus, ad celeberrimos viros a Reuchlino perscriptis, de literarum studiis ac vitae historia eius continentur. Quae praefationes maximam partem vel integrae vel excerptae leguntur in egregio libro:

Hermanni von der Hardt historia literaria reformationis in honorem Iubilaei, A. 1717. constans quinque partibus. Francof. et Lips. 1717. fol. Pars II. Sect. I, 1—13.

Hoc Hardtii volumen ad Reuchlini vitam intelligendam maximi momenti ac prorsus necessarium est. Nam in eo, praeter ipsius Hardtii verba de Reuchlini studiis ac certamine, totum oculare speculum, acta caussae inter Hochstratum et Reuchlinum, Capnionis defensio a Pirkheymero concinnata, plures graviores epistolae, triumphus Reuchlini, aliaque rariora Mss. memoriae mandata sunt.

2) Illustriorum virorum epistolae hebraicae et latinae ad Ioh. Reuchlinum diversis temporibus missae. Hagenoae. 1519.

Haec duo epistolarum volumina a Melanchthone cum praefatione edita tertium adhuc exspectant. Sed haec duo quoque eo memorabiliora sunt, quia et Reuchlini et amicorum epistolae invicem missae graves atque eruditae in iis continentur. Neque etiam hanc epistolarum editionem oculis inspicere mihi licuit. Iam vero earum multae, quas ab H. Maio, et a C. Meinersio totum descriptas vel excerptas legimus, magno usui sunt.

3) Oratio continens historiam Ioh. Capnionis Phorcensis recitata a Martino Simoni Brandenburgensi in Ph. Melanchthonis declamatt. T. I. Argent. 1570. 8. p. 617 seqq. (s. Argent. 1567. T. III. p. 280 seqq.).

Haec eadem suavis oratio, quae a multis etiam alio titulo „Ph. Melanch-

thon de vita Capnionis" allegatur, multa alia, quae maioris momenti sunt, non complectitur. Hac ex vitae descriptione non multo post Melchior Adam maximam partem ea exhausit, quibus ad vitam Reuchlini describendam in vitis Germanorum philosophorum utebatur.

4) Desiderii Erasmi dialogus de Capnione sive apotheosis Reuchlini.

Hic libellus non multo post Reuchlini obitum A. 1522 editus laudes elogiaque Capnionis continet.

5) Triumphus Reuchlini, sive Iohannis Capnionis viri praestantissimi encomium triumphanti illi ex devictis obscuris viris id est theologistis Coloniensibus et fratribus de ordine Praedicatorum ab Eleutherio Byzeno decantatum. A. 1518.

Hoc poema hexametrum, in H. Maii vita Reuchlini p. 480—508 et in Herm. v. d. Hardt c. l. P. II. Sect. VII. p. 148—156 receptum, Ulricus de Hutten non multo post latam Spirensem sententiam anno 1514 pepigit. Diu hoc opusculum manu exaratum in Reuchlinistarum manibus clam versabatur. Sed anno 1518 demum, praefatione Hutteni ad principem et populum Germanorum et epilogo ad theologistas auctum, una cum Pipericorni, qui unco trahitur, effigie ad lucem prolatum est. Lepidissimum hoc carmen, in quo magno cum ingenii fervore Coloniensium irrita contra Reuchlinum triumphantem studia acerrime illuduntur, maxime dignum est, quod legatur et cum reliquis de hoc certamine narrationibus conferatur.

II. *Narrationes vitae Reuchlini a viris doctis non aequalibus editae.*

Non defuerunt, qui Capnionis nostri vitae narrandae operam darent, et eam docte copioseque describerent. Quorum singulorum ii potissimum, qui et fontes perlegerunt et rariora manuscripta ediderunt, maxime lectu digni sunt.

1) Vita Ioh. Reuchlini Phorcensis etc. descripta et edita a I. H. Maio. Francof. et Spirae impensis Christoph. Olffen bibliopolae. Durlaci typis Martini Mülleri. A. 1687.

Hic liber omnium rerum, quae ad Reuchlini fata et merita pertinent, copia ac multitudine abundat. Henr. Maius enim orationi in memoriam Reuchlini habitae commentarium addidit copiosissimum et rarioribus manuscriptis collectionibusque refertissimum, quo nullo modo careamus necesse est. At Maium magis ad unicum Capnionem quam ad illius aevum respexisse semper memor sis. Quare,

si in legendo non defatigari cupias, simpliciorem legas epitomen in libro: Bibliotheque universelle T. VIII. p. 485—506.

2) Vitae clarissimorum in re literaria virorum das ist Lebensbeschreibung etlicher Hauptgelehrten Männer u. s. w. von Adolpho Clarmundo. Siebendter Theil. Wittenberg. 1708. 8. p. 111—122.

Cuius vitae Reuchlini narrationis, quae brevis ac minoris pretii est, magis eam ob caussam ratio habenda est, quia et librorum Reuchlini indicem, et eos libros, quorum auctores vitae Reuchlini mentionem faciunt, affatim enumerat.

3) C. Meiners Lebensbeschreibungen berühmter Männer aus den Zeiten der Wiederherstellung der Wissenschaften. Erster Band. Zürch, 1795. gr. 8. p. 44—212.

Haec descriptio et accuratiori fontium usu et meliori, temporum illorum ratione habita, rerum narrandarum ordine ac dispositione reliquis praestat. Inprimis vero, ut reliqua omittam, de Coloniensium lite et Reuchlinistarum foedere multa docte copioseque narrat. Iam haec pauca, si omnino iudicare mihi liceat, ad aequam huius libri laudem satis sunto.

4) Reuchlin's Leben und Denkwürdigkeiten seiner Vaterstadt u. s. w. von Siegmund Friedrich Gehres. Carlsruh, 1815.

Hicce liber, quem ipse in manibus non habui, non minus, cui inspiciatur, dignus esse videtur quam reliqui eiusdem auctoris libri ita inscripti:

Gehres Pforzheim's kleine Chronik. 1792. p. 56—84.
Desselben Bretten's kleine Chronik. 1805. 90—93. 100—102.

5) Reuchlin's Leben von Chr. Niemeyer.

Haec descriptio, quam in libro „Reformationsalmanach, dritter Jahrgang auf das Jahr 1821 herausgegeben v. Fr. Kayser und Joh. Fr. Möller“ receptam legimus, non solum propter dicendi brevitatem reliquas superat, sed etiam propter orationis suavitatem una cum Reuchlini effigie praefixa animum oblectat. Desiderantur tamen nonnulla in ea non exigni momenti.

III. *Libri ii, qui, praeter hos praemissos, de literarum studiis potissimum Reuchlini et meritis agunt.*

Reimmanni Versuch einer Einleitung in die historiam literariam der Deutschen. Des zweyten Buches Sect. III. Halle 1709. p. 304 u. s. f.
Burkhard de linguae lat. in Germania fatis. Hannoverae. 1713. p. 136 seqq.
Allgemeine Uebersicht der deutschen Culturgeschichte bis zu Maximilian I, von *Hegewisch.* 1788. p. 185 u. s. f.

Schnurrer's biographische und literarische Nachrichten von ehemaligen Lehrern der hebr. Literatur. Ulm 1792. p. 49—96.

Brucker in Hist. Phil. IV, I. p. 358 seqq. Hi duo posteriores libri, quibus carebam, citantur in:

Heeren's Geschichte der klassischen Literatur, zweyter Band, S. 163.

Geschichte der Literatur von ihrem Anfang bis auf die neueste Zeiten v. J. G. Eichhorn. 1 Abthl. p. 16—19. Götting. 1810.

IV. *Ad libros, qui de Coloniensium cum Reuchlino certamine potissimum eiusque eventu narrant, supra dictos alii non exigui adnumerandi sunt.*

Ut praeteream, epistolas obscurorum virorum multum sed cautius adhibendos esse, ante omnia huc pertinent:

1) Joh. Sleidani comment. de statu relig. et reip. Carolo v. Caesare. Argent. 1576. 8. lib. II. p. 40—49. (I. edit. primae fol. Argent. 1555. lib. II. p. 22—23.)

Tradidit ille vir egregius nobis compendium historiae Reuchlinianae, quod in Herm. v. d. Hardt hist. lit. ref. P. II. p. 15 denuo typis cusum est.

2) V. L. a Seckendorfii hist. Lutheran. Lips. 1694. fol. L. I. p. 102—106.

3) Iac. Burkhard commentarius in ep. Hutteni ad Pirkheymerum de fatis et meritis Ulr. de Hutten. Hildb. 1717. P. I. p. 149—178. et alias.

Hic commentarius variis luculentisque annotationibus undique congestis etiam de Reuchlini re multa affert.

4) Moguntina Reuchlini historia A. MDXIII mense Sept. in Germania Gallia et Italia celebris recensita A. MDCCXV ab Herm. v. d. Hardt. Helmst. 1715.

Quo in libello tota Moguntina caussa ab initio Sept. V ad Octob. XII diem usque peracta, una cum chronologia dierum iudiciorum indice et imaginibus quibusdam ornata, copiose fuseque descripta est. Multa in eo, quae congesta et explicita sunt, conferantur necesse est. Quem libellum cum haberem, duos alios eiusdem auctoris, qui rariores esse videntur, in oculos meos non incidisse valde dolebam, hoc titulo insignitos:

Hermanni von der Hardt Aurora in Reuchlini senio seu historia illius ab A. 1516 ad A. 1519. 4.

Eiusdem aeterna memoria Ioh. Reuchlini. Helmstadii 1720.

5) Vollständ. Reformations-Acta und Documenta von V. E. Löscher. Lpz. 1720. T. I. p. 92. 101—102. 548—552. T. II. 575—576. T. III. 944.

Omnia quae hic breviter de Reuchlini certamine narrantur maximam partem ex Herm. v. d. Hardtii hist. lit. ref. desumta esse videntur.

6) Bilibaldi Pirkheymeri epistola ad Hadrianum VI P. R. „De motibus in Germania per Dominicanos excitatis et de occasione Lutheranismi."

Legimus hanc epistolam in opp. Pirkheymeri ed. Rittersh. p. 372 cusam et repetitam in Gerdesii libro „Monumenta antiquitatis ad illustr. historiam Ref. ecclesiasticae facientia." p. 170 — 174 cf. Gerdesii introd. in hist. evang. Groningae 1744. 4. — Quae epistola ad tempora illa vere cognoscenda lectu maxime digna est, quippe cum Pirkheymerus aequalis et catholicae ecclesiae addictus ad summum pontificem tam severe et libere de Dominicanis scripserit.

7) Luther und seine Zeitgenossen von —r. Leipzig 1817. 8. p. 47—76.

Hoc in libro ex recentioribus maior et de Reuchlino eiusque vi in rem Lutheranam magis digna iniecta est mentio.



